BIBLIOTECA NAZIONALE VITTORIO EMANUELE
8
8 K
36

T = II - 2

Digitized by Google

CONSILIARIVS SPIRITVALIS PRÆLATORVM

In ſe continens complura, maximique ponderis ad benè gubernandum Conſilia.

Initio Compoſitus lingua Hiſpanica

PER ADM. REVERENDVM PATREM
ALPHONSVM A IESV MARIA
Olim Præpoſitum Generalem Carmelit. Diſcalc.
Congregationis Hiſpanicæ.

Deinde in linguam Gallicam ab vno eiuſdem Ordinis Religioſo traductus.

Modo verò ex Gallico in idioma latinum verſus ab aliquo item memorati Ordinis, Germanicæq. Prouinciæ Alumno.

OPUS

EMINENTISS. AC REVERENDISS. DOMINO

D. CAROLO BICHIO

S.R.E. Cardinali Ampliſſimo.

D. D. D.

ROMÆ, Typis Io: Iacobi Komarek Bohemi. MDCXCII.
SVPERIORVM PERMISSV.

Bibliotec[illegible] S. Sebastiani extra Muros
6

Digitized by Google

Digitized by Google

Eminentiſs. & Reuerendiſs.
PRINCEPS.

TVAM *purpuratam ingredi Aulam Prælatorum Conſiliarium, vel opportunum, vel infacetum cenſeri an debeat, anceps adhuc ignoro* PRINCEPS EMINENTISSIME. *Quam enim ſacri Principatus exornat decus, Maieſtas diſtinguit, hìc cuncta*

Digitized by Google

attolli ad faſtigium, ad gloriam ſublimari, vt exactum ſibi vindicet obſequium, non nemo fateatur oportet. Ex quo ſi mendica obductus pannoſitate Plato, ſeu Lycurgus illam adiret, vel in limine ſacræ dignitatis fulgore perculſus propria litaret obſequia, non penetralia portenderet perſcrutari prudentiæ dogmata edicturus. Enimverò ſi perhumana Sacri Principis eam diſtinguentis comitas perpendatur, cum præ foribus ingenita benignitas adſtet, Larium iuri ſuccedens, latũ recludet ingreſſum, vt quod Religio ibi comportauerit ad tutamen, Pietas ſacraret ad cultum, quod Ueritas ingeſſerit ad eruditionem, Sapientia exciperet ad obſequium; hæc quippe vnica Eccleſiaſtici Principatus eſt Teſſera, diſtinctum Sacræ Purpuræ inſigne, Ueritatem fouere, tutari Religionem

gionem

Digitized by Google

gionem. Nec mirum ſanè arbitrabitur quiſquam nec incongruum, ſi ea, quæ ad exactum regularis obſeruantiæ regimen indicuntur conſilia, tibi ſeu probanda, ſeu tutanda demittantur, cum eorum cuncta ad Pietatem firmandam, ad authorandam Ueritatem colliment. Prælatorum Conſiliarius Te Eccleſiæ Dynaſtam venerabundus adibit, non vt ſua efformet, ſed reformet prudentiæ, ſeu monaſticæ, ſeu æconomicæ præcepta. Illum perbenignè PRINCEPS EMINENTISSIME *excipies, cum iuxta probatum Sapientis Alphonſi effatum, aptior non emineat Conſiliarius, quam Liber, qui lydium veritatis ad lapidem, & omnem citra pellacitatis notam nitidè ſuggerat, prouidè inſinuet conſilia. Nec incognitam omninò exhibebit venerationem, familiari ſiquidem conſuetudine iunctam, & regna-*

Panormi. l. 3. de reb. geſtis ab Alphonſo.

tricem

tricem Prudentiam cuncti demirantur, cum ad Cameræ Apoſtolicæ Clericatum, & ad eiuſdem Generalis Auditoris dignitatem Tua Te Virtus euexerit, ac demum dignitatum, ac meritorum gradibus Sacram ſublimauerit ad Purpuram. Hiſce dotibus, quibus Purpuratos inter Principes fulges, Inclytam Tuæ antiquæ Stirpis Nobilitatem non agglomero, Auorum præclara facinora non adnecto; Arbitror hæc ſanè tacenda, cum & mihi Sacra Uaticani Atria ſilentium indicant, quæ adhuc Tuorum reſonant plauſus, gloriam conclamant. Hæ eximij & verè Maximi Pontificis Alexandri III: quem materna inclitæ Bandinellæ Familiæ linea attingis, Eccleſiaſticam celebrant fortitudinem, extollunt robur ad amuſſim inuictum; cui itidem Nobiliſſima

bilissima Marſiliorum Familia Tibi affini deuinceris. Meritiſſimam præter Tuam, tres ſacras alias numerant noſtro hoc ſæculo Purpuras, quibus & Italia pacem debet, & ſedatos in Belgica Eccleſia ex Iprenſi Epiſcopo tumultus Roma profitetur. Sed hæc militantis Hieruſalem Regia conticeſcit, dum Pacifica Sion meritas excitat laudes, quæ vna in Sanctitatis MARGARITA, ſua ſeu cumulauit, ſeu gloriæ ditauit Æraria, vt nobiliſſimæ Bichiæ Gentis ſit decus eximium, Eccleſiæ vtrique Sacros Heroes miniſtraſſe. Sed & mihi PRINCEPS EMINENTISSIME, *tandem eſt ſilendum, cum non ignorem, Uirtutem ſplendidè emicare, cum condignas promeretur laudes, durè torqueri dum recipit. Hoc debitum, etſi minimum mei obſequij argumen-*

gumen-

Digitized by Google

gumentum gratum habeas exoro, & quam in maximis intimam conteſtari deuotionem non valeo ex minimis dubiam ne verearis. Vale diù PRINCEPS EMINENTISSIME, *vt eius vota apprecantur, qui addictiſſimè obſequens, conteſtatur quòd ſit.*

EMINENTIÆ TUÆ

Humillimus Addictiſs. ac Deuotiſs. Seruus

F. Carolus Felix à S. Thereſia Carmelit. Diſcalc.
Procurator Generalis.

Digitized by Google

Præfatio Auctoris.

CVM argumentum præſentis Libri ſit oppidò neceſſarium, perquam vtile; nec minùs difficile, idcircò operæ pretium duxi, hoc ei prooemium, & animaduerſionem præmittere, quo eiuſdem proprietates, ordo, rerumque tractandarum ſeries, quam in ijs diſcutiendis tenere eſt animus, rectiùs valeant cognoſci. Cui tenuitas, noſtræque facultatis egeſtas pro re tanti momenti, vtì eſt regere, alijſque ducis munere præire (quod vnius Dei proprium eſt opus) abundè perſpecta eſt, inficiari haud poteſt, quàm multùm Regentes opus habeant directione Dei, & cælitus affuſa Diuinæ Sapientiæ luce; perinde quàm neceſſarium eiſdem ſit indeſinenter habere præ oculis conſilia, atque exempla hanc concernentia materiem, quæ in Sacris Paginis contenta, ſunt nobis declarata à Sacris Doctoribus. Si namque operoſum, & arduum eſt, regere ſeipſum, multò maioris difficultatis eſt alijs moderari, ſiue bonum particulare ſpectes, ſiue bonum commune, adeòque ſubditorum omnium. Si ijs, qui artibus, atque ſcientijs addiſcendis ſe addicere cupiunt, opus eſt, habeant docilitatem, animi ad eas inclinationem, indefeſſum ſtudium, intentos, & nunquam auerſos mentis oculos ad documenta, & præceptiones eorum, qui talium diſciplinarum Magiſtri, &

auctores fuere, vtique par eſt credere, rem tantæ difficultatis, atque momenti, quamque Deus à præſentaneo ſuo concurſu ita voluit dependentem (cuiuſmodi eſt regere) comparari, & exerceri non poſſe abſque continentibus eius auxilijs, & diſpoſitionibus paulò ante attactis.

Egregiè facit mecum, & dictis meis non leue adijcit fidei robur illud graue, & ſcitum Sanctorum Patrum effatum, quo breuiter gubernij finitionem, & difficultatem vnà complexi vocarunt. *Artem artium, ſcientiam ſcientiarum, & perfectam quandam, ac conſummatam ſapientiam*. Vt Doctor Angelicus notionem, atque ſignificantiam, quam vox (Sapiens) ſecum affert, aperiat, diſtinguit ſapientiam in perfectam, & imperfectam, addit deinde, quòd ſi de ſapientia imperfecta ſermo ſit (puta cum addito, & in aliquo tantummodo genere) ille, qui per cauſas ſublimiores, alijſque non ita perſpectas res, artem, vel ſcientiam aliquam concernentes integrè comprehendit, illarum in genere appellari ſapiens poſſit. Probat ex illo Apoſtoli cum Corinthijs de ſpirituali ſtructura agentis, quo ipſis affirmat, ſe in erectione eiuſmodi fabricæ inſtar ſapientis architecti fundamentum locaſſe. Hoc pacto, & ſenſu ille ſapiens architectus dici poteſt, ac debet, qui per principia, cauſaſque magis vniuerſales, ac certiores, totum, quòd ad architecturam pertinet, ita noſcit, & callet, vt hac in re inferiorum artificum poſſit eſſe Magiſter. Pari modo de alijs artibus, atque ſcientijs loqui, & philoſophari

D. Thom. 1. p. q. 1. art. 6. in corp.

phari

Digitized by Google

phari oportet. Si verò ſermo exiſtat, de ſapientia perfecta, & per excellentiam tali, deque homine, qui in omni rigore, & eminenter ſapiens vocari meretur, talem Sanctus Doctor illum eſſe affirmat, qui conſiderat, & ſpeculatur cauſam altiſſimam, totiuſque creati ſupremam, quæ non eſt alia, quàm cuncta ſupereminens, & vniuerſis infinitè ſuperſtans cæleſte Numen, & Deus. Iure ergo Africanus cenſuit Doctor per ſcientiam, rerum diuinarum notitiam denotari, quæ eſt virtus quædam, & habitus, longè excellentiore modo præ alijs noſtrum perficiens intellectum. Licèt autem ſcientiæ aliæ, quas ſimul cum ſapientia nonnunquam contingit, imò decet regentis menti ineſſe, inter ſe differant, & per ipſarum obiecta ab inuicem diſtinguantur, verumtamen manet, ſapientiam, qua de agimus, nonniſi vnicum ſpecie habitum eſſe. Præmiſſa itaque ſapientiæ in communi diſtinctione, pergit porrò Doctor Angelicus, & ſapientiam etiam perfectam in duo membra partitur, quæ diuiſio non parum luminis ſufficit ad pleniorem eorum, de quibus dicere conſilium eſt, intellectum.

S. Aug. to. 3. lib. 2. de Trinit.

Sunt (pergit loqui Angelicus diuinæ voluntatis Interpres) qui diuinas iuxta regulas firmum, ac certum formant iudicium, quà in contemplatione rerum cœleſtium, quà in bona directione, & gubernio rerum humanarum, quo ad eius eſt neceſſarium pro bono priuato ipſorum animarum, & hæcce ſapientia neminem eorum deficit, qui ſe integros præſtant à contagione

noxæ mortalis,planè vt gratia,qua reddimur Deo grati, ſine hac ſapientia inueniri non poſſit. In quibuſdam verò alijs donum ſapientiæ longè ſublimiorem, & eminentiorem obtinet gradum. Illa namque dotato non modo confertur ſublimium, atque Diuinorum myſteriorum notitia, ſed iuxta facilitas eadem explicandi, beneque in ſe, & alijs ordinandi regimen actuum humanorum ad diuinas conformiter regulas. Subdit deinde Sanctus Doctor, hunc ſapientiæ gradum non eſſe communem totis habentibus gratiam, qua Deo grati, & accepti euadimus, ſed eiuſcemodi ſapientiam ad illas iure gratias pertinere, quas Spiritus Sanctus diuidit ſingulis, provt vult, & nominantur gratiæ gratis datæ, hoc eſt, collatæ gratuitò.

Vt Caietanus hunc nobis (qui in rem non parum eſt pro Prælatis) planiorem faceret textum, paulò accuratiùs illum expendit, & docuit,quòd gratia nos Deo reddens acceptos, dum noſtram venit in animam,adeòque eam amicitiæ vinculo nectit cum Deo,ſcientia diuina nos ſapientes efficiat in noſtrum reſpicientes profectum. Sapientia verò Dialecto Scholaſtico gratia gratis data vocata referatur ad vtilitatem, & eruditionem proximi propter Deum. Inde fit, vt acceſſio ſapientiæ ſe extendentis ad proximum, per quam Prælatus, & Magiſter aſceticus dirigit, ſuaſque facit actiones in aliorum profectum, ad gratias gratis datas pertineat. Ex illa verò parte, qua perficit bonitatem illius, qui ea in ſuum vtitur proprium bonum, ſic ſpectet ad gratiam, quæ

nos

Digitized by Google

nos reddit Deo acceptos. Prælatus itaque bene regendi cupidus omnes diligentiæ neruos, & curas intendere, nec vlli parcere operæ, aut labori debet, vt à Deo promereatur, & obtineat hos duos ſapientiæ, & gratiæ gradus. Et quoniam ipſius muneris eſt, ſapientia ſua, operibuſque perfectis perficere alios, quis ſano vtentium iudicio inficias ibit? hoc eum conſequi non poſſe, niſi priùs exiſtat perfectus in ſeipſo, huncque in finem, vtì ſtudeat regulis, atque conſilijs, à Spiritu Sancto, in Sacris paginis nobis relictis, vt in operis proceſſu pluribus videre licebit.

Ex hactenus dictis ſatis, ſuperque liquet prærogatiua, & excellentia gratiæ, veræque ſapientiæ ſuperioribus, atque Prælatis omninò habendæ, vt dignè omnes officij ſui partes expleant, quam vtique decet eſſe omnium maximam, quæ in Eccleſia Dei valeat reperiri. Pro eadem præterea ſuadenda veritate etiam iura, Canones, & Sacroſancta Concilia ſuo nobis aſſiſtunt ſuffragio, dum ſanciunt, ordinant, atque decernunt, vt ad Rectorum officia nonniſi viri deligantur perfecti, ac tales, qui ſua multa probitate, atque prudentia, ſuæ curæ commiſſos ad perfectionem valeant promouere, quod neutiquam perficere poſſent, ſi priùs iam perfecti non eſſent, cùm nemo det, quòd non habet: dare namque (vt paſſim in ſcholis teritur) ſupponit habere. Hoc ergo genus Rectoribus nomenclatura ſapientium verè, præcisè, & præcellenti conuenit gradu, quippe in diuinæ ſapientiæ ſchola aliorum Magiſtris.

In

Digitized by Google

In comperto eſt, omnes Sacræ Scripturæ libros cœleſti ſapientia eſſe refertos, nullus tamen eorum ſapientiæ inſcriptus eſt titulo, vno ſolo ex libris Salomonis excepto, quem ipſe de ſapientia compoſuit, & voluit ſapientiæ librum vocari. Et quoniam ſapientiſſimus inter mortales, & prudentiſſimus Iſraelitici Dominatus Monarcha optimè nouerat, hoc argumenti genus nemini meliùs, quàm Rectoribus conuenire, ea propter ſuum de ſapientia elucrubatum librum Regibus, & ſub nomine Regum omnibus munus aliquod obtinentibus hac verborum formula dedicauit. *Ad vos ergo, Reges, ſunt hi ſermones mei.* Et ne cauſam ſilentio tranſmitteret, qua ad hoc faciendum adductus, proximè, & ſine cuiuſquam interpoſitu hæc verba ſubiunxit: *Vt diſcatis ſapientiam, & non excidatis.* Quaſi apertiùs dicere vellet, ſupremam inter homines ſapientiam conſecutus à Deo; opus de Sapientia animo concepi, elaboraui, atque perfeci, Vobiſque regentibus eo fine dedicaui, vt ex aſſidua eius lectione diſcatis ſapientiam, bonos regendi modos, condignas pro veſtro munere qualitates, ſanos iudicandi de omnibus ſenſus, quibus, vt par eſt, inſtructi, vos ipſos, & alios vobis ſubiectos perficere valeatis, in contemplatione, actione, rerum notitia, atque amore perfecto primæ cauſæ, & vltimi finis, qui eſt Deus ter optimus maximus, Conditor, atque Supremus Monarcha Cœli, & Terræ. Quàm ſublimi ergo, & rara ſapientia, vt ſupra meminimus, oportet regentem eſſe inſtructum? Et quoniam leges Eccleſiaſticæ,

Sap. 6.

cæ,

cæ, atque ciuiles ſunt duo regiminis claui, & cardines, ſupra quos ſacra, iuxta, atque profana Reſpublica in Eccleſia vertuntur, conficitur inde, bonam, aut malam earum adminiſtrationem ex ambarum legum obſeruatione, & vſu potiſſimùm dependere. Quid autem interſit diſcriminis Eccleſiaſticam inter, legemque ciuilem, & inter ambarum fines, Doctor Angelicus his nobis patefacit verbis. *Sicut intentio principalis legis humanæ eſt, vt faciat amicitiam hominum ad inuicem, ita intentio diuinæ legis eſt, vt conſtituat principaliter amicitiam hominis ad Deum, cùm autem ſimilitudo ſit ratio (ſiue cauſa) amoris ſecundùm illud Eccleſiaſtici, videlicet omne animal diligit ſimile ſibi, impoſſibile eſt, eſſe amicitiam hominis ad Deum, qui eſt optimus, niſi homines efficiantur boni: vnde dicitur Leuitici* 19. *Sancti eritis, quoniam ego Sanctus ſum.* Vt Caietanus hanc Diui Thomæ inter has duas leges, earumque Cuſtodes ſtatim allatam diſtinctionem fuſiore nobis dilucidaret commento, acutè ad rem noſtram tetigit, & obligationem cuſtodum legum diuinarum accuratè in hæc ferè verba expendit. O Prelate, & Rector Eccleſiaſtice, nolo, indiligenter animaduertas, tibi præcipuè ex præſcripto legum diuinarum eſſe regendum, quarum potiſſimus finis eſt amicitia, & charitas hominis aduerſùs Deum, in quem oculos indefeſsè aduertere, ibique defixos ſemper tenere, hoc nimirum eſt præfixæ metæ tuæ centrum, in quod, vt contingas, dextrè collineare, hoc ingens illud totius negociationis, & Prouinciæ tuæ lucrum, ad quod

S.Thom.1.2. q.99.ar.9. in corp.

tan-

tandem faciendum, & conſequendum cor tuum ſine remiſſione aſpirare debet, in id pertinaci tibi incumbendum eſt animo, omnes intendendæ vires, & curæ, omnes nauandæ operæ, omnes impendendæ induſtriæ, eò dotes gratiæ, & naturæ vertendæ. Nec vnquam, tibi perſuaſum velis, te munus tuum dignè obijſſe, omneſque eius partes expleſſe, externa ſolummodo pace tuis ſubditis procurata, quòd effectu non impromptum eſt cuilibet etiam Sęculari Regenti, cuius regimen alium finem non ſpectat, niſi externam ſui populi pacem. Verba profectò digna tam ſapiente, & in gubernio Eccleſiaſtico, ciuili, & regulari apprimè verſato viro. Si enim Eccleſiaſticorum, potiſſimùm verò Regularium Præſulum probè examinetur obligatio, nil ſupereſt dubij, quin iſtorum ſit longè maior, eaque deuincti ad præſtandum quid ampliùs teneantur. Poſito namque eos regendis animabus eſſe admotos, nullus qui rerum aliquantum eſt gnarus, ire inficias poterit, quin ipſorum muneris ſit, animarum cum Deo amicitiam, & vnionem impensè curare, hocque in ſtatu ſemel poſitas, vt in eo perſiſtant, pro poſſe tueri, eumque demum regendi modum tenere, quo earum ſingulas iuxta, ac vniuerſas, adeòque totum ſimul communitatis corpus in pace valeat conſeruare externa, quæ profectò originem trahere, & exiſtere debet à pace, & vnanimitate ſingularum interna. Nullo ergo modo eiuſmodi Superior ſatis habere debet, ſi duntaxat externam in ſuam Communitatem inuexerit pacem. Pergit propterea idem

Diui

Digitized by Google

Diui Thomæ purpuratus interpres, magiſque dilucidè, de quo ſuperiùs, in hæc ferè verba confirmat. In regendis animabus arte artium, O Prælate, te vti oportet, & ex illius regulis, atque præceptionibus ſuper gregem tuum exſomni animi vigore tibi inuigilandum eſt, quo demum modo, habita ſemper boni communis ratione, amicitiam versùs Deum vnicè curare, & opere introducere valeas in ſingulos æque, ac vniuerſos tuæ curæ commiſſos, vt hac ratione tuæ Communitati non inſcitè adaptari valeant illa Epithalamij Salomonici verba, quibus cæleſtis Sponſus ſuam affatus eſt ſponſam, quorum tenor eſt talis: *Tota pulchra es amica mea, & macula non eſt in te.* Inter alias obligationes, quibus tam Eccleſiaſtici, quàm Sacrorum ordinum Rectores, potiſſimùm verò Reformatis cœtibus moderantes tenentur, cenſuit Diuus Thomas, & Caietanus etiam illam vnam, & quidem principem eſſe, qua cuncti, quos diximus, ſpeciatìm verò poſtremi exiguntur, vt nihil priùs habeant, & reliquis omnibus ea ſemper anteponant, quæ ad internum ſpectant, faciunt, atque conducunt animarum gubernium.

Noſtra itaque conſilia à me eo fine traduntur, vt ijs non perfunctoriè obſeruatis, atque ſecutis hæc præcipua Sacrorum Præſulum obligatio faciliore negotio deduci poſſit ad opus, dignèque reduci ad praxim, cùm omnis profectus, ſplendor, ſtatuſque religioſi incrementum, (qui nobilior eſt portio gregis Chriſti, adeòque totius populi Chriſtiani perfectio inde dependeat.

Digitized by Google

Ex iam præhabitis duo conficere licet, primum eſt, quòd ille foret multùm arrogans, inconſultus, ac temerarius, ſeque non leui pœnæ obnoxium faceret, qui perſonas Deo votas, atque dicatas regere, atque condigna arte tractare ſibi fideret ſine aſſidua Dei directione, & abſque peculiari Sacrarum litterarum ſtudio. Hoc enim pro dignitate, &, vt par eſt, præſtare, eſt vna ex rarioribus gratijs Domini Dei, & pro obiecto (vt ſcholæ vocant) habet, introducere, & firmare amicitiam Deum inter, & populum eius. Rem autem tanti momenti à ſe obtinere, vix cuiquam integrum eſt, niſi quæſitiſſimum, & defœcatiſſimum ſapientiæ cremorem, & florem à Domino fuerit conſecutus.

Secundum eſt, quòd ſi fuſiore ſtylo, & calamo perſequendo hoc argumentum, grandius opus, & non conciſum dumtaxat opuſculum conficere voluiſſem; ſi porrò diſſimilia ijs, quæ in varijs Sacræ Scripturæ continentur locis, & à diuerſis ſunt declarata, ac prudentiſſimè executioni mandata Doctoribus, conſilia tradidiſſem, & præſcripſiſſem, pro temerario forſan à nonnemine haberi, et proclamari potuiſſem, cum autem tam ab vno, quàm ab altero ſtylum meum dedita opera abſtinuerim, in neutro, debito meo me defuiſſe teſtatum faciunt, & opuſculi mei breuitas, & conſiliorum meorum ex Sacris tam paginis, quàm Doctoribus deſumpta auctoritas.

Laborem, & operam, quam poſui in hoc ſcribendo libro, quod attinet, propemodum mihi polliceor, cum ab

Digitized by Google

ab vniuerſis ad gubernij clauum ſedentibus, æquo, & beneuolo animo fore excipiendum, bonoque apud eos loco, & haud ingratum futurum; & in primis quidem apud Præſules diuini cultus promouendi ſtudio flagrantes, ac in vobis habentes, cunctis officij ſui partibus faciendi ſatis. Deinde idem de Rectoribus non à longo tempore promotis ſpero, quibus acceptum erit, quòd ex meo labore noſcere valeant ea, quæ muneris eorum poſtulat ratio.

Poſtremò non minùs apud rerum expertos, quibus huius libri opera facilior euadet vſus experientiæ à longo tempore iam comparatæ. His denique prælibatis placet nunc paucis expedire aliquas cauſas, quibus adductus ſum ad hunc elaborandum tractatum.

Prima earum eſt: nam, cùm ex vna parte viderem argumentum hoc tantæ conſiderantiæ, neceſſitatis, & difficultatis eſſe, & tamen ex altera parte vix librum extare, qui illud ex profeſſo tractet, atque expendat, conficiebam inde, id cauſæ eſſe, quòd complures Prælati conſilia à Spiritu Sancto tradita, atque à Sanctis Patribus, & Magiſtris Aſceticis paulò accuratiùs (modum gubernandi, quòd attinet) diſcuſſa ad manum non haberent. Qua de cauſa operæ pretium me facturum putaui, ſi ſuper hoc argumento aliquid data opera elucubrarem, publicæque omnium regentium vtilitati euulgatione exponerem.

Cauſa altera, à qua ad idem capeſſendum inductus ſum conſilium, talemque in me ſuſcipiendum

Digitized by Google

laborem, fuit cùm grauitas, dignitaſque materiæ, tum ſeſe in dies offerentium Prælatis, potiſſimùm inſtituta reformata adminiſtrantibus multiplicitas occaſionum, in quibus huiuſmodi opus habent, & vti debent conſilijs. Quapropter vt pro omni occurrente euentu in promptu ſemper habeantur ab ipſis; eorumque memoriæ firmiùs imprimantur, hæcce conſilia, conſultum habui, ſi in ijs tradendis ordini virtutum inſiſterem, vtì & faciam, in quarum ſingulis haud indiligenter aduertam, quæ volentem munus ſuum exactè obire, noſſe oportet; dum tamen nonnulla magis generalia principia præmiſero, & aliquid de virtutibus Theologicis prę-locutus fuero.

Ad hoc ordine in proſecutione libri procedendum, anſam, & fundamentum mihi præbuit Doctor Angelicus, qui, quidnam iuſtitia legalis importet, enucleatiùs expendens ait, ipſam quadantenus virtutem generalem eſſe, ſi verò ipſam eius naturam attendas, virtutem eſſe ſpecialem, Superioribus, atque Prælatis, vtì Subditorum ſuorum Magiſtris, & in via perfectionis ducibus omninò propriam, cuius virtutis officium eſt, proximè legis impletionem ſpectare, remotè verò bonum commune.

Ex hac poſitione conficit Sanctus Doctor, actus omnium virtutum eſſe opera iuſtitiæ legalis, prout referuntur ad eundem, ad quem ipſa finem, huiuſque habita relationis ratione poſſe eiuſmodi actus ab ipſa imperari, & vocari actus iuſtitiæ legalis, differentiam

proin-

Digitized by Google

proinde eorum ad inuicem in alio non verſari, quàm penes diſtinctas (vt Scholę vocant) formalitates, vel mentis præciſiones.

Tertia cauſa, qua ad nauandam hac in re operam, me ſenſi extimulari, ſunt non paucæ, quæ dantur, Deo Sacrarum, & religiosè viuentium perſonarum communitates, quarum Antiſtitæ ad eadem prorſus præſtanda tenentur, ad quæ exiguntur Prælati, & quia ipſis certæ vulgari lingua editæ non ſuppetunt regulæ, documenta; atque præceptiones, quibus ſecutis dignè ſe gerere, ſuoque ritè fungi officio valeant, contingit perſæpe, eas huiuſmodi adminicula in promptu, cùm opus ſunt, non habere. Vt ergo iſti earum neceſſitati conſulerem, placuit mihi hunc quantum quantum literarium meum laborem in lucem edere lingua vulgari.

Quarta, & poſtrema ordine cauſa, qua ad hoc ſcriptionis genus perſuaſus ſum, eſt communis vtilitas Reipublicæ Chriſtianæ: cùm enim præcipuus Eccleſiæ Dei neruus, robur, & firmamentum ſint adminiſtri Euangelici, qui moderno tempore comparatè ad reliquos ſunt in Sacris ordinibus numero Superiores, profectò per plurimùm totius populi Chriſtiani intereſt, ſi totum Eccleſiæ corpus per eos dignè adminiſtretur, quo autem id modo, ac ratione ab ipſis conficiendum, vt norint, normam aliquam hic meus liber ipſis ſufficiet, in quo licet tam Sacrum, quàm profanum Rectorem arte regendi pro meo modulo inſtituere laborem, potior tamen ero in Sacro inſtituendo.

Cæte-

Digitized by Google

Cæterùm, ſi res probè examinetur, erit hæc mea qualiſcumque demum inſtructio vſui, non Prælatis modò, verùm etiam Sacris Præconibus, conſcientiæ moderatoribus, denique quibuſcumque Magiſtris Aſceticis, & Inſtructoribus animarum.

F. Hono-

Digitized by Google

Fr. Honorius ab Aſſumptione Præpoſitus Generalis Carmelit. Diſcalceat. Congregationis S. Eliæ Ord. B. M. V. de Monte Carmelo, & eiuſdem S. Montis Prior.

TEnore præſentium, quantum ad Nos attinet, facultatem concedimus, vt typis mandari poſſit Liber, cui titulus, *Conſiliarius Spiritualis Prælatorum*, initio compoſitus lingua Hiſpanica ab Adm. Reu. P. N. Alphonſo à Ieſu Maria, olim Præpoſito Generali Carmelitarum Diſcalceatorum Congregationis Hiſpanicæ, deinde in linguam Gallicam conuerſus, modo verò ex Gallico in idioma Latinum ab vno Religioſo Congregationis noſtræ Italicæ Sacerdote Profeſſo traductus. Datum Romæ in Conuentu Noſtro S. Mariæ de Scala die 22. Ianuarij 1692.

Fr. Honorius ab Aſsumptione Præpoſitus Generalis.

F. Carolus Benedictus ab Annunciatione Secretarius.

Appro-

Digitized by Google

Approbatio.

IVſſu Reuerendiſs.P. Fr. Thomæ Mariæ Ferrari Sacri Pal.Apoſt.Mag. accuratè Opus perlegi, *Conſiliarius Spiritualis Prælatorum*, inſcriptum. Et nihil in eo aut bonis moribus, aut Fidei Orthodoxæ diſſentaneum offendi, imò ſaluberrima Conſilia, validiſſimis doctrinis, pluribuſque Sanctorum Patrum auctoritatibus nixa, quibus ſe poſſunt Prælati, Animarumque Directores in via æternæ ſalutis, ſumma facilitate dirigere, & alios. Tanquam igitur omnibus perutile, & luce, & laude dignisſimum cenſeo. Romæ in Ædibus S. Andreæ de Valle, hac die 13. Decembris 1692.

D.A.Thomas Schiara Cler.Regul. S.T.P.

Imprimatur.

Si videbitur Reuerendiſs. Patri Magiſtro Sacri Palatij Apoſtolici.

I.Steph.Menattus Epiſc.Cyren.Viceſg.

Imprimatur.

Fr.Franciſcus Maria Forlani Reuerendiſs.P. Fr.Thomæ Mariæ Ferrari Sac.Pal.Apoſt.Mag.Socius Ord.Præd.

DISCVR-

Digitized by Google

DISCVRSVS PRIMVS

Hoc in diſcurſu, qui ſuum à fine Sacræ Præfecturæ, eiuſdemque aditione initium ſumit, tria expediuntur. Primo loco eſt obligatio, ratione cuius Prælatis, vt Communitatum ſuarum Capitibus, & myſticis facibus incumbit, vniuerſis earum membris impertiendi Spiritum vitæ, & veritatis. Deinde condocetur, quæ ipſis ineunda ſit ratio, & adhibendi modi, vt hunc conſequantur effectum. Poſtremò inſinuatur, quid ipſis facto opus ſit, ad dignè explendum munus in ſe ſuſceptum.

§. I. & Concilium I.

De ordine Hierarchico, qui reperitur in Sacris Cœtibus, Myſticiſque Religionum Corporibus, ac de eorum, qui in ijs loco Capitum ſunt, onere, ſeu obligatione.

DOCTRINA, quam hic tradit Paragraphus, locum præferet ad meliùs capiendam, atque perſpiciendam obligationem, cui Capita, Prælati, atque Rectores Sacrorum Ordinum, ſubiacent, iniunctique muneris ratione tenentur aſſiduè in hanc curam incumbere, vt non ſolùm quæcunque falſa pronunciata, perperàm fundata opinamenta, omneſque malos manantes inde ſermones, ſiue aperta fronte mali ſint, ſiue veri ſpecie

Digitized by Google

obtecti, e ſuis Communitatibus aboleant, eliminent, atque extirpent: verùm etiam doctrinæ ſuæ luce ſibi Commiſſos purgent, illuminent, atque perficiant, quæ debet eſſe propria ipſorum functio, & occupatio. Vnde vt tam huic, quàm reliquis officij ſui partibus, prout decet, ſatisfacere valeant, præſcribuntur hic aliqui modi, in quorum numero non infimo ponendus eſt loco, quo ipſis conſulitur, vt purgati, illuminati, & perfecti eſſe conentur, quò hac ratione ſuos ſibi ſubiectos Diſcipulos, Deo conſimiles efficere poſſint pro maiore Numinis gloria, bonoque communi Corporis myſtici Eccleſiæ eius.

Poſt magnum illud, & admirabile Athenis exortum Myſticæ ſcientiæ lumen, Diuinum Dionyſium volo, plures Patrum affirmant, perinde in Eccleſia Militante, ac Triumphante, ordinem dari Hierarchicum; inter illos diuus Thoma eſt vnus, qui ſuam hac ſuper re mentem his aperit verbis: *Hierarchia Eccleſiaſtica exemplatur à Cæleſti*.

D. Thom. 12. q. 108. art. 4. arg. 3.

Deinde eiuſdem Areopagitæ iudicis veſtigijs inſiſtens, naturam huius pulcherrimi ordinis in hunc nobis modum deſcribit. *Hierarchia eſt Sacer Principatus*. Ex duobus ergo Hierarchia conflatur, ex capite principatum tenente, & ex membris bene ordinatis, vnionis vinculo colligatis, & ritè à capite adminiſtratis. Ita itidem ſenſit Doctor cognomen ab Angelis ſortitus, cuius iſta ſunt verba: *In nomine autem principatus duo intelliguntur, ſcilicet ipſe Princeps, & multitudo ordinata ſub Principe*. Capitis autem in Hierarchia aſpectabilis Eccleſiæ officium eſt, in ſua ſibi ſubdita membra præſtare influxum, vt inter cœleſtes ſpiritus vſu venit, quorum ſuperiores inferiores illuminant, vt eos in ſcientia, ſi quam habent, rerum purgent, quarum notitia potiuntur Superiores, hacque ratione ipſos perficiant non in ſcientia ſolùm, ſed etiam alia quacunque in re, quam Superiores valent communicare, inferiores verò ab ijs accipere. Hic nobilis in Eccleſia militante principatus conſtat ex multitudine bene ordinata vniuerſorum Fidelium, cuius Caput eſt Pontifex, Vicarium Chriſti (qui caput ſupremum eſt) tenens locum in Terra. Paris formæ ordo certa quadam ratione datur etiam in Congregationibus, & diuerſis Adunationibus Chriſtianorum, quæ differentibus, quas habent, legibus per Sacros Præſules, atque Miniſtros Chriſti adminiſtrantur.

Idem 1. p. q. 108. art. 1. in corp.

Idem ibidem art. 1.

Digitized by Google

Oculatiſſima diuinæ facultatis Aquila, Diuus Thomas, vigilantiùs ad cernendum verum deducens oculos, & ſingulas Hierarchiæ partes perſcrutans, cum primario olim Areopagi Iudice has ordinis Hierarchici memorat partes. D.Thom.1.p. q.108. art.1. in arg.2.

Hierarchia eſt ordo, ſcientia, & actio. Hic etenim ordo ſua intentione fertur, contendit, atque dirigitur ad alios ſalutari ſcientia, cœleſtique Sapientia imbuendos, & ad commendatione digna opera ſtrenuè exercenda inducendos, ita, vt huius in Eccleſia militante Sacri ordinis (tranſmiſſo interim ordine Hierarchico Angelorum) finis ſit, nos Sapientiæ, bonitatiſque diuinæ participare, Deoque quoad per nos licet, conſimiles facere. S. Dionyſ. c. 3. de cœleſt. Hierar.

In hac ſiquidem bene ordinata Societate habetur cura, & ratio boni communis omnium componentium eam. Quoniam ſi caput, benigni ſyderis inſtar, ſalubriter influxum præſtet in membra, & membra, quod in ſe eſt, mutuam inuicem ferendo opem, ſuis partibus neutiquam deſint, tum mutui huius concurſus, communicationiſque reciprocæ opera non membrorum ſolùm, ſed ipſius etiam capitis promouetur perfectio, & tandem quidquid hac in parte ab vtriſque peragitur, totum in publicum vniuerſitatis bonum, ac incrementum cedit, atque redundat.

Quo de loquimur, vt pleniùs percipere liceat, facem præferunt verba, à Diuino primitùs prolata Dionyſio, tum ex ipſo ab Aquinate citata Theologo, quibuſcum hic, & ille affirmat ex firmo, & ſtabili Diuinæ legis decreto alium appropinquandi Deo inferioribus non patere aditum, niſi per ſuperiora, vtpote amplioribus bonis præ illis impertita à Deo. Propria autem diui Thomæ hac ſuper re verba ſic habent: *Dionyſius dicit, hanc eſſe legem Diuinitatis immobiliter firmatam, vt inferiora reducantur in Deum per ſuperiora.* Proinde quantò res, quas ad benefaciendum alijs Deus pro inſtrumentis, & cauſis ſecundis aſſumit, propiùs Diuinam Maieſtatem ob ſuam perfectionem accedunt, tantò perfectiùs res inferiores ab ipſis dependentes Deo aſſimilant. Teſtem huius Rei denuo diuum Thomam produco, qui refert Sanctum Dionyſium, ita loquentem. *In definitione Hierarchiæ ponit Dionyſius, quòd Dei formæ, quantùm poſſibile eſt, ſimilat.* Vbi etiam loci idem myſticarum affectionum profundiſſimus Perſcrutator obiter, & in tranſcurſu, addocet, quòd Deus in Creaturas ea gratia ſua conD. Thom. 1. p. q. 108. art. 3. Idem 1. p. q. 108. art. 4. in arg.

tulerit bona, vt eorum participent alias, de ratione namque boni eſt, commune ſe facere. Inde eſt (vt in Creaturis corporeis videre licet) quod omnem pro poſſe conatum adhibeant, vt ſibi ſimiles producant, & quò ampliùs bonitatem, Diuinam, eiuſque perfectiones participant, eò ſtudent intentiùs earum alias participare. Magiſter deinde Angelicus ad incorporearum communicationem rerum hanc doctrinam extendens, refert illud Petri Apoſtoli conſulentis, vt vnuſquiſque varia dona, & gratias ſibi à Deo collata in alios tanquam fidelis miniſter diſpertiat. Hac itaque ſuper re ſic differit Aquinas Theologus. *Omnes Creaturæ ex Diuinæ bonitate participant, vt bonum, quod Habent, in alia diffundant: nam de ratione boni eſt, quod ſe alijs communicet. Et inde eſt etiam, quod agentia corporalia ſimilitudinem ſuam alijs tradunt, quantùm poſſibile eſt. Quantò igitur aliqua agentia magis in participatione Diuinæ bonitatis conſtituuntur, tantò magis perfectiones ſuas nituntur in alios tranſfundere, quantùm poſſibile eſt. Vnde dicitur: Vnuſquiſque ſicut accepit gratiam, in alterutrum illam adminiſtrantes, ſicut boni Diſpenſatores multiformis, gratiæ Dei.* Illo in loco, vbi Athenarum olim per vices, & Præſul planum pro primo facit, quæ à Deo tam in capita, quàm membra lectis incunda ſit ratio, vt ipſis pertingere liceat ad participandum, potiundumque bonis, ac rebus in vtilitatem tam communem, quàm priuatam cedentibus, quæ ex ordine diuino (quo de loquimur) Deus ipſis conferre decernit. Deinde quid Capitibus facto opus ſit, vt exactè munus ſuum obeant, Deoque condigno modo ac ratione famulentur, tanquam fidi Curatores Theſaurorum eius, quos ipſorum interuentu diſtribuere cogitat vniuerſis Eccleſiæ ſuæ myſticis membris. Hoc, inquam, quo fatus hæc explicat, loco, iuxta docet, omnem tam humanum, quàm Angelicum bene ordinatum Spiritum diuerſas virtutes, & operationes habere, quarum aliquæ dicuntur primariæ, intermediæ aliæ, nonnullæ poſtremæ, per quas homo, & Angelus ad normam ordinis Hierarchici bene ordinati ſe habiles, & idoneos reddunt, ad recipiendam, & pro modo ſuæ præparationis reipſa à Deo accipiunt ſuarum imperfectionum purificationem, cœlituſque ſuper ipſos irradiante Numine ſupernum lumen, cuius opera ad ſuam poſtremò prouehuntur perfectionem. Hæc itaque ſunt adminicula, & ad animæ bonum ſpectantia dona, quæ collata à Dominatore ſupremo Acceptores conformes, atque

Idem 1. p. q. Iob. art. 4. in corp.

S. Petri &c.

Digitized by Google

atque conſimiles ipſi efficiunt. Ex quibus neceſſaria conſecutione conficitur, quòd, ſi Deo ſimiles eſſe velimus, pro poſſe in eam nobis incumbendum ſit curam, vt ſtrictè cum ordinem teneamus, quem Angelici Spiritus in ſuis ſupremis, medijs, atque poſtremis actionibus inuiolatè cuſtodiunt, quod eſt dicere, vt per motus, & operationes animæ principales ſimus bene ordinati cum Deo, per medias ad nos ipſos, per infimas, & poſtremas cum eo, qui extra nos eſt, hacque ratione erimus bene ordinati, omni ex parte, noſtræque actiones diuinis ſimiles, grataeque erunt oculis Dei; per eas ſiquidem à Deo purgamur, illuminamur, atque perficimur, in quem ad extremum perfectionis ſublimati gradum, appoſita euademus inſtrumenta ad præparandos alios pro adeptione eiuſmodi purificationis, cœleſtis luminis, atque perfectionis, dignèque munus adminiſtrorum, conſocialiùmque operarum Dei implebimus, qui demum tanquam caput ſupremum totum operatur in nobis. Ad ſummum; ex miſtico diui Dionyſij Salutarium hactenus in rem noſtram affatorum documentorum fonte haurire pro coronide, diſcere, atque deducere poſſumus, quænam Præſulibus (qui iniuncti officij ergò, ac duplici charitatis, & iuſtitiæ titulo, ſuæ curæ Commiſſos purgare, illuminare, atque perficere tenentur) impendenda ſit cura, & opera, vt tam ſui, quàm aliorum profectus habita ratione, muneri ſuo pro dignitate facere ſatis valeant. Ex mente enim myſtici huius Magiſtri, hoc, vt decet, & par eſt, præſtare neutiquam poſſunt, niſi priùs in propria purgatione, illuminatione, atque perfectione obtinendà omnem pro poſſe poſuerint operam. Quoniam idem myſticorum arcanorum Rimator rem impoſſibilem iudicat, vt quis emaculet alios, niſi maculis purus, & integer vitæ, vt quis alijs lumen affundat, caloremque inducat, niſi ſuperno lumine illuſtris, & inflammatus, vt quis perfectionem affricet alijs, inops ipſe perfectionis, aliàs inuerſo, & præpoſtero ordine omnino laboratur in vanum, ita vt ipſimet etiam Philoſophi naturales iuxta atque morales, qui vnquam ſtylo eiuſmodi proſecuti ſunt argumentum, hanc veritatem pro inconcuſſa, atque indubitata ſemper probarint, tenuerint, atque docuerint. Facit item pro nobis illud à Diuo Thoma poſitum, vt certum principium, quo generaliter affirmat, omne agens ſuum neutiquam producere poſſe effectum, niſi ſit (vt vocant) actu perfectum.

D. Thom. 3. contra gent. cap. 21. fectum. Eius ſic ſonantia, propria verba produco: *Vnumquodque enim agit, in quantùm eſt actu perfectum*. Et hanc doctrinam Inſtructores animarum, atque Prælati bene capere debent, quia eſt vna ex magis momentoſis, ac neceſſarijs, ne eam neglectui habentes ſe exponant periculo, ſibique ſubditos perditum eant, adeòque ab ipſis præ oculis indeſinenter habenda; quia, vt Liberator animarum noſtrarum loquitur, ſi lumine orbus oculorum vſu carenti præſtet ducatum, neceſſe eſt, ſeſe inducant ambo in foſſam. *Luc. 6. v. 39.* *Nunquid poteſt cæcus cæcum ducere? nonne ambo in foueam cadunt?* Ad hoc Chriſti effatum reſpicere, ſeque in eo fundare Diuus Thomas videtur, dum pro veritate certiſſima, probationiſque haud indiga audet aſtruere, à nullo Officium Sacri Præconis, vel Magiſtri aſcetici, multoque minùs Prælati eſſe ſuſcipiendum, niſi maculis ſit priùs abſterſus, & in virtute perfectus; ſic namque *D. Thom. 3. p. q. 41. art. 3. ad 1.* ore ſuo Angelico in hæc verba proloquitur. *Nullus autem debet aſſumere prædicationis officium, niſi priùs fuerit purgatus & in virtute perfectus*. Enim verò impoſſibile eſt, vt quis vſui, ſubditiſque profectui ſit, ipſis maculas eximat, luce perfundat, atque perficiat, ſi miros non fecerit in virtute progreſſus, potiſſimùm regimini earum communitatum admotus, quæ dant operam exercitijs valde perfectis, & non ſegniter, ſed ſedulò curant, atque inſiſtunt ad arduum virtutis ſubire, atque euadere. Idem condocemur à Spiritu Sancto, qui in varij Sacræ Scripturæ, locis, Prælatos & Moderatores animarum Cœlos, Deoſque appellat, ambæ autem hæ voces excelſum, & præclarum, quid denotant, quo tam glorioſo inſignes titulo præſtare cœteris debent, ne illum in vanum, & inaniter portent. Doctor gentium, & vas electionis totam perfectionem in Regentibus requiſitam his paucis complexus eſt verbis. *1. Timoth. 3. verſ. 2.* *Oportet Epiſcopum irreprehenſibilem eſſe*. Quod eſt dicere ità perfectum, vt à nemine quidquam in eo reprehenſione dignum notari poſſit. Quem Sancti Patres vt Magiſtrum, ſecuti idem argumentum luculenta exageratione, ſtylique prolixitate diſcuſſere. Vti octauo diſcurſu ponam in medio.

Interim lectori dabo in anteceſſum Diuum Ioannem Chryſoſtomum hac ſuper materia grauiter loquentem, qui poſtquam dixerat, in animarum Magiſtros, atque Prælatos electos cæteris longè eminere debere, eoſque animi virtute in tantùm excedere, quantùm corporis excelſitate Saul excedebat

Digitized by Google

bat vniuerſos Hebræos, continuò adiungit, quod cuperet, vt maior etiam foret iſte exceſſus: Par namque eſt, vt Rector eo modo ſuperet cæteros, quo homo vſu rationis, liberoque arbitrio præditus tranſcendit bruta vtriſque carentia. Prælati etenim ſuſtinent perſonam Paſtoris, cuius eſt paſcere, ſubditi verò ſunt gregis inſtar, qui paſcitur. Poſtmodùm inſtituto ſermoni finem imponens concludit, grates agendas Deo, quòd non maius quid exigatur. Forma verborum eius hæc eſt. *Quanta inter ſe differentia homines rationis vſum habentes, & bruta ratione carentia diſſident; tantùm ſanè diſcrimen inter eum, qui paſcit, atque eos, qui paſcuntur, eſſe velim, vt ne maius etiam exigam.* Hanc Diui Chryſoſtomi mentem refert Doctor mellifluus in libro ſententiarum. Gregorius autem re, & cognomine Magnus non ſolùm eam, & verba, quibus conſtat, diſtinctiùs explicat, ſed etiam, quid ipſe hac in re ſentiat, ſuam à placito oris aurei non diſſonam varijs in locis manifeſtat, & palam facit opinionem, eoque affirmat, partes Paſtoris ouium eſſe, vt vigore modi viuendi, atque docendi, ſuæ excelſitatem dignitatis, adęquet ſplendore, & excellentia conuerſationis, quod tum demum præſtatur ab eo, ſi vita, & doctrina eius talis conditionis ſint, vt ſubditi ab eius ore audire, & ex operibus ea, quæ ſibi opus ſunt, proſpicere valeant, harumque duarum ſatisfacti ſplendore rerum ita excedantur, & ſuperentur ab eo, vt nihil vituperatione dignum in ipſo inuenire, neque faſtigium perfectionis eius capere: multò minùs eò pertingere valeant. His autem verbis Doctor moralis ſuum ſenſum denudat. *In tertio quippe die Paſtor aſpicitur, quando ſublimitatem dignitatis ſuæ adæquat ſplendore conuerſationis, quando cæleſti indutus virtute, ea vita, eaque doctrina ſubditis lucet, vt videri ab eis poſſit, diſcuti, & iudicari non poſſit.*

D. Chryſ. to. 5. lib. 2. de Sacerdot.

Gregorius Magnus in Reg. c. 5. ad illa verba videntes autem eum.

Placitum Deo fuit, vt typus huius rei in Moyſe præcederet, dum de monte facie tanto ſplendore referta deſcendit, vt licet populus claritatem vultus eius vtcunque diſcerneret, eam tamen nec fixè aſpicere, nec penetrare valeret, quod hiſce verbis Diuus aduertit Gregorius. *Talis quidem erat Moyſes, quando lucidiſſimo vultu à monte deſcendit, cuius ſubditi fulgorem videbant, ſed in fulgentem claritatem intendere viſum non poterant.* Hoc denique eſt, quod ordo Hierarchicus poſtulat, vt quis ſit caput perfectum, & numeris omnibus abſolutum, à Deo regendis animabus pro communi earum bono impoſitum, at-

Exod. 34.

que

Digitized by Google

que præfectum. Meus tamen lector non indiligenter aduertat, nos hic non agere de perfectione naturali, licèt conſuetum ſit, vt etiam hæc præſtent Prælati, ſuoſque excedant ſubditos, ſintque proinde ingenij magis experrecti, magis rerum intelligentes, magis ſagaces, magis ſolertes, & verſuti, magis ſcientijs exculti, magis cordati. Ex his tamen, & pluribus alijs naturæ dotibus conflata non eſt illa perfectio, quam hic ſtylo proſequimur: perfectio enim, qua de agimus, eſt ad mores pertinens, & ordinem, ſupergrediens naturalem, ratione cuius conſtringuntur Prælati melioribus ſubiectis eſſe ſuperiores oratione, contemplatione, ſapientia, prudentia ſpiritus, gratia, amicitia Dei, omnibuſque eam comitantibus donis, atque virtutibus, per quæ fiunt homines excellentiore modo participes proprietatum, perfectionumque diuinarum, vt tanquam fideles miniſtri, dignique Vicarij diuinæ ſeruiant Maieſtati, vt Gregorius prima parte ſui paſtoralis cap.20. docet.

Ratio huius rei magis fundata, ſolidior, principioque ex Sancto Dionyſio à nobis ſupra allato conformior eſt: quoniam ſicut intra ordinem purorum, beatorumque Spirituum habent Angeli ſuperiores, qua purgent, illuminent, atque perficiant inferiores, virtutem quandam, ſibi in eminentiore perfectionis gradu collatam à Deo, qua hoc genus præclaros in his illi producant effectus, ita poſito, quòd talis virtus, eminenſque perfectio non detur in hominibus, qua Prælati pro auctoritate, & poteſtate, quam habent, operari poſſint in ſubditos; eius tamen loco neceſſe eſt, dari aliquid aliud; verbi gratia, vnionem cum Deo, præſentaneumque eiuſdem concurſum, quo opus habent, vt ipſi tanquam fideles in diſtributione donorum, & gratiarum eius adminiſtri, dignè, & laudabiliter famulentur. Hic per tranſennam opus notare eſt, noſtra conſilia ad perfectum ſuperiorem deſtinari formandum, quem prudentiæ virtute potiſſimùm decet eſſe ornatum, atque conſpicuum, vt autem prudentia perfectum attollatur in gradum, teſte Diuo Gregorio, opus eſt, vt omnes aliæ morales ei ancillentur virtutes, quo fit, vt eò minùs perfecta ſit, quò magis expers illarum, quod palam eſt ex his Diui Gregorij verbis. *Magna quippe eſt prudentia, ſed ſi minùs eſt à voluntatibus temperans, minùs in periculis fortis, minùs in operationibus iuſta, profectò minùs prudens eſt*. Hanc ob cauſam poſt virtutes Theologicas de differen-

D.Greg.to.7. homil. 22. in Ezech. ad fin.

Digitized by Google

ferentia actuum virtutum moralium ea forma loqui neceſſe eſt, qua eas à bonis ſuperioribus dignum eſt exerceri.

§. & Conſilium II.

De Gubernio, eius fines, & difficultatibus, quæ in regendo occurrunt.

Diuus Thomas eſt Auctor, gubernare aliud non eſſe, quàm recta via, & ratione ſubditos ad debitum ipſorum finem ducere, atque prouehere, ad eum prorſus modum, quo artis nauticæ peritus Vector ea dexteritate ſuam gubernat nauem, vt ipſam non ſolùm indemnem, & integram præſtet à fluctuum, furentiſque maris periculis, ſed etiam fęliciter ad portum eam appellat. Propria Sacri Doctoris verba: hæc ſunt. *Gubernare eſt mouere aliquos in debitum finem, ſicut Nauta gubernat nauem, ducendo eam ad portum*. Per exemplum Nautæ, quo Diuus Thomas hìc vtitur, abundè innoteſcit, quàm magnis difficultatibus, atque periculis regimen ſit obnoxium, quantaque dexteritate, atque prudentia ſedentes ad regendarum clauum animarum Nauarchi excellere debeant, qui per tempeſtuoſum huius vitæ Occeanum ſuæ Communitatis cymbam in deſtinatum portum introducere moliuntur, cautè declinatis omnibus procellarum diſcriminibus, quibus huiuſce generis nauigatio exponitur, & quo in negotio tot depereunt, ac naufragantur.

D.Th.22.q2. 102. art.2. in corp.

Per præfata Sacri Doctoris verba nobis pariter inſinuantur aſſidui labores, atque ſollicitudines, quibus ſubiacent, & onerantur regendis alijs impoſiti, & quomodo ratione muneris, quod gerunt, Capitum, teneantur ad bonum animarum, quas regunt non minorem habere curam, & reſpectum, quàm ad proprium. Idcircò Diuus Gregorius hanc veritatem, optimè expertus, ingenuè fatetur, quod ſi Prælatus non perfunctoriè perpenderet dotes, & qualitates, quibus, vt perfectè regat; præſtare debet, haberet profectò cor anxium. Ex tali ſiquidem conſideratione perſpiceret, quàm deberet eſſe terſus, purus, & nitidus cogitationibus, exemplo operum, quam exactus, & inculpatus, ſilentio diſcretus, doctrinæ fructu non ſterilis, aut infœcundus, commiſeratione charitatis ad iuuandum

proximum promptus, & expeditus, contemplatione ſuper cæteros erectus, humilitate bonorum ſocius, integer, & proprio commodo prorſus intactus, & alienus, aduersùs imperfectos diſcreta ſeueritate, & iuſto obſeruantiæ Zelo armatus. Sed proprijs loquentem placet audire verbis, hac forma conſtantibus. *Perpendo quippe, quod omni cura vigilandum eſt, vt Rector cogitatione ſit mundus, operatione præcipuus, diſcretus in ſilentio, vtilis in verbo, ſingulis compaſſione proximus, præ cunctis contemplatione ſuſpenſus, bene agentibus per humilitatem ſocius, contra delinquentium vitia per zelum iuſtitiæ rectus, quæ videlicet cuncta, dum ſubtili ſtudeo inquiſitione perſcrutari, ipſa me in ſingulis latitudo conſiderationis anguſtiat.* Vbi verò de Sacræ Præfecturæ curis, ac laboribus, atque continentibus eorum (qui ad maiorem diuini Numinis gloriam ſacro ſubditorum ſuorum progreſſui ſeriò inſiſtunt) anxietatibus, & afflictionibus differit, affirmat, gubernium aliud non eſſe, quàm ſemper æſtuantem, varijſque curis, cogitationum moleſtijs agitatam tempeſtatem, perpetuamque mentis afflictionem. Verba eius hæc ſunt, & firmant, quæ dico. *Quid eſt officium paſtorale? niſi quædam iugis, ac perpetua mentis tempeſtas, fluctibus curarum, & cogitationum ſemper feruens.*

S. Greg. to. 4. l. 1. Reg. epiſt. 24. l. in princip.

S. Greg. to. 3. 1. p. Paſt. c. 9.

Ex dictis conficiat Prælatus iam, quis ſuæ adminiſtrationis ſit finis, & quantam ipſa poſt ſe trahat iliadem laborum. Vnde ſibi nunquam perſuadeat, velim, eam ſibi eſſe eo fine impoſitam, vt ſuas inde temporales aucupetur commoditates, ſed potiùs, vt ſubditorum ſuorum in omnibus quærat bonum, cui omnia vitæ ſuæ commoda ſunt poſtponenda, obliuionique tradenda, vt pro muneris ratione curet, & promoueat ſibi commiſſorum vtilitatem, Paulique Apoſtoli ſectetur magiſterium pariter, & exemplum, non in ſuum proprium, ſed in Fidelium, vt ſaluentur, intenti emolumentum. Quod his teſtatum de ſe voluit verbis, quibus ſic loquitur: *Non quærens, quod mihi vtile eſt, ſed quod multis, vt ſalui fiant.* Vis ſcire Prælatorum optimè, quæ ſit definitio boni Prælati? Aſſertorem libertatis animarum noſtrarum Chriſtum Ieſum interroga, & errare non potes, à quo reſponſum accipies, bonum Prælatum eſſe, qui omnia, quæ habet, etiam ſine exceptione vitæ fortuito committit euentui, vt internum, in quo ſuus etiam includitur, ſubditorum ſuorum promoueat profectum, & incrementum. Vt autem omnem hac ſuper re dubitandi tibi ſubmoueam

1. Cor. 10. 33.

Digitized by Google

moueam rationem, hæc ab ore eius diuino non grauatè excipe verba. *Bonus Paſtor animam ſuam dat pro ouibus ſuis*. Si animam, ergo, & ea, quæ anima ſunt inferiora. Iure merito ergo dixit Gregorius Nazianzenus, finem animarum gubernij eſſe, ſubditorum impensè curare bonum, atque vtilitatem, proprio compendio, atque emolumento neglecto. Percipito eius verba: *His ſpiritualis omnis Præfecturæ finis eſt, nimirum priuata vtilitate neglecta, commodis aliorum inſeruire*. Et non qualitercunque, ſed eo, vt Doctor Angelicus poſtulat, modo, quo omnis mouendus ipſi eſt lapis, vt ſubditis ſuis auxilio ſit ad acquirendam perfectionem: Hac namque in re totus vertitur cardo regiminis, vt vult Doctor Angelicus, cuius hæc ſunt verba; *Cum per gubernationem res, quæ gubernantur, ſint ad perfectionem perducendæ, tantò erit melior gubernatio, quantò maior perfectio à Gubernante rebus gubernatis communicatur*.

Io. 10. 11.

S. Greg. Naz. tom. 1 Apol. 1 ad med. n. 91.

D. Th. 1. p. q. 103. art. 6.

§. & Conſilium III.

Prælatorum partes, & obligationes ſuo ordine collocantur.

PErmultæ Gubernantium obligationes ad tres præcipuas reducuntur, quas Diuus Paulus in datis ad Timotheum litteris his paucis verbis complexus eſt. *Attende tibi, & doctrinæ. Inſta illis: hoc etenim faciens, & te ipſum ſaluum facies, & eos, qui te audiunt*. Vbi pro prima inquit. *Attende tibi*. Quibus verbis Prælato ante omnia proprium animæ ſuæ profectum inculcat, & iure merito, qui enim hanc negligit obligationem, profectò ab eo ſperari non poteſt impletio reliquarum duarum. Quoniam qui domui ſuæ præeſſe neſcit, quo modo Eccleſiæ Dei curam, & diligentiam habebit? Vel, vt Eccleſiaſticus ſentit, qui ſuo non attendit profectui, qua ratione inuigilare poterit alieno, cum ex legis naturalis præſcripto ſe quilibet plus, quàm alios amore complecti teneatur? *Qui ſibi nequam, cui alij bonus erit*? Et ſi daremus adhuc fieri poſſe, vt aliquis ſuo neglecto curam gereret progreſſus aliorum, actum tamen ageret, oleum, & operam perderet, Iſtmum perfoderet, verbo laboraret in vanum. Virtus enim, & vigor ſecundi neceſſariò necne pendet à primo. Non enim ſine, ſed cum magna ratio-

1. ad Thim. 4. v. 16.

Eccl. 14. v. 5

Digitized by Google

ne Doctor mellifluus aſſeruit, vitam, & efficaciam verborum, eſſe exemplum operum. Do vobis eius propria verba in hanc S. Bern. ep. 30 locuti ſententiam. *Sermo quidem viuus, & efficax exemplum eſt operis, facilè faciens ſuadibile quod dicitur, dum monſtrat factibile, quod ſuadetur.*

Secunda obligatione à Prælato exigitur, vt indefeſſa diligentia ſtudeat, ſuos ſubditos bonis monitis, doctrinis, atque præceptis imbuere, cùm eorum reſpectu Magiſtri obtineat munus. Quapropter Magiſter gentium Paulus Apoſtolus, cùm varias gratias, & officia, (quæ Deus pro bono, & ædificatione Fidelium, ſuæque Eccleſiæ inter varios partita voluit eſſe miniſtros) memoraſſet, aſſeruit alios ab eo conſtitutos eſſe Prophetas, alios Euangeliſtas, ſermone deinde ad Prælatos inclinato ſacræ Præfecturæ annexuit magiſterium, vt inſinuaret, proprium Prælati officium eſſe, docere, atque inſtruere, cui rei præcipuè animum intendere, operamque nauare tenetur. Ad Ephes. 4. v. 11. *Alios autem Paſtores, & Doctores.* Vbi particula, &, copulatiua eſt, duoque ſimul in eodem iungit ſubiecto.

Tertium, quod Apoſtolus à Timothæo, & quolibet Prælato requirit, eſt, vt laboret, & præfatis duabus obligationibus ad opes deducendis inſtanter inſiſtat: Ab hoc enim, & Prælati propria, & ſuæ fidei Commiſſorum ſalus dependet. 1. Timoth. 4. v. 16. *Inſta illis, hoc enim faciens, & teipſum ſaluum facies, & eos, qui te audiunt.* Sed quia has officij ſui partes Prælatum explere decet, non ſuis confiſum viribus, ſed auxilio, & gratia Dei fretum, obtinendis interuentu orationis, ideò neceſſe eſt, vt huic non ſegniter incumbat exercitio. Hoc namque eſt, quod animæ inſtar vitam tribuit omnibus illis, quibus Prælatus ſe impendere debet, & è cuius indefeſſo ſtudio pendet robur, quo opus eſt, ad ſuſtinendum officij onus, & ne laboretur incaſſum.

In litteris ad Balduinum Abbatem (vbi perfectum format Prælatum) directis, conſulit Diuus Bernardus ipſi ſtudium orationis, cui, vt perſuadeat, hoc vtitur ſuadendi modo: ſi ſapis exemplo, atque doctrinæ exercitium orationis adiungas, ad opere complendas illas ter iteratas rogationes, à Liberatore animarum noſtrarum, Simoni Petro de paſcendis ouibus in Euangelio factas, quibus vtrum vnquam ſatisfeceris, vel ſatisfacias, inde tibi cognoſcere licet, ſi nimirum paſcas verbis vtilibus, profectumque operantibus, ſi exemplo operum, ſi fructu orationum. Animaduertas tamen, velim, inter hæc tria maio-

Digitized by Google

maiorem eſſe orationem: quia (vt meminimus) licèt exemplum tribuat robur doctrinæ, oratio tamen confert vigorem, & efficaciam tam vni, quàm alteri: Sed placet mellea à proprio eius ore verba excipere in hunc modum ſonantia. *Tu autem ſi ſapis, iunges & tertium, ſtudium videlicet orationis, ad complementum, vtique trina illius repetitionis in Euangelio, Ioannis 21. de paſcendis ouibus. In hoc noueris, illius Trinitatis Sacramentum in nullo fruſtratum à te, ſi paſcas verbo, paſcas exemplo, paſcas & ſanctarum fructu orationum: Manent itaque tria hæc: Verbum, exemplum, oratio: maior autem his eſt oratio. Nam etſi (vt dictum eſt) vocis virtus ſit opus, & operi tamen, & voci gratiam efficaciamque promeretur oratio.* *D.Bern.epiſt. 201. ad Balduin. Ablatem.*

§. & Conſilium IV.

Renunciatum in Prælatum noſſe oportet, vtrum ſibi conducat, acceptare Sacræ Præfecturæ officium.

PRæter ſuperiore paragrapho recenſita conſilia dat Spiritus Sanctus inaugurando in Rectorem quartum conſilium, modumque præſcribit, quo adeundum ſit munus Prælati, proinde hac ferè vtitur ſuæ ſuadelæ forma; Non ambias, neque permittas te in Iudicem, vel Prælatum aſſumi, ſi non ſentias in te magnam generoſitatem, & animum, quo audeas iniuſtitias euerſum ire, maloſque vitiorum habitus funditus euellere, atque eliminare, ne ex defectu huius intrepidi cordis, & animi, timore grandium, atque potentum victo, propria tua ignauia tibi impedimento ſit, atque obſtaculo, quò minùs facias, quod fas, & æquum, rectaque ratio poſtulat, atque requirit. Conſilium autem hac ſuper re Spiritus Sancti per os Sapientis loquentis his verbis complectitur. *Noli quærere fieri Iudex, niſi valeas virtute irrumpere iniquitates, ne fortè extimeſcas faciem potentis, & ponas ſcandalum in æquitate tua.* *Eccli.7.v.6.* Quaſi dicere vellet, quem deſtituit vigor cordis, & inacceſſus à metu animus, qui requiritur ad tuendam veritatem, ad corrigendos, dignaquè pœna coercendos ſontes, ac culpæ obnoxios, quæ omnia in tempore, & vbi ratio poſtulat, à capite ſunt omninò præſtanda,

vt

vt hac ratione commune ſcandalum euitetur, quod dari, & accipi ſolet, quando ob humanos reſpectus, vanoſque timores Superior in hac ſui muneris parte remiſsè, & oſcitanter ſe gerit. Qui, inquam, eiuſmodi robore, & animi firmitate deficitur, nulla ratione onus, curamque regendi in ſe ſuſcipiat: Quia ſicut ius eligendi habentes non poſſunt talem conſcientia integra legere, pari ratione in hunc modum electus nequit demandatam ſibi adminiſtrationis prouinciam acceprare, ſi ſibi ſua inhabilitas ſit ſatis, ſuperque, & ad plenum perſpecta. Vnde Diuus Gregorius diſcrimine facto inter electos conſulit dotato requiſitis ad regendum virtutibus, vt ſacram Præfecturam, ſi adigatur, capeſſat; è contra verò eiuſmodi virtutibus deſtituto diſsuadet, ne eam vllo modo admittat, tametſi ad acceptandum cogatur. Hanc ſacri Doctoris mentem hæc eius verba denudant. *Virtutibus pollens coactus ad regimen veniat, virtutibus vacuus, nec coactus accedat*. Qua tamen in re licèt propiùs verò crediderim, & conſultiùs habeam, de ſua ad regendum habilitate dubitantem cum ratione, pro maiore ſuæ conſcientiæ ſecuritate acturum, ſi aliorum, potiſſimùm verò Superiorum ſectetur opinionem, atque iudicium, vt hoc ſequente dicemus conſilio. Monitum tamen dubioſum eiuſmodi velim, ne de ſua dignitate, & aptitudine, quæ ad ſacras opus ſunt Præfecturas, nimis magnificè ſentiat, aut præſumat, præſertim, ſi illæ ſint magnæ, grauibuſque difficultatibus adeò implicatæ, vt ad eas pro dignitate obeundas, ſolito maior animus, ſingulariſque iudicij perſpicacitas exigatur. Vt autem in hoc tanti momenti negotio modus aliquis ſtatuatur, & omne ſubmoueatur periculum, omniquе ex parte caueatur ſecuritati, oportet nolentem decipi, in ſemetipſum reuerti, ad cor redire, ac firmiter credere, quòd plerumque in huius diſcuſſione tam grauis dubij noſmetipſos inducamus in fraudem, & adulatores noſtri ipſorum facti, plus nobis tribuamus, quàm ſumus, habemus, aut poſſidemus, in tantùm quidem, vt vix vnum mihi daturus ſis, qui non ſibi perſuadeat, ſolam ſufficere, & ſatis eſſe bonam intentionem. Quapropter ſi in errorem, & fraudem induci non volumus, magno cum timore hac ſuper re eſt inſtituendum examen, & ante omnia iugi oratione, alijſque pietatis modis, ac rationibus pro lumine recurrendum ad Deum. Deinde exactiſſima rationis trutina, ſunt expendenda effecta, & fructus, quos ſi onus ſubiret regiminis, ſe facturum

D.Greg.to.3. par.1. Paſtor c.9.

rum

rum ſperaret. Poſtremò ad hoc capiendum conſilium quærendi ſunt viri longè ab erroribus facti, omni partium ſtudio intacti, à priuatis compendijs alieni, potiſſimùm communis boni amantes, & Zelum boni communis habentes. Interim tibi ſemper perſuadeas, velim, ſolam non ſufficere bonam intentionem, ac perſonalem virtutem, niſi ſint comitatæ rara prudentia, ac mentis firmitudine inconcuſſa, quibus præditus, ijs, quos gubernas, euadas ſuperior. Ij verò, qui digna huius tantæ rei ponderatione tranſmiſſa, ex mero ambitionis impulſu ad dignitates aſpirant, vel, quod deteriùs foret, etiam ſibi procurant, rationem habere deberent ingentium, quibus ſe exponunt, periculorum, ac meminiſſe, quàm ſtrictam (vt Spiritus Sanctus in diuerſis Sacræ Scripturæ locis monitor eſt) Prælati, & Superiores de ſuæ curæ commiſſis reddituri ſint rationem, quàmque rigoroſum iudicium, ac grauia eos ſupplicia maneant, ſi ſuæ, qua ſubditis, ſuiſque Communitatibus obſtringuntur., defuerint obligationi, & hoc totum propter damna, de quibus rationem reddere tenebuntur, ſi contigerit ipſos cauſam extitiſſe eorum: *Quoniam iudicium duriſſimum his, qui præſunt, fiet.* Sapien.6.v.6 Conſultum ipſis vellem, vt inter cæteras comminationes, quibus petuntur, ad illam à Sapiente contra ipſos prolatam aduerterent animum, qua voluit teſtatum, iudicium Rectores manens fore rigidiſſimum, & potentes tormenta grauiſſima fore perpeſſuros. *Potentes autem, potenter tormenta patientur.* Ibidem v.7. Bizantij olim Antiſtes ob aureum eloquentiæ flumen cognominatus Chryſoſtomus vix non in dubium reuocat, vtrum ex numero eorum vnus futurus ſit ſaluus, qui per iniquas vias, & nequiter factas induſtrias ad Præſulum gradus aſcendunt. Vtrum non ita ſit, ſicuti dico, ex eius verbis colligite, ita donantibus: *Miror, an fieri poſſit, vt vnus ex Rectoribus ſit ſaluus.* D.Chryſ.tom. 4. or.34. in cap. 13. ad Hebr. circa med. Miratur ipſe, & ego miror, vtrum ille ſit ſanæ mentis, & ſenſus, qui hoc tonitru non terretur, tremit, & expalleſcit. In promptu eſt ratio. Si namque illi, qui à præcipiendi poteſtatem habentibus coacti aſcendunt culmen gubernij, verſantur in diſcrimine, & ſunt obnoxij, infectique innumeris, & vnà præſentiſſimis periculis, multò vtique maiorem timendi rationem habebunt illi, qui dedita opera, ac omni æquo, rectoque poſthabito in tam manifeſta, & indubitata ſe dant, conijciunt, ac vltro præcipites agunt pericula, illam Sapientis ſententiam vel obliti, vel omnino non curantes, qua affir-

Digitized by Google

Eccli.3.v.27. affirmat: *Amantem* periculum,periturum in illo. O cæcas igitur, & infatuatas dominandi libidine mortalium mentes, qui tantis malis, quæ ipſis hoc in caſu impendent, tam profundè, & læthæo, quaſi ſomno correpti indormiunt! O vtinam hoc genus hominum tandem ſaperet, & intelligeret, ac nouiſſima prouideret!

Magnus quidem hoc in loco ſe mihi offerret campus ad extendendum, & fuſiore ſtylo perſequendum hoc argumentum: quia tamen pluribus planum vt faciam, cur tot, & tantis cura regendi ſit circumſeſſa periculis, conſiliorum meorum, cui ſtudeo, breuitas non permittit, ob id ſatis habebo, ſi ex conſultiſſimo morum Gregorio, vnam ex præcipuis cauſis adduxero, ex qua eiuſdem periculorum, & difficultatum magnitudo, & grauitas luculentiùs innoteſcat. Mens ergo Diui Gregorij eſt, Superiores à Dæmonibus longè acriùs, pluribuſque tentamentorum generibus infeſtari, quàm reliquum mortalium genus. Certò namque vaferrimi, & omnes nequitiarum articulos callentes ſibi perſuadent ſpiritus, rem perinde ſe habere in ſacra, ac profana militia: ſicut enim in bello profano victo ſemel duce totius exercitus, conſerta vnio diſſipatur, omniſque victoria in eo demum vertitur, vt caput, vel fundatur, vel ſubigatur. Eodem prorſus modo ſacro in bello ſi Caput in aliquem lapſum à Dæmone inducatur, adeoque ſuperetur, haud ſecus eſt, quam ſi toti Communitatis corpori vita, vireſque adimerentur. Hac de cauſa in ipſo pugnæ feruore omnes ictus in eum potiſſimùm diriguntur, qui in fronte agminis poſitus, Ductoris, & Anteſignani munere fungitur. Idem moliuntur Tartarei, & iurati animarum noſtrarum Hoſtes aduersùs Prælatos, Sacroſque Antiſtites, certi omnem bonam actionem, rectamque in omnibus diſpoſitionem, quam in dignitatem obtinentibus impediunt, ſe etiam impedituros in ipſis ſubiectis, hacque ratione conſecuturos, vt damna, quæ erant priuata, fiant communia: In Teſtem dictorum affero Diuum Gregorium, ita loquentem. *Quia enim videt Sanctæ mentis ſtu-*
D.Greg. to.2. lib. 31. mor. c.17. ad med. *dium contra ſe, & alijs prodeſſe, multiplicata hanc ſatagit tentatione confodere, vnde ſæpe contingit, vt hi, qui regendis alijs præſunt, tentationum certamina fortiora patiantur, quatenus corporalium more bellorum dum Dux ipſe ad fugam vertitur, reſiſtentis exercitus conſtipata vnanimitas, ſine labore diſſipetur.*

§. &

Digitized by Google

§. & Conſilium V.

Qua ratione collata in aliquem dignitas ſit admittenda, inhabilitate eius, non ſatis clarè, & euidenter conſtante.

APoſtolo teſte, quamdiu in hac vita poſiti ſumus, bellum cum Diabolo gerimus, & ipſe nobiſcum; ſed, quia, vt libro 2. Regum vndecimo legimus, varius eſt euentus belli, contingit nonnunquam, vt vulneremur ab ipſo, vulnera autem (teſte Gregorio) nobis infligit duplicibus armis, haſta quandoque in aperto, nonnumquam è clauſa pharetra ſumpta ſagitta in occulto, haſta, ferit, dum per tentationem aperti ſceleris ab ipſo trahimur ad conſenſum; ſagitta verò, dum ex ipſa virtute capit occaſionem nos impellendi ad caſum. Timor etenim huius ſecundi vulneris,& inde ſequentis damni ſolet quandoque virtuti nimis ſcrupuloſè addictos impedire ab operatione boni, ad quod faciendum eſſent adſtricti. Teſtem hac in re Gregorium habeo, ita locutum. *Quaſi ergo apertè feriens haſta, eſt culpa de vitio, & quaſi ex occulto vulnerans de pharetra ſagitta, eſt culpa de virtute.* Hoc vulnere ſauciantur, qui (prout fert natura modeſtiæ) fugientes honorem, damna regiminis, volenteſque euitare periculum, quod hoc in onere (ſi id licèt iuſſi ſubirent) ipſis ineſſe videtur, ſub moderationis ſpecie obedire detrectant, vti his verbis aduertit Gregorius. *Sæpe verò dum ſuborientem culpam metuimus, virtutem, quæ agenda eſt, declinamus.* Vt huic anteuertatur errori, adhibitaque cura præcaueatur, ne ob timorem iſtiuſmodi, perperam interpretetur ſupra datum conſilium, & ſub virtutis ſpecie in aliquod impingatur extremum, opus eſt ad ea, quæ inſequuntur, aduertere animum.

Greg. tom. 2. lib. 31. moral. cap. 17. poſt med.

Et infra.

Quamuis itaque in proprium honorem, nominiſque exiſtimationem cedentia fugere, & prudenter declinare, par & laudi vertendum ſit, ſi tamen ſubditus ſua ad regendum impare facultate dotumque tenuitate, quas in ſe quicunque vir bonus agnoſcit, ſuperioribus ſuis manifeſtatis, & replicationibus ex animi ſententia cum omni candore, & non fictè factis aduer-

tat, nihil profici inde, tum aquieſcendum, & voluntas propria cum diuina eſt conformanda. Quia ſicut non leuis ſuperbiæ indicium eſt, abſque magnorum metu periculorum præfecturam capeſſere, ita elati animi argumentum eſt, eandem non ſolùm non admittere, ſed etiam non curatis ſanis conſilijs, ſuſceptionem officij ſuadentibus, & quidem datis poſt denudatam, & repræſentatam iam ſuam mentem, iſtumque, quem quis habet, de munere ſuper ſe aſſumendo timorem. Quapropter, vt in hoc cauſæ genere conſulatur ſecuritati, oportet duo euitare extrema, mediamque inſiſtere viam, itaut fugiatur, & recuſetur munus Prælati, quoad licitè fieri poteſt, ſin verò qualiſcunque reſiſtentia facta non procedat, ſed fruſtra ſit, tum modeſtè admittatur onus impoſitum, vt mos geratur diſpoſitioni Diuinæ. Firmat hanc meam doctrinam magnus Gregorius, adducto Patriarchæ Moyſis exemplo, qui, quando expediens, atque permiſſum fuit, ſciuit fugere curam regendi, cauſa incurrendæ ſuperbiæ, aliorumque periculorum comitantium eam, ſciuit tamen etiam cum debita animi demiſſione illi humeros ſubdere, id exigente Diuino mandato, fretus imperantis fauore, atque auxilio; hacque ratione, & via, dum munus gubernationis, pro cauſæ diuerſitate, & recuſauit, & ſubijt, vnà, & modeſtiæ, & obedientiæ leges prudenter impleuit. Moyſem in his euentibus ſecus ſe non geſſiſſe, ex his Gregorij verbis quicunque indifferens æſtimator colligere poterit. *Moyſes vtrumque miro opere expleuit, qui præeſſe tantæ multitudini, & noluit, & obediuit. Superbus enim fortaſſe eſſet, ſi ducatum plebis innumeræ ſine trepidatione ſuſciperet, & rurſum ſuperbus exiſteret, ſi auctoris imperio obedire recuſaret. Vtrobique ergo humilis, vtrobique ſubiectus, & præeſſe populis, ſemetipſum metiendo noluit, & tamen de imperantis viribus præſumendo conſenſit.*

D. Greg. to. 3. part. 1. poſt c. 7.

Hæc repræhenſio eſt in epiſt. 87.

Erat in Prælatum electus Ogerius Canonicus Regularis, ſed obfirmato pertinaciter animo dare noluit conſenſum in de ſe factam electionem, eoque officium admittere recuſauit; qua tamen de re Diuus Bernardus ipſum corripuit, & reprehendit. Ne autem Balduinus eandem viam inſiſteret, & in eundem induceret ſe errorem, in hanc ferme ſententiam Doctor mellifluus ad ipſum litteras dare præoccupauit. Nolo tempus teras incaſſum, obtendendo experientiæ, vel debitæ qualitatis defectum, quo te laborare, vel putas, vel ſomnias. Etenim, nec verecundia, ſine fructu eſt grata, & placita oculis Dei, nec humili-

Digitized by Google

militas, ſiue modeſtia, ſine veritate eſt digna laude, vel præmio. Obito ergo officium tuum, pone pudorem conſideratione delegati in te muneris, quo teneris, teque præſta magiſtrum. In officio neotericus quidem es, fateor, debitor tamen, & ſcias, velim, te conrraxiſſe, hoc debitum, quando obedientiæ legibus te obligaſti. Putaſne, quod acceptor pecuniæ ad cenſum ſoluere excuſetur ea præcisè ratione, quia obligatio eſt recenter contracta? Nolunt datores mutuò ſumptæ pecuniæ aliquod tempus prætereat, quo impendia non procedant. Sed mihi repones, impar ſum obeundo officio. Quaſi verò deuotio tua non probetur, & placeat ratione eius, quod habes, non verò ratione eius, quod non habes. Fac, fructificet datum tibi talentum, ratio à te non exigetur de reliquo. Si multum accepiſti, redde multum, ſi parum, parum: Siquidem infidelis in modicis, potiore ratione erit infidelis in maximis. Et hic eſt ſenſus epiſtolæ à Diuo Bernardo ad Balduinum Abbatem datæ, in quo reddendo, vtrum fidelitati ſtuduerim, ſint teſtimonio propria verba Auctoris hoc tenore conſtantia. *Noli fruſtra aſſumere excuſationẽ, quaſi de tui nouitate, aut de imperitia, quod putas fortè, vel ſimulas: Nam nec ſterilis verecundia grata eſt, nec humilitas præter veritatem laudabilis. Officium ergo tuum attende. Pelle pudorem conſideratione officij, age vt magiſter. Nouus es, ſed debitor, & ex tunc te noueris debitorem, ex quo te alligaſti. Numquid nouitas excuſabit apud creditorem damna lucrorum? Nunquid prima tempora vacua præterire patitur fœnerator? Sed non ſum, inquies, ad iſta ſufficiens. Quaſi verò deuotio tua accepta non ſit ex eo, quod habes, non ex eo, quod non habes, de ſolo tibi credito talento reſpondere para, ſecurus de reliquo. Si multum accepiſti, da multum, quòd ſi modicum eſt, & id tribue, quòd ſi modico fidelis non eſt, nec in maximo.* Pro meliore tam grauis, & à tanto Doctore traditæ captu doctrinæ; haud incuriosè aduertere par eſt, quòd, ſi malè nos habeamus, eo, quo Deus nos poſuit loco, & vbi videtur ipſe quaſi teneri ad opem nobis ibi ferendam, longè ſanè peiùs nos habituri ſimus inibi, vbi nobis haud dubiè negabit eiuſmodi adiumentum, & haud impunem tranſire permittet obſtinationem noſtram, & propriæ volunratis aduersùs ſanas ſuadelas tenacitatem, vt non abs re Gregorius Nazianzenus in ſuo Apologetico cenſet, à cuius etiam opinione Archiepiſcopus Bracarenſis non recedit Primę Partis Capite ſexto ſui Compendij Paſtoralis, vbi pro hac ſententia etiam Diuum Bonauenturam adducit. Ex quibus tandem

Epiſt. 201. ad Bald.

dem cònficitur, quidam ſtante ſufficientis habilitatis dubio ad aliquod electis officium ſit faciendum , ijs nimirum curandum eſt , vt limitationibus ſupra poſitis exactè ſeruatis diuinæ diſpoſitioni de ſe factæ cum omni ſummiſſione ſe permittant,atque ſubijciant, & non tam fugiant , ad quæ ſunt aſſumpti , officia , quam malos , & regendi impares habitus, conditiones , ac qualitates , quæ plerumque Neotericis Rectoribus adhæreſcere ſolent .

DISCVRSVS SECVNDVS.

De quibuſdam adminiculis generalibus , quæ ritè adhibita vſui ſunt , ad partes Præfectu-ræ annexas gnauiter obeundas .

§. & Conſilium I.

Omnino opus eſt Prælatis Sacra Scripturarum , Sanctorumque Patrum lectione , eorum verò potiſſimè , qui calamo ſuo proſecuti ſunt argumentum , artem regendi concernens .

Cap.28. v.1.

TOlerantiſſimus humanarum calamitatum Iob vigeſimum octauum ſui libri Caput hoc auſpicatur principio. *Habet argentum venarum ſuarum principia , & auro locus eſt , in quo conflatur* . Hæc verba ſcitiſſimus morum Gregorius exponens affirmat, Sacras Scripturas non abs re nuncupari poſſe fodinas , in ſe recondentes pretioſos veræ ſapientiæ Theſauros , pergit deinde idem moralis Doctor in eiuſdem capitis expoſitione porrò , & docet , comparanti ſe ad veritatem docendam opus eſſe , recurſum habeat ad Sacras Scripturas , vt eas in ſuo diſcat principio , totumque , quod dicturus eſt , fundet ſuper ſolidum , & inconcuſſum

cuſſum auctoritatis Diuinæ, cui Sacræ Paginæ innituntur, fundamentum.

Hanc autem ſuam in hoc commento doctrinam Sanctus Doctor ad hæc verba reſtrinxit. *Qui ad veræ prædicationis verba ſe præparat, neceſſe eſt, vt cauſarum origines Sacris Paginis ſumat, vt omne, quod loquitur, ad Diuinæ auctoritatis fundamentum reuocet, atque in eo ædificium locutionis ſuæ firmet.* Poſt magnum Gregorium do vobis magnum Baſilium, qui generatim de eadem diſſerens materia, vt ſacræ lectionis vtilitates, atque neceſſitatem, qua ad legendarum hoc genus rerum aſtringimur, nobis commendet, atque inculcet, tali vtitur comparatione. Quemadmodum caro nutritur, incolumis præſtatur, & ſuſtinetur eſculentis materialibus, ita anima paſcitur, & ſuſtentatur lectionibus Sacris, vt ſibi proprijs, & competentibus cibis, verba autem propria comparationis eius ſic ſonant. *Sicut carnalibus eſcis alitur caro, ita ex Diuinis lectionibus interior homo nutritur, ac paſcitur.* Alia in eandem rem, & datæ haud abſimilis dari poteſt collatio, quæ talis.

D. Greg. to. 2. lib. 18. moral. c. 14. ſuper citata verba.

S. Baſilius à Beda cittatus in libro Sent.

Quoniam ſicut corpus iugi cogente neceſſitate ſumit ſibi neceſſarium in dies nutrimentum, pari modo Spiritus idem vt faciat, perurgetur, & potiore quidem neceſſitate, quæ ipſum ad quærendum congruum ſibi cibum importunè, & quaſi ſine intermiſſione impellit. Cibus autem animæ, vt ex Baſilio ſupra iam vidimus, eſt lectio ſacra, ergo inſtar cibi frequenter ſumenda, atque quærenda, ab ijs maximè, qui & ſe, & alios paſcere ſunt obligati, vt ſunt Prælati. Si deinde ad differentiam, inter cibum corporis, & animæ, aduertere animum velimus, quæ eſt, quòd ille impleat ventrem, hic luce reficiat mentem, tum clarum eſt, hunc maiore ex ratione à Superioribus eſſe quærendum ob lumen, quod confert, quo præcipuè præſides opus habent, tum ad ſe, tum ad alios, quos ſub ſe habent, regendos.

Dauid Rex Iſrael, & Supremus belli Adminiſtrator in vniuerſo populo Dei, vt ſua defenderet, & ab hoſtium incurſionibus tuta præſtaret, curauit excitari fortiſſimum caſtrum, de quo Salomon filius eius in Canticis canticorum affirmat, quòd ſua habuerit propugnacula aliaque militarium operum firmamenta, omniſque generis, & fortis bellica inſtrumenta, & arma non ad propugnandum ſolùm, ſed etiam ad impugnandum facta, & deſtinata. *Sicut Turris Dauid collum tuum,* *Cant. 4. v. 4.*

quæ

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Digitized by Google

quæ ædificata eſt cum propugnaculis, mille Clypei pendent ex ea omnis armatura fortium. Diuus Gregorius hunc textum in ſenſu myſtico exponens aſſerit, hanc Turrim eſſe lectionem ſacrorum librorum, ſub ſpeciali verò parmarum, ſeu clypeorum, nomine, nobis inſinuari, omnem munitionem, armorumque apparatum, quæ ſtipendia ſub Chriſto merentibus contra Diabolum, Mundum, & carnem corripienda, & vſurpanda ſunt, exinde eſſe ſumenda. Pro hac firmanda ſuæ paraphraſis ſententia allegat alia eiuſdem Sapientis in Prouerbijs verba, quibus teſtatum ſit, verbum Dei eſſe inſtar ignis accenſi, & inſtar clypei omnibus illis, qui eodem ſperant in verbo: *Omnis ſermo Dei ignitus, clypeus eſt ſperantibus in ſe*. Sermo autem Dei non conſtat vno, ſed pluribus componentibus cum verbis Dei, ſi ergo ſermo Dei cenſetur nomine armorum Dei, etiam verba, quibus conſtat, induent nomen armorum Dei, quæ cùm in ſacris paginis, ſanctiſque Patribus, & eorum contenta ſint Interpretibus, haud dubium, quin non alibi, ſed inibi à Chriſti militibus ſint quærenda, & comparanda, quod ſacræ lectionis opera obtinetur. Cùm itaque Præſul monaſticus ſit verè Rector militum Chriſti, Sacriquæ belli, quod gerunt, Supremus Adminiſtrator, & ductor, partes ergo ipſius erunt, arma, quibus hoc bellum geritur, perfectè cognoſcere, differentiam eorum tenere, ex ſacro armamentario, vbi aſſeruantur, extrahere, militibus ſuis diſtribuere, modum ea tractandi, & regendi præſcribere, uerſipellis inimici fraudes, dolos, technas, ſtratagemata, machinamenta ipſis delegare, modum hæc omnia euitandi, & ludificandi condoce facere, omni denique huius ſacræ militiæ arte imbuere, & informare.

Prouerb. 30. v. 5.

Quæ omnia, cùm in ſacris litteris, ſanctiſque Patribus doceantur, quis inficiari vel poterit, vel audebit? quin ea addiſcere, callere, & opere exequi volenti, frequenter per ſacram lectionem ad ſacras paginas ſit recurrendum. Magna ergo, grauiſque Præſulibus indicta eſt neceſſitas ſacræ lectioni non ſegniter, ſed ſedulò & gnauiter incumbendi.

Vt lib. 1. Regum cap. 2. legimus propter noxas filiorum animaduertit Deus ob nimiam conniuentiam in Sacerdotem Heliparentem. Et quoniam Gregorio teſte, iacula præuiſa minùs feriunt, vt Deus iuſtitiam miſericordia, vt ſolet, temperaret, curauit pœnam à ſe decretam, & per Samuelem Prophetam priùs denunciari, factaque denuntiatione, hæc verba

ba nomine ſuo ſubiungi. *Et ſuſcitabo mihi Sacerdotem fidelem, qui iuxta cor meum & animam meam faciet.* Vel vt verſio Chaldaica habet, iuxta dictum meum faciet, quod eſt dicere, ex diſciplina, & inſtitutione mea. Peritiſſimi anathomiæ moralis Medici, Gregorij Magni effatum eſt, cor, & animam Dei eſſe Sacram Scripturam. Continuò deinde hanc dicti ſui rationem aſſignat: quia cor (vt Cicero fauet) refert nonnunquam facultatem intelligendi, anima verò (vt Plautus exiſtimat) appetendi virtutem, & quia corde pro vi intelligendi accepto conſilium inimus de agendis, anima verò partem appetendi ſignante ad amandum prolicimur, fit, vt conſilium ad cor, ad animam verò amor, velut vnius, & alterius reducantur effectus, ac cum iiſdem velut effecta à cauſis idem ſibi vendicent nomen, vtpote, præcontenta in illis. Cùm itaque conſilia, ordineſque Diuini, vnà cum amore, quo Deus proſecutus eſt genus humanum in Sacra continentur Scriptura, ipſa profectò nec inſcitè, nec iniuria nuncupari poteſt cor, & Anima Dei. Propria autem verba, quibus Gregorius hanc rationem complecti voluit, ſic ſe habent. *Quid enim cor, & animam Dei, niſi Sacram eius Scripturam accipimus? Nam corde cogitamus ad deliberationem, anima verò afficimur ad amorem. Quia ergo in ſacro eloquio Conſilia Omnipotentis Dei agnoſcimus, ibique amorem, quo humanum genus dilexit, inuenimus, ipſum eloquium cor, & animam eius rationabiliter deſignant.* Cùm itaque cor, & Anima Dei Sacræ ſint paginæ, doctrinæque in ipſis contentæ, Ille Superior ſe in ſuo gubernio geret, & reget iuxta cor, & Animam Dei, qui ex præſcripto, & inſtitutione, ac diſciplina à Deo in Sacris litteris de modo, & arte regendi traditâ reget, quod vt exequi poſſit, eiuſmodi præcepta omnino noſſe oportet, nemini verò hanc ſibi comparare notitiam integrum erit, niſi quis ſedulò, frequenter, & non indiligenter ſacræ lectioni inſiſtat.

1. Reg. c. 2.

S. Greg. Tom. 4. in Expoſit. mor. ſuper hunc loc. c. 3.

Non leues itaque paruique momenti, aut futiles cauſæ perſuadent Rectori Sacrarum litterarum Sanctorumque Patrum, qui eas ſuis commentarijs illuſtrarunt, ſedulam lectionem, optimè calluit Doctor Gentium hanc pro regentibus tam ſalutarem doctrinam, idcircò cùm quadam vice Timotheo ſuo perdilecto non adeſſet Diſcipulo, aliam interim ad bene regendum ipſi non præſcripſit formam, niſi, vt Sacræ lectioni perdiligenter vacaret, certus eum inibi omnia comperturum

docu-

documenta, atque præcepta, quæ modum bene regendi tra-
1. ad Thim. 4. v. 13. dunt, atque præſcribunt: ſic enim inquit. *Dum venio, lectio-
ni attende*. Quapropter vt illi, qui rotam regiminis vertunt, non incurrant pœnam, Heli Sacerdoti à Deo decretam, & inflictam, ipſis impensè curandum, & ſatgendum eſt, vt ex pretioſa Diuinorum eloquiorum fodina eruere nouerint vtilis, ſanæque doctrinæ argentum, qua ſuos ſubditos in omnibus perfectè inſtruere valeant. Deinde vt ſciant ex ſacra eiuſdem Scripturæ penu ſolidum extrahere cibum, animique pabulum, quo ſuas ouiculas ritè paſcere, & reficere poſſint. Præterea vt ex Sacro Diuini eloquij armamentario arma talia depromere, militibuſque Chriſti in manus tradere norint, quibus omnes Doloſiſſimi hoſtis aſtus, & vafrities eludere diſcant. Poſtremò, vt in iiſdem ſacris effatis ſacræ opera lectionis, cordis, & animæ Dei talem ſibi notitiam comparent, per quèm in ſuo modo regendi ei per omnia ſe conformare addiſcant.

Ex quibus denique ſatis clarè videre licet, quam multùm referat, atque interſit, vt Prælatus ſit bene verſatus in illorum lectione librorum, ſiue Sacræ Scripturæ, ſiue Sanctorum Patrum ſint, qui diſſerunt ea, quæ modum regendi, & Prælatorum concernunt officia, quales non iudico illos quos de regimine ſeculari compoſuere peſtilentiſſimi Machiauellus, & Molinæus, aliique peruerſiſſimi ipſorum ſequaces, qui ſe Regnorum Magiſtros magnificè iactantes, dum æquo, rectoque poſt habito, omnia parandæ dominationi honeſta putant, deſerti à Deo, quem deſerunt, non raró Conſiliis ipſi ſuis fallente ſucceſſu capiuntur, ipſorumque iniquiſſimis fraudibus tandem detectis, palam fit omnibus, eos non tam promotores Patriæ fuiſſe, & Principum nequiſſimi commiſſores, ac ſceleratiſſimi Adminiſtri, vel vt Nazianzenus loquitur, ſup-
Orat. in Iulianum. plementa Diaboli, & euerſores Regnorum. Horum nequiter Sciolorum, & Doctorellorum libros Superiori Monaſtico planè non ſuadeo legendos, ſed vt peſtem fugiendos. Quos autem ſacris Rectoribus legendos exiſtimo, ſunt ſequentes, nimirum Diui Pauli Epiſtolæ ad Titum, atque Timotheum datæ, vtpote ſaluberrimis ſuper hoc argumento monitis, atque præceptis refertæ. Deinde Paſtorale Diui Gregorij, vel illud aureum à Ioanne Climaco elucubratum opuſculum, cui præfixus eſt titulus de bono Paſtore, & habetur Tom. 5. Bibliothecæ Sanctorum Patrum. Vel illud non inferiùs pretio Sera-

phici

Digitized by Google

phici Doctoris Diui Bonauenturæ de ſex alis Seraphim.

Vel denique ſtimulus Reuerendiſſimi Domini de Martyribus Archipræſulis Bracharenſis, aut alij hoc genus libri, atque opuſcula, ſiue Tractatus. Hos ergo, vel ſimiles Præſulibus ſacris Conſulo, oculis ſuis percurrant, & lectitent libros. Si namque aliæ artes, atque ſcientiæ iugi opus habent ſtudio, & inſtitutione eorum, qui claruere in illis, extra diſceptationem eſt, noſtram, qua de loquimur, potiore ratione ſuadente, iiſdem, vt addiſcatur, diligentijs indigere, vtpote comparatè ad alias magis arduam comparatu. Quapropter magnam temeritatem quis committeret, qui ſibi fideret, ſe eam ſine laborioſo hoc ſtudio poſſe acquirere, exercere, alioſque eandem perfectè docere. Non immeritò ergo Gregorius Magnus in ſui Paſtoralis principio docuit, à nemine artem, vel ſcientiam aliquam eſſe docendam, niſi multa priùs mentis agitatione, ſtudio, aſſiduoque labore eam didicerit, factumque magnæ temeritatis eſſe, officium Paſtorale admittere, abſque ſibi comparatis priùs ſufficienti habilitate, ſcientia, atque prudentia, quas id officij munus omnino requirit, cum tali fungi officio ſit ars artium & ſcientia ſcientiarum. Sed præbeamus aures modo Gregorio ſuum Paſtorale his verbis exordienti. *Nulla ars doceri præſumitur, niſi intenta priùs meditatione diſcatur. Ab imperitis ergo Magiſterium Paſtorale ſuſcipitur in magna temeritate, quoniam ars eſt artium Regimen animarum.* Iam claudamus fine Conſilium, & pro coronide colligamus, non dari inter homines Magiſterium, vel aliquam vſpiam functionem, cui magis neceſſariæ ſuppetiæ ſint, & regulæ eruditionis è Cœlo ſubmiſſæ, quàm munus Sacri Regentis. *S.Greg. Tom. 3.1.p. Paſt.c. 1.in ipſo princip.*

Commune ſiquidem Diui Auguſtini, Bernardi, & Ambroſij proloquium eſt, & ſi preces fundimus, nos loqui cum Deo, ſi lectioni inſiſtimus, Deum loqui nobiſcum, noſque interuentu Sacræ Scripturæ inſtruere, & quia Prælati ſummopere indigent inſtructione Diuina, qua diſcant, quomodo cum ſubditis ſe gerere debeant, conficitur inde, non minùs eos Sacra lectione opus habere. Alium denique præclarum, quem Sacra Scriptura in legentibus eam, progignit effectum, nobis indicat Clemens Alexandrinus, dum inquit, legentem vt par eſt, ſe deuouere Deo, Deumque euadere (intellige, vt Scholaſtici vocant, participatiuè) Verba autem hoc aſſerentis ſunt iſta. *Sunt verè Sacræ Scripturæ, quæ Sacros faciunt, &*

Digitized by Google

Clemens Alex in exhort. ad gentes. *Deificant*. Cuius proinde ratione effectus nomenclaturam ſibi vendicant Sacrarum, & Diuinarum. Tum etiam ea ex cauſa, quia ſi eas legendo, viua fide, quæ dicunt, credamus, Deus intuitu, & merito eiuſmodi Fidei ſuarum nos participare dignatur perfectionum, etiam ſine exceptione illius, qua nobis ab ipſo collata, euadimus in præclaros Magiſtros, & Moderatores populi ſui. Et hæc ſufficiant ad ſacram lectionem Regentibus ſuadendam, & perſuadendam.

§. & Conſilium II.

Non eſt infra dignitatem Prælati, quinimò ipſius muneris eſt, quandoque cum ſubditis paulò familiariùs agere, & conuerſari, vt hac ratione, vel arte introſpectis, & penetratis eorum animi ſenſis, faciliore negotio, maioreque cum fructu eos regere valeat.

DEcet Prælatum in eam curam intentè incumbere, vt ſubditorum ſuorum ingenium, indolem, animique propenſiones, & mores bene perſpectos habeat. Quoniam (vt Diuus Gregorius ſuo in Paſtorali & maximè tertia eius parte inquit) perfecta, & prudentiæ conformis diuerſitas, qua ſubditi ſunt regendi, ab eiuſmodi notitia omnino dependet. Cùm autem talis cognitio ſine ſpeciali lumine Dei haberi, & comparari non poſſit, quare ad ipſum pro eo per preces inſtanter eſt recurrendum. Siquidem eiuſmodi notitia eſt gratia gratis data, & ſingulare munus Dei, quod Apoſtolus diſcretionem Spirituum nominat. *Alij datur diſcretio Spirituum*. Diuus autem Thomas vocat eam Teſſeram, ſeu inſigne, quo boni Prælati à non talibus diſcernuntur, & ſeparantur. Quod corporati verbi ſapientia nobis inſinuatum voluit, dum dixit, ſe ob notitiam, quam de ſuis ouibus haberet, Diuinam, iure, & non ex vano nomen, & rem boni portare Paſtoris. *Ego ſum Paſtor bonus, & cognoſco oues meas*. Cognitio itaque pecoris eſt ſignum boni Paſtoris, qui ergo in numerum bonorum

[Margin notes: D. Greg. 3. p. Paſt. — 1. Cor. 12. 10. — D. Tom. 22. q. 3. art. 4. — Ioannis 10. 14.]

Digitized by Google

Prælatorum referri deſiderat, eo ipſi cum ſubditis agendi vtendum eſt modo, arte, dexteritate, atque induſtria, vt penetratis eorum ingenijs, animi ſenſis, atque affectibus, plenam ſibi comparet de integro ipſorum ſtatu cognitionem, quæ ſibi demum vſui eſſe poſſit ad eos perfectè regendos, quo facto id adhuc ſupereſt, non omittat, dum ſubditis ſuis iuſſa vult dare, & ordines, exactè priùs conſideret, quo modo non ſolùm ratione, & conditione naturæ, ſed etiam quo modo in præſens, & attentis, in quibus hìc, & nunc ſunt poſiti, circumſtantijs, ſint conſtituti atque affecti, ne, ſiquid iubeat, iuſſuſque non pareat, vt hominum conditio fert, auctoritati ſuæ præiudicet, ſeque demum exponat derididiculo. Quod Sapiens nos monitos voluiſſe videtur, cum dixit: ex oculis, alijſque ſignis externis ſubditum tuum cognoſcere diſce, ſtatumque ſub cura tua degentium attentè conſidera. *Diligenter agnoſce vultum pecoris tui, tuoſque greges conſidera.* Quod egregium pro Regentibus documentum non minùs egregiè proſecutus eſt Sanctus Proſper ſecundo & libro, & capite de vita contemplatiua. Ex quibus denique non ex vano deducere licet, à Prælato tam in danda doctrina, quàm in faciendis correptionibus, pœniſque infligendis magnum habendum eſſe reſpectum, faciendamque diſtinctionem inter eos, qui diuerſæ ſunt indolis, vitæ conditionum, humorum, virium, ætatum, inclinationum, graduum, & animorum, quia quod vni eſt theriacæ, alteri eſt loco veneni. Quod Magnus ex Nazianzeno rectè obſeruauit Gregorius, & adducto aliquarum herbarum exemplo, ei; quod dicere paramus, non modicum lumen affudit. Dantur namque nonnullæ herbæ, quæ quibuſdam animantibus pro congruo ſunt alimento, alijs verò in interitum vergunt. Dulcis ſibilus equos mitigat, canes irritat: medicina, quæ prodeſt vni, in nocumentum vertit malè habenti alteri. Pànis, qui robuſtis vires tribuit, infantibus vitam tollit. Sed vt audiatis loquentem ipſum Gregorium, vobis propria eius verba ſubiungo. *Vt enim longè ante nos Reuerendæ memoriæ Gregorius Nazianzenus edocuit, non vna, eademque cunctis exhortatio congruit: quia non cunctos par morum qualitas aſtringit. Sæpe namque alijs officiunt, quæ alijs proſunt. Quia & plerumque herbæ, quæ hæc animalia nutriunt, alia occidunt, & lenis ſibilus equos mitigat, catulos inſtigat. Et medicamentum, quod hunc morbum imminuit, alteri vires iungit, & panis, qui vitam fortium robo-*

Prou. 27. v. 23.

D. Greg. Tom. 3. p. 3. Paſt. in prolego.

 robo-

Digitized by Google

roborat, paruulorum necat. Porrò, vt nos ea, quæ Gregorius tertia ſui Paſtoralis parte ad longum proſequitur, coarctemus in pauca, notare operæ eſt, non perinde viros, ac fœminas eſſe regendos. Viri etenim, quia ipſis plus virium, plus animi, plus iudicij ineſt, adſtringendi ſunt ad maiora. Senes verò tractare oportet maiore cum ſuauitate, atque reſpectu, quam iuuenes, prout Apoſtolus ad Timotheum monet, atque præſcribit, ſeniorem ne aſperè reprehendas, ſed roga eum vt patrem. *Seniorem ne increpaueris, ſed obſecra eum vt patrem*. Hilari præditis animo proponenda ſunt ea, quæ timorem incutere poſſunt, vt mediocritas ſtatuatur eorum lætitiæ in excelſum vergenti. E contra triſtitia laborantes, lætitiam afferentibus ſunt erigendi, & ſpe prœmij, quod in tempore accepturi ſunt, animandi, & conſolandi. Iuſto ſolutiores, & arrogantes rigore frænandi, & coercendi. Modeſti, & verecundi dulciter habendi, atque tractandi. Vani, atque elati obiectione imperfectionum, atque defectuum, quibus opera ipſorum infecta ſunt, in pudorem ſunt adducendi. Cum Puſillanimis non quidem omnino tranſmittenda eſt correptio, ſi quod fecerunt de malo, iuxta tamen laudandi, quod operati ſunt, de bono. Intolerantibus ſuadere conuenit, ne ſe permittant abripi impetu coleræ, ſi poſt factum pœnitudine moleſtari non velint, adiuncto ſimul hoc ipſis monito, eos, ſi acquieſcere nolint, vno amiſſuros momento, quod plures lucrifecere per annos. Qui magnis occupantur laboribus, adhortandi ſunt ad eos toleranter ferendos, ipſiſque ſuadendum, vt facere diſcant ex neceſſitate virtutem, ſi velint, vt cum tempore euadant ipſis toleratu faciliores. Apertis animi, atque ſinceris vertendum eſt laudi, quod in omni actione ſua viam veritatis, atque candoris inſiſtant; iuxta tamen comonefaciendi ſunt tales, primò quidem non omne, quod verum, mox ore promendum, & continuò proferendum in lucem, niſi quid ſit ex genere rerum illarum, ex quibus aliquis poſſit decerpi fructus. Docendi præterea hi recto, & candido corde in omnibus ambulantes, non omnibus, quæ dicuntur, fidem eſſe habendam. Poſtremò iiſdem Conſilium dandum, vt in omnibus dictis, & verbis ſuis ſint cauti, & circumſpecti, nec non in danda fide præparci. Malitioſis, & corde duplicibus ob oculos ponendi ſunt labores, timores, atque ſuſpiciones, quæ iugiter ſollicitos habent inſincerè agentes.

1. ad Timoth. 5.

Sa-

Digitized by Google

Sanis, & firma corporis habitudine præditis conſulendum, vt ſanitatem corporis impendant ad comparandam valetudinem mentis, quia ſi hoc, dum valent, facere negligerent, contingere dein poſſet, vt Deus in pœnam negligentiæ ipſis ſubtraheret hoc faciendi commoditatem. Infirma, & ægra valetudine laborantes conſolari oportet, & in ſolatium ipſorum dicendum, quod habeantur à Deo, vt filij, ipſiſque Clementiſſimus Deus vti Regni ſui hæredibus aduerſitates, & afflictiones immittat, hac vt ratione illud valeant promereri, & illa iuxta conſequi bona, quæ infirmitas, & debilitas corporis (ſi malus vſus non obſiſtat.) Animæ ſolent afferre. Denique à ſubditis vniuerſis exigenda eſt promptæ, & expeditæ obedientiæ, atque ſubmiſſionis perfectio, a Præſidibus verò prudens, & recta ratio regendi, & imperandi.

Vt autem diſtinctio hucuſque calamo proſecuta ritè fiat, & doctrina à Gregorio tradita redigatur ad opus, id faciendum Prælato, quod in ſecuturis dicturi ſumus conſilijs, & pro certò ab eodem habendum: volenti vnam Communitatem cum fructu regere, opus eſſe vt ſe accommodet tot humoribus, quot ſub ſe ſubditos habet, & regit. Scitum proinde Philonis dictum, & effatum eſt, gubernij clauum ſuper plures tenentem oportere pro diuerſitate, imperio ſuo parentium eſſe varium, multimodum, verſatili, translatio ad omnia ingenio, ac inter agendum velificationis in omnem partem obliquandæ mira dexteritate compoſitum. Et hanc ſuam Philo hac ſuper re mentem his protulit verbis: *Reipublicæ Moderator debet eſſe multiformis, & multiplex.* *Philon. de vita ciuili.*

§. & Conſilium III.

Conuerſationem, quam antegreſſo paragrapho conſuluimus, vt inter Superiores, & ſubditos nonnunquam intercedat, hoc paragrapho volumus eſſe frequentem.

Vt illis, quæ præcedentibus ſuadentur in Conſilijs, Prælatus accuratiùs ſatisfaciat, incumbit ipſi, priuatim cum ſubditis eo fine, & ratione agere, vt ſtatum animarum ipſorum,

Digitized by Google

rum, modumque exercitiorum particularium, orationis præſertim, quibus ſtudent, & attendunt cognoſcere valeat. Quemadmodum Chriſtus animarum noſtrarum Aſſertor referre dignatus eſt, bonum feciſſe Paſtorem, qui ſuas oues ex proprijs nominibus à ſe impoſitis compellando, eas pabulatum eduxit in campum. Verba Diuini referentis ſunt talia. Io.10.v.3. *Proprias oues vocat nominatim, & educit eas*. Sed quod alium à ſe feciſſe Diuinus Paſtor modeſtiæ ergo retulit, hoc ipſemet, exquiſitè impleuit, dum ſuis Diſcipulis amicabiliter, & familiariter quaſi vnus ex illis egit. Et ita volo Prælatum cum ſuis ſubditis agere, quod fiet, ſi ea vtatur tractandi hominum animos peritia, dexteritate, modo, ratione, gratia, induſtria, atque ſolertia, vt ex ſua parte nullam ipſis præbeat vllius repugnantiæ anſam, quò minùs ſua ipſi interiora aperiant, ad eum tanquam ad beneficam matrem recurrant, omneſque ſuas tentationes omni cum candore ei confidant, quò ſanis ipſius Conſilijs, & orationum ſuffragijs ab eis liberari mereantur. S.Greg.2.par. paſt.c.5. Sit Teſtis Gregorius ita ſuo tempore locutus. *Tales autem ſeſe, qui præſunt, exhibeant, quibus ſubiecti occulta quæque ſua prodere non erubeſcant, vt, cùm tentationum fluctus paruuli tolerant, ad Paſtoris mentem, quaſi ad matris ſinum recurrant, & hoc, quod ſe inquinari pulſantis culpæ ſordibus prævident, exhortationis eius ſolatio ac lachrimis orationis lauent*. Et hoc quidem ſint pro Superioribus dicta, ſubditos verò etiam ex parte ſua monitos volo, vt non ſint Clancularij, retinentis ingenij, & obtegentes ſui, ſed toti prodeant, ſuæque conſcientiæ ſinum, & ſtatum cum omni candore, & veritate Superioribus ſuis denudent, ijs maximè qui pari inalbeſcunt candore, & tales ſunt, de quibus nulla eſt ratio Suſpicandi, eos habita à ſubditis de corde bono ſcientia in damnum eorundem ſubditorum fore abuſuros. Si itaque ſubditi talibus cum Rectoribus non vtantur explicata ſinceritate, tum ſibi imputent, ſi ijs priuentur bonis, quæ per eiuſmodi ſubordinationem, atque ſubmiſſionem conſecuti fuiſſent, vt Ioannes Climacus probè aduertit, ſuamque animaduerſionem Naucleri probat exemplo. Hic enim nequit Nauim ſuam in ſecurum appellere Portum ſine nauticorum adiutorio miniſtrorum; non ſecus, ac Medicus, qui pariter nequit ægrum priſtinæ reſtituere ſanitati, niſi priùs ab eodem habita de ſua valetudine integra informatione, defectu cuius multi ſubiere vitæ periculum, alij omnino Supremum clauſe-

re

re diem. Iam pono cuſtodiam ori meo, & oſtium circumſtantiæ labiis meis, vt Climacum audiam hac ſuper re ita loquentem. *Non poteſt gubernator ſolus, nauem ſine Nautarum cooperatione ſaluare, neque Medicus ſanare languentem infirmum poteſt, niſi priùs deprecatus ab eo, & per vulneris manifeſtationem conuertatur ad eum ex toto corde, & fide. Qui erubeſcunt Medicos, vulnera fecerunt putreſcere, ſed & multi plerumque mortui ſunt.* Adſtipulatur Caſſianus, qui aſſerit, denudationem internarum infirmitatum tantæ efficaciæ eſſe, vt ſe ſola ſufficiens ſit, ad ſanitatem iterum reuocandam, aliaque ſuper hoc afferenda remedia. Vtor eius verbis ita ſonantibus: *Illico, vt patefacta fuerit cogitatio maligna, marceſcit.*

Climac. Tom. 4. Biblio. SS. Patrum. lib. ſe bono paſt. prope med.

Caſſian. in Coll. c. 20.

§. & Conſilium. IV.

Prælatus, qui Officio ſuo ritè, & perfectè fungi deſiderat, vel rariſſimè, vel nunquam à ſua Communitate abſiſtat.

SIue loci, ſiue Prouinciæ Rector ſit, perraro à gubernij ſui limitibus ſe abſentet: haud enim facilè expediuerim, quantùm inferri poſſit damnum ab vno indiſcreto vicarium tenente locum, licèt alioquin vir bonus, & probus ſit, potiſſimùm verò ſi ſit iuuenis, & plus ipſi pulueris adhuc Scholaſtici, quam experientiæ adhæreſcat, proprio ſiquidem abſente Superiore plerumque aliquid domi ex defectu plenæ auctoritatis interturbatur. Hac de cauſa docemur à Diuino Seruatore noſtro, omnino expediens eſſe, vt bonus Paſtor ſemper adſit ouibus ſuis, cumque illis primus incedat, eaſque ſuis bonis conſilijs, & ſalutaribus monitis, vbique, & ab omni, quod occurrere poteſt, integros præſtet malo. Hoc ſe pacto Paſtor Euangelicus geſſit, de quo accipienda ſunt ſequentia verba. *Et cùm proprias oues emiſerit, ante eas vadit, & oues illum ſequuntur, quia ſciunt vocem eius.* Qui autem ab eis Sæpiùs recedit, periculiſque obnoxias linquit, non eſt verus, ſed mercenarius, & pretio conductus Paſtor. In rem noſtram eſt, quod Ariſtoteles de quodam Perſa refert, qui rogatus, qua re oues pingueſcerent? Reſponſum dedit oculis opilionis,

Io. 10. n. 4. & 8.

Ariſtot. lib. 2. de Oeconomia

Digitized by Google

nis , ijs verò à grege auerſis, eas macie attenuari debileſque , imò nonnumquam penitus inutiles euadere . Cui non multùm abſimile illud Spiritus Sancti in Prouerbijs monitum videtur , quo docemur , quòd ſi Antiſtes , eo , in quo à Deo poſitus , fixus maneat loco , & in cura ſibi commiſſorum , perduret , omnia , quæ Diabolus molitur , & intentat , mala, & damna aſpectu ſuo impediat . Quod ex his eius verbis perſpicuum eſt .

Prou.2. *Rex , qui ſedet in Solio iudicij , diſſipat omne malum intuitu ſuo .* Non nemo haud communis , & obuiæ experientiæ vir non profectò inſcitè hæc verba dicere ſolitus erat . *Præſul , vt præſit ſuis , ab his non abſit* . E contra verò , qui oblata minima è conuentu exit occaſione , ſuiſque in obſeruantia regulari comitatum non præſtat , non nomen Paſtoris , ſed idoli , & ſtatuæ promeretur , Zacharia Propheta his teſtante verbis .

Zach. 11. v. 17. *O Paſtor , & idolum derelinquens gregem .*

DISCVR-

DISCVRSVS TERTIVS.

Quantæ Prælatis vtilitati ſit oratio, quàmque magnus exinde exiſtat fructus, ſi ſuos ſubditos ſæpe exhortentur ad incumbendum huic tam Sancto exercitio.

§. & Conſilium I.

Permagni refert non infrequens Rectorum oratio, ad mirificos tam in ſe, quam in ſuis faciendos profectus.

PRO certo habito, & poſito (vt cum Diuo Bernardo ſupra iam diximus) quod oratio tribuat vigorem, & virtutem tam voci, quàm exemplo, & planè ſcaturigo ſit omnis boni Regiminis, ob id in rem noſtram eſſe videtur, de ea ex profeſſo hic ſtrictim agere, antequam ad ſpecialia progrediamur conſilia, de quibus propoſitum nobis eſt poſtmodùm agendi. Pro explorato, & indubitato Prælati habeant, orationem rem eſſe pro omni tempore, & occaſione perneceſſariam. Illius etenim interuentu dat Deus incrementum ſemini, quod verbis, & operibus in corda ſubditorum ſuorum Superiores iaciunt non ſine indefeſſa opera, & labore. Parum namque refert, quod Adminiſtri Euangelici plantent, & rigent, ſi Deus, vti agens principale, ſuum non concedat influxum.

Teſtis mihi ſit Paulus Apoſtolus, ita locutus. *Ego plantaui, Apollo rigauit, Deus autem incrementum dedit*. Imò plus dico, 1 Cor. 3. v. 6. cùm eius opera ſint perfecta, etiam ad perfectum duxit. Idcircò Apoſtolus ingenuè fatebatur, totum, quod ipſe cum cæteris Ieſu Chriſti Adminiſtris, Eccleſiæque Præſulibus ad animas inuandas, lucrique faciendas operabatur, aliud non fuiſſe, quàm vicem inſtrumenti ſuppleſſe. Etenim ſine concurſu, &

Digitized by Google

gratia Dei, totum inutile, omnino vanum, & abſque vllo compendio, & fructu eſt. Gregorius Magnus de plantatione, & rigatione, quæ opera doctrinæ, ſacræque inſtructionis peragitur, diſſerens affirmat, eam ſuperuacaneam, & fruſtra penitus eſſe, ſi Deus ab intus in cordibus non operetur, quod hiſce explicat verbis. *Plantare quippe, & rigare, adiuuare eſt, quòd vtrumque vacuum erit miniſterium, ſi in corde Deus non dat incrementum*. Magna itaque cum ratione Hieronymus Doctorum Eccleſiæ maximus Prælatis illis, qui re, & non tantùm nomine tenus tales eſſe deſiderant, conſulit, magnos illos veteris Teſtamenti, & Patres imitentur, atque Rectores, Moyſen, & Aaron dico, quorum præcipua occupatio fuit exercitio orationis inſiſtere, cuius gratia aſſequebantur à Deo lumen, & robur, & quidquid pro ſe, & ſuis ſubditis opus habebant, in hunc finem maiore ex parte morabantur intra Tabernaculum Dei, non perperam reputantes, duabus ſe præcipuis, quas Præfectura includit, partibus, & ſunt à Deo diſcere, & quæ ab ipſo didicere, docere, ſatisfacere non poſſe ſine ſingulari à Deo ſibi dato ſubſidio; per quod ſecuri præſtantur Prælati, & fructus in ſubditis obtinetur. Securitas enim Prælati in eo conſiſtit, & vertitur, vt magni non faciat, multò minùs ſe iactet de bono, quod docet, à quo malo tantò longiùs abeſt, quò clariùs beneficio orationis cognoſcit, & ſe, & totum à Deo ſibi conceſſum aliud non eſſe, quàm inſtrumentum, quo ſuam Deus voluntatem declarat. Si deinde ex hoc Prælati, agendi modo ſubditi aduertant, atque conijciant, doctrinam ſui Prælati non ex inuentione propria, ſed è cœlo ſuam inclinare originem, tum eam maioris æſtimant, libentiùſque ſuſcipiunt, maioremque exinde percipiunt fructum, atque profectum. Quæ omnia Doctoris Dalmatæ verbis fulciuntur, ita locuti: *Siquis vult Pontifex non tam vocabulo eſſe, quàm merito, imitetur Moyſem, imitetur Aaron. Quid enim dicitur de eis? Quòd non diſcedunt de Tabernaculo Domini. Erat ergo Moyſes indeſinenter in Tabernaculo Domini. Quod autem opus eius erat? Vt aut à Deo aliquid diſceret, aut ipſe populum doceret. Hæc duo ſunt Pontificis opera, vt aut à Deo diſcat, legendo Scripturas Diuinas, & ſæpiùs meditando, aut populum doceat, quæ à Deo ipſe didicerit non ex proprio corde, vel humano ſenſu.*

D. Greg. to. 1. 17. mor. c. 11.

S. Hieron. in Leuit. habetur diſt. 36. Cap. Si quis vult.

§. &

§. & Conſilium II.

Quàm inſtanter à Superioribus ſint fundendæ preces pro ſubditis, & neceſſitates eorum etiam, atque etiam Domino commendandæ.

POſtulatis ſemel à Deo, quæ Prælato vſui, & neceſſaria ſunt, incumbit ipſi etiam ea, quæ ſubditos iuuant, ab eodem petere, & implorare, ad quod faciendum adſtringitur ex ſui muneris ratione, quod Capitis gerit in corpore myſtico, ex ſe, ſibique commiſſis coaleſcente. Imitetur in hoc Chriſti Redemptoris exemplum, qui cùm in ornatu vltimæ cœnæ pro ſuo dulciſſimo nomine, vt notum fieret mundo, Patrem ſuum Diuinum per hæc verba precatus fuiſſet. *Pater venit hora, clarifica filium tuum, vt filius tuus clarificet te.* Io. 17. v. 1. Scholam diſcipulorum dilectorum ſuorum, dum propria curat, non oblitus, hæc ad eundem precationis ergo verba pro ipſis ex tenerrimo ſuo corde tranſmiſit. *Pater Sancte, ſerua eos in nomine tuo, quos dediſti mihi, vt ſint vnum, ſicut & nos.* Ibid. v. 11. Quaſi dicere vellet; Serua Sancte per eſſentiam Pater in fide, & amore tuo, fidei meę commiſſos, vt non ſint, niſi duo vnus, quemadmodum nos duo ſumus in Perſona, & vnum in eſſentia, ſeu natura. Deinde quaſi Neſcio loquerêtur, explicat ſe his ſubiunctis verbis: *Non rogo, vt tollas eos de mundo, ſed vt ſerues eos à malo.* Ibid. v. 15. Qua in precatione, (vt Angelicus Thomas aduertit) hic Diuinus Orator, & Magiſter aliud non ſpectabat, quàm vt Capitibus, atque Prælatis exactiorem curam imprimeret, ſe, ſibique commiſſos per rogatum commendandi Altiſſimo, quod inde patet, & in aperto eſt: quia tantus precator pro ſe orare, opus omnino non habebat. In hoc verum me dicere in teſtem ſunt mihi verba Angelici ſic loquentis. *Nulla enim neceſſitas inerat ſibi orandi, qui ſimul cum Patre exaudit, inſtruxit autem nos in hoc, & verbo, & facto.* D. Th. in cap. 17 in Ioan. lect. 2. Accedat, & alter huius rei, & quidem iuratus teſtis, Paulus Apoſtolus ab ipſomet Chriſto in Doctorem gentium deputatus, qui, vt ſuum fideliter imitaretur Magiſtrum, aliter ſe non feciſſe, iuramento teſtatur in hæc verba compoſito. *Teſtis enim mihi eſt Deus, cui ſeruio in ſpiritu meo, in Euangelio filij eius, quod ſine intermiſſione memoriam veſtri facio ſemper in orationibus* Ad Rom. 1. v. 9.

meis. Quaſi paulò explicatiùs dicere vellet: aſſiſtat mihi ipſemet Deus in teſtem, cui in miniſterio prædicationis Euangelicæ, recto, & ſimplici ſeruio corde, me in precibus meis ſine intermiſſione, & tempus per omne veſtri memorem viuere. Vbi per repetitionem vocularum *indeſinenter, & omni tempore* vult nobis non ignotam ingentem ſollicitudinem ſuam, quam habebat obligationis implendæ, cui ex officij ratione in hoc genere ſe obnoxium agnoſcebat. Vt autem Prælatus, qui ſui, & ſuorum progreſſus non incurioſus, ſed ſtudioſus vult eſſe, maioreſque ſuis rogatibus vires adiungere, debet non raro à ſuis ſubditis ſuffragia precum expetere, vt hac fideli, & mutua, qua vnus pro altero Deum exorat, ſeruata reſponſione, porrigat Præſul ſubditis manum, vt eos à periculis eximat, operamque ſuam ſufficiat, qua ad ſanctimoniam proueħantur; Eius verò parentes imperio, orationibus ſuis obtinere conentur vires Prælato ad graue ſuſtinendum, ne ſuccumbat, gubernij pondus. De hac mutuæ opis inter Superiorem, & ſubditos collatione facit mentionem Gregorius, dum de ea in hæc ferme verba profert iudicium. Quoties exercitium precum noſtrarum coniungitur, & vnitur, vos pro me, & ego pro vobis Deum efflagito, tum perinde ac illi, nos gerimus, qui volentes difficilem, ac tranſitu arduum tranſmittere locum; ſibi inuicem ne caſum faciant, ſolent porrigere manus. Eadem ratione, & modo, ſi opera charitatis recentes ſemper preces pro inuicem fundimus, contra lapſum in lubrico nos mutuò roboramus, ac beneficio huius opis reciprocæ nos tutos, & indemnes ab omni lapſu præſtamus. Quæ omnia his firmo verbis exploratiſſimi motum Gregorij. *Dum enim nos vobis per orationis opem coniungimur, quaſi ambulantes, per lubricum viciſſim nobis manum tenemus, fitque ex magna prouiſione charitatis, vt eò ſingulorum robuſtiùs pes figatur, quo in alterum alter innititur*. Opinari quis poſſet, hæc dicta ad alienum ſolummodò bonum ſpectare, ſed quiſquis ille ſit, opinionem deponat ſuam, & ſciat, ea etiam (ſi fiant) in proprium facientis bonum vergere, & redundare. Quibus Gregorius Magnus olim in vrbe, pro orbe Chriſtiano, & Chriſto in terris Vicarius, cur Deus amicis Iob iuſſa dederit, rogarent eum, vt deprecaretur pro ipſis, & reſpondet, Deum hoc eo fine iuſſiſſe, vt efficaciores fierent preces, quas tantus hic Patriarcha Deo offerebat pro ſemetipſo. Qui namque (præſertim ex officio, vel promiſſo) orat pro alio, ob

S. Greg. to. 4. lib. 1. Reg. ep. 24. ad fin.

ob præſtitam charitatem meretur, vt oratio facta pro ſe neruoſior, & impetratu fructuoſior euadat apud Deum altiſſimum. Quod ſententioſè his paucis verbis confirmat idem Gregorius. *Quiſquis pro alijs intercedere nititur, ſibi potiùs ex ipſa charitate ſuffragatur.* Nolite, precor, clauum Nauiculæ Chriſti tenentes oſcitare; dum hæc ſcribuntur, atque leguntur, plus in hanc rem dicere poſſem, hæc tamen, quia ſufficere puto, à pluribus ſtylum abſtineo, quia apud quos auditus bonus non eſt, non libenter effundo ſermonem. Itaque ad alium progrediamur paragraphum. *Idem lib 35. mor. c. 7. in fine.*

§. & Conſilium III.

Agitur de Patrocinio Cœlitum, & imploratione eorum.

QVemadmodum Prælatorum, & animas curantium preces, atque oratus pro diſcipulis, & ſubditis facti ſunt ex obligatione, ita vi pollent placandi Deum, magnaſque ab ipſo gratias impetrandi. Inter alias Sacræ Scripturæ ſententias, atque relatus, quibus hæc veritas comprobatur, in rem noſtram permultùm intereſt, illud memorabile factum, quod libri Exodi, & Numeri referunt, auſos fuiſſe Moyſem, & Aaron ratione Gubernij ſuper populum Dei, ſibi ab eodem commiſſi, & demandati. Inquit enim Sacer Textus in citatis libris contentus, eos interuentu precum, & orationum ſuarum ſe interpoſuiſſe inter Deum, & filios Iſrael, vt hac via, & ratione eos protegerent ab indignatione, & pœna, quam Deus apud ſemetipſum ipſis inferre decreuerat. Per quod factum vult Spiritus Sanctus nobis non incognitam magnam efficaciam, & poteſtatem, quam Deus in hos duos fratres contulerat ob officium, quod gerebant, Magiſtrorum, & Rectorum populi ſui, quæ tanta erat, vt Deus dixerit Moyſi, ne ſe impediret à ſeuera, & rigidà ſumenda pœna, quam penes ſe ſtatuerat ſuper populum eius: *Dimitte me, vt iraſcatur furor meus contra eos, & deleam eos.* Alio præterea loco imperat ipſis, vt ſe ſegregent ab eis, quò ſibi integrum foret executioni mandare à ſe iam latam ſententiam, de ijſdem momento delendis. *Locutuſque Dominus ad Moyſem, & Aron ait: Separamini de medio Congregationis huius, vt eos repente diſ-* *Exod. 32. v. 10.* *Num. 16. v. 21.*

Digitized by Google

te diſperdam. Vbi illa verba; *dimitte me*: exponit Diuus Hieronymus in cap.13. Ezechielis, & inquit: Cui enim dicitur, *dimitte me: oſtenditur, quod tenendi habeat poteſtatem*. Hac autem tanta poteſtate potiebantur hi duo fratres germani, & Rectores integerrimi, ſuarum efficacia, & ſuffragio precum. Altè inſidet animo Dei, ſi ipſum videre contingat, à ſeipſo conſtitutos aliorum Prælatos, Prophetas, atque Magiſtros ſuo deeſſe muneri, quod gerunt, mediorum, ac ſequeſtrorum inter ſe, & populum ſuum. Delinquunt enim in vna, ex ſuis, quas habent, præcipuis obligationibus, quæque talis conditionis eſt, vt, ſi impleatur, paſſim plurimùm cedat, & vertat in Dei gloriam, animarumque ſalutem, perinde pro ſubditis, ac Prælatis. Noluit Deus hoc Rectorum aliquorum indignum facinus apud ſe ſolum condere, idcircò, eo cum Ezechiele Propheta amiciter communicato, conqueſtus, & faſſus eſt, ſe indignatione commotum, & grauiter laceſſitum, quod hoc genus homines non omnem poſuerint operam, vt ſuis precibus, & meritis ex zelo ſecundum ſcientiam interpoſitis, murum non erexerint pro defenſione populi ſui, hocque agendi modo partes non expleuerint ſuas Rectorum, & Prophetarum. Sic ſonant verba querelarum Dei: *Non aſcendiſtis ex aduerſo, neque oppoſuiſtis murum, pro Domo Iſrael*. Longè alio Moyſes ſe geſſit modo, qui percitus zelo gloriæ Dei, boníque populi ſibi commiſſi, ſe oppoſuit animaduerſioni iam à Deo deciſæ, atque ex bonæ ratiocinationis præſcripto enthymemate facto, tanto feruore, & animo pro reis eſt deprecatus, vt Deo dicere non timuerit, aut oblitera, & expunge me de libro vitæ, aut ſontibus, quos protectioni, & ducatui meo ſubmiſiſti, condona; nil cauſatus exceſſum, & enormitatem facti, quod tamen per ſe ſolum imminutum ire poterat animum viri tam cordati, ſed inconcuſſa animi eius confiſio, quam in bonitate, & miſericordia Dei reponebat, ſecurum reddidit eum. Iam loquitur verbis propriis, qui tam heroicè ſe geſſit: *Reuerſus ad Dominum ait: obſecro, peccauit populus iſte peccatum maximum, feceruntque ſibi Deos aureos, aut dimitte eis hanc noxam, aut ſi non facis, dele me de libro tuo, quem ſcripſiſti*.

S. Hieron. in c. 13. Ezech.

Ezech. 13. ver. 5.

Exod. 32. v. 32.

Refert deinde Sacer Textus, criminis tanti difficultate non obſtante, impetraſſe à Deo, quod ſuo populo tanta inſtantia, & fiducia flagitabat. Per hoc tam generoſi Regentis factum duobus inſtruimur. Vnum eſt, rogatus Prælatorum pro ſubditis

magna

Digitized by Google

magna vi (à Deo tamen conceſſa) polſere. Alterum nunquam quibuſcunque contra obnitentibus abijciendam eſſe ſpem obtinendi à Deo, quod debitè poſtulamus, quod inde collige. Etenim gloriæ ſibi vertit altiſſimus, ſe ſuper eos, quos Patrum, & Rectorum honorauit officio, fixos habere oculos, ſi tamen tales fuerint, qui precum ſuarum, & orationum efficacia, & virtute vſui ſint, ad ſuos probè defendendos, omneſque iræ Diuinæ ictus ab eis meritos auertendos, & declinandos. Habeamus verbis eius hac ſuper re ſic ſonantibus fidem: *Muri tui coram oculis meis ſemper.* Rectores autem, & animarum *Iſ.49.v.16.* Magiſtri, ſatis habere non debent, ſi pro ſuis ſubditis preces, & poſtulationes offerant Deo, ſed opus eſt etiam, vt quoſcunque poſſunt, interponant ſequeſtros, atque Patronos, eos verò potiſſimùm, qui apud Deum plus cæteris valent, ad impetrandam miſericordiam eius. Sit Moyſes hac in re noſter inſtructor per illam, quam cum Deo habuit amicabilem pugnam, in qua ipſi magnos reuocauit in mentem amicos, Abraham, Iſaac, & Iſrael, ita locutus: *Recordare Abraham, Iſaac, & Iſrael ſeruorum tuorum.* Quorum patrocinio, & meritis vſus eſt ad obtinendum, quod poſtulabat: ſi namque Prælatorum, Moderatorum, & Amicorum Dei precationes, atque rogatus tanta polleant vi, in mortali adhuc vita agentium, nondumque integumentum corporis exutorum, vt videre licet in Moyſe, & Aaron, noſtroque Propheta, & Patriarcha Elia, cuius orationes (teſte Iacobo in ſua Catholica) tantæ fuere valentiæ, vt illis loco clauium vteretur ad cœlum claudendum, & recludendendum, retentis, & inde effuſis aquis, prout ſibi bonum, & placitum videretur, vt liquet ex ſequentibus Catholicæ verbis. *Elias homo erat ſimilis nobis paſſibilis, & oratione orauit, vt non plueret ſuper terram, & non pluit annos tres, & menſes ſex. Et rurſum orauit, & cœlum dedit pluuiam, & terra dedit fructum ſuum.* Si, inquam, Antiſtites, Rectores, & Amici Dei tantum confecerint mortale adhuc corpus induti, quid non poterunt confirmati in gratia, intimè Deo vniti, perfectè filio eius conformes, liberi proinde, & exempti ab vniuerſis miſerijs, & periculis huius miſerabilis vitæ. Extra diſceptationem firmum, & ratum habeo, eos propemodum omniualentes eſſe; affirmat Diuus Thomas, eiuſmodi patrocinium tantæ pollentiæ eſſe, vt amici Iob ipſi conſilium dederint, vt ſi reuelationem ſibi factam à Deo per ſe ſolum ſatis tenere, & expedire non ſufficeret, eligeret

Exod. 32. v. 13.

Iacob. 5. v. 17

Digitized by Google

geret, & aſſumeret, ſibi aliquem ex Sanctis in Patronum, cuius meritis ſibi concederetur lumen, quo eam capere, & aſſequi poſſet, vti ex ſequentibus Diui Thomæ verbis patebit hac forma prolatis. *Et ſi per merita propria hæc à Deo obtinere non putas, ad aliquem Sanctorum conuertere, vt eo mediante huius rei veritatem à Deo cognoſcere poſſis.* Cùm itaque Cœlitum aduocatio, & eorum in Patronos adoptio tantum conferat ad bene, & fructuosè regendum, operæ pretium me facturum exiſtimo, ſi in præſentia nonnulla de ea carptim, breuiterque perſtringam, percupidus, Prælati vtantur multoties, & crebrò hoc tam ſalutari, valido, & efficaci præſidio, vt res & conatus eorum inter omnes difficultatum ſyrtes, & vada ex ſententia fluant. Hoc Ambroſius ſtylo perſequens argumentum, affirmat, vnum ex præcipuis Dei operibus, magnitudinem, potentiam, & bonitatem eius mundo palam facientibus, illud eſſe, quod aliquorum ſtolam gloriæ indutorum meritis, aliorum, qui eas commiſere, condonet noxis. Sic enim loquitur Ambroſius, qui quòd Ambroſia Cœli modo alatur, verè dignus eſt, vtpote ambroſiè ſemper locutus. *Magnus Dominus, qui aliorum merito ignoſcit alijs, & dum alios probat, alijs relaxat errata.* Leo Magnus, vt magnam noſtris mentibus de orationibus, & interuentibus Cœlitum æſtimationem inſtillet, & nos ad deuotionem aduersùs eos extimulet, pluribus extollit magnam potentiam, qua valent apud Deum, quibus hoc facit, his vtitur verbis. *Sanctorum diuitias concupiſcite, & per bonam æmulationem ipſorum ambite ſuffragia: cum quibus enim fuerit vobis conſortium deuotionis, erit, & communio dignitatis.* Magni facite, dicit, & impensè ambite inter Cœlites Relatorum ſuffragia, & habetote pro certo, quod ii, quibuſcum ſincera, & ex animo procedente deuotione vniti fueritis, ſint vobis obtenturi à Deo, vt ſuo tempore ipſis pares ſitis futuri in dignitate. Quaſi dicere vellet, omnem, quam poterunt, poſituri ſint operam, ad vos ſuæ, qua pollent apud Deum, authoritatis, & gratiæ, cæterorumque, quibus æternùm fruuntur, bonorum participandos. Vt hanc doctrinam ad ſubiectam trahamus materiam, eamque paulò enucleatiùs expendamus cum Sancto Thoma opus notare eſt, rationem, quare Deus, eiuſmodi preces, ac ſuffragia exaudiat, tantæque ſint efficaciæ à Deo ſibi conceſſæ, illam inter cæteras vnam eſſe, quod certo quodam pacto, & titulo aliquo ſpeciali debeantur ab illis, à quibus offeruntur, vt

D.Th. in c. 5. lect. 1. in princip.

S. Ambr. l. 5. in cap. 2. Luca ad illa verba quorũ fidem.

S. Leo Papa ſer. 5. de Epiphan. Dom.

vt ex eiuſdem libet verbis auctoris cognoſcere. *Ratio autem, quare quis ſit audiendus, & orare debeat pro alijs eſt, ſi illi ſpecialiter pertineant ad ipſum.* Eadem etenim ratione, qua Deus ſua dona, & gratias, hoc, & non alio ordine, & modo conferre ſtatuerit, atque voluerit, vt progreſſurus, & perfectio aliquorum, à fauore, & interuentu aliorum dependeat, neceſſum etiam fuit, vt diuina prouidentia eius, his ſpeciali quodam aſſiſteret, & adeſſet auxilio, quo poſſent ſuo ritè fungi officio, & ea, quæ pro ſe, & alijs poſtulant, impetrare. *D. Thom. in cap. 17. Ioan. lect. 2. prope finem.*

Vt finem denique huic imponamus conſilio, & ad patrocinium, ac ſuffragationes, quæ perinde pro Prælatis, ac ſubditis magis vſui eſſe poſſunt, deueniamus, ſermone tam de Angelicis Spiritibus, quàm Beatis Animabus implorandis, & in Patronos adoptandis inſtituto, primo loco, vt digno procedam ordine, pono Sacratiſſimam Corporati Verbi Humanitatem, quæ, teſte Diuo Paulo, iugiter interpellat Patrem pro nobis. Proximum meretur locum Immaculatiſſima, ac Puriſſima eius Mater, ac ſemper Virgo Maria, quæ vniuerſaliſſima, & potentiſſima omnium miſerorum Patrona eſt. Sequuntur deinde Angeli in tutelam vniuſcuiuſque noſtrum deputati à Deo. Secundum hos illi beatitate donati, quorum nomina nobis in Baptiſmate impoſita ſiue dignè geremus, ſiue indignè. In talium numerum pariter referendi ſunt, Archimandritæ, & Inſtitutores ordinum iam Cœlo fruentes, qui Religionum à ſe inſtitutarum ſunt Patres, ac Fratres in Domino, eorumque intereſt, eaſdem in ſtatus ſui integritate tueri, & conſeruare. Vel denique alij quicunque beati, quos ſibi quiſque priuatim pro ſua deuotione elegerit. Pro coronide itaque, in Domino hortor, & etiam, atque etiam conſulo Prælatis, vt vtantur opera ſimilium potentium mediorum, ſequeſtrorum, & interpellatorum, ad magna beneficia, & gratias pro ſe, & ſubditis ſuis à Deo impetranda. Quod vt fiat, non opus eſt, multùm temporis impendatur, cùm ad hoc ſatis ſit quælibet ſimplex aſpiratio, & eleuatio mentis in Deum, qua implorari poſſunt à ſe electi, cuncti vnà Patroni, ac tam bona, & vtilis oratio in opus deduci.

Digitized by Google

§. & Conſilium IV.

Superſedendum eſt Prælato cura Regiminis ſtatis orationis horis.

TAmetſi ſtatuto orationis tempore ſint commendandi à Prælato ſubditi Deo, ſibique, ab eodem lumen, & gratia poſtulanda, vt ſupra iam ſuaſimus, committere tamen non debet, vt diſtractionibus ratione curarum officij, eo potiſſimùm tempore importuniùs ſe ingerentibus aditum pandat: ſi namque ſemel portam aperiat eiuſmodi cogitationibus, tot difficultates inſtar numeroſi exercitus, eum omni ex parte adorientur, & taliter implicabunt, vt totum tempus, quod pro bono animæ ſuæ impendere debuiſſet, ſine fructu non ſolùm ipſius prætereat, ſed etiam cum iactura magna, ac detrimento ſubditorum ſuorum. Etenim, vt non indiligenter aduertit os aureum Diuus Ioannes Chryſoſtomus, bona Rectorum, & ſubditorum pari paſſu incedunt: de qua re verbis ſuis ſic loquitur. *Quando nobis ipſis attendimus, tunc, & grex lucrum habet.*

Ioan.Chryſ. to.3.hom.44. in Act.Apoſt.

Ex Diuo Paulo, qui ante Chryſoſtomum fuit, hæc doctrina deſumpta videtur, qui agens de circino, quo ſuum tempus, & exercitia menſurabat, hæc verba ad ſuos perſcripſit Corinthios. *Siue enim mente excedimus, Deo, ſiue ſobrij ſumus, vobis, Charitas Chriſti vrget nos.* Verba nonnihil obſcura ſunt, nos ea hoc modo loquendi reddamus clariora, ſiue per contemplatum ſurſum ferar in Deum, & vltra terrena omnia mente ſuſtollar, ipſiſque emineam, atque ſuperſtem, ſiue ex tanta altitudine me denuo demittam ad terram, & temperem ſpiritus mei exceſſum, vt cum diſcipulis meis conuerſer, eoſque inſtituam, hoc totum facio non intuitu ſolùm priuati lucri, atque compendij, verùm etiam eorum, quos erudiendos ſuſcepi: quia, quod ex conuerſatione cum Deo mecum ex alto reporto, id etiam illis, quibuſcum ago, impertior. ita vt hæc duo exercitia alium finem non ſpectent, quàm vtilitatem animarum ipſorum.

2. Cor. 13.

Nec Diuus Thomas alio hunc Textum modo intellexiſſe, & explanaſſe videtur, dum aiebat: Apoſtolum ideò dixiſſe, quòd ſua tempus ita inſumendi ratio, taliſque in functionibus ſuis ordi-

ordinem tenendi modus ſuam originem non in ſuum proprium referrent commodum, atque emolumentum, ſed in impulſum potiùs Charitatis, & dilectionis Dei, queis vrgebatur ad perfectè amandos ſubditos ſuos, & ad exercitia ſua eatenus ordinanda, vt inde ſubditi poſſent aliquem percipere fructum; hæc, inquam, ſentit Diuus Thomas, Paulum Apoſtolum de ſemetipſo ideo voluiſſe referre, vt Superiores, ac animarum Magiſtros inſtrueret, quàm neceſſarius ſit ipſis hic agendi modus ſi ſuam velint, qua ſubditis tenentur, obligationem implere. Addit deinde idem Theologorum Apex, quòd, cum vita, & virtus verborum, ac exempli, ab oratione, Deique conſortio, tanquam à ſuo fonte promanent, ideo his præ illis in ſuo relatu primum dare voluerit locum, per verbum autem *Exceſſus*, quo tempus contemplationis, qua ſoli Deo vacabat, innuitur, perfectam obliuionem cæterorum omnium non impropriè denotari. Ex quibus denique, vt rem certiſſimam conficere poſſumus, Prælatos eo ſuos neutiquam negligere ſubditos tempore, quod in proprium impendunt animæ ſuæ progreſſum, neque per hoc vllatenus deeſſe vigilantiæ ad ipſorum officium requiſitæ, quin imò ex oppoſito eò magis ipſos eorum promouere bonum, quò accuratiùs inſtiterint proprio, priuatæque perfectioni. In ſua, quam ſuper illa Cantici Canticorum verba: *Ego dormio, & cor meum vigilat*, elucubrauit paraphraſi, ad hunc ferme modum philoſophatur Gregorius: quando ab externis vitæ huius curis me elongo, atque expedio, earumque intentione me abdico, tum inſtar ſomno ſopiti me eſſe exiſtimo, animoque omni cura ſoluto, interiora, & incorporea perſpicaciùs, atque penitus introſpicio. Extra poſitis dormio, intus exiſtentibus aduigilo, & quò minor mihi ſenſus eſt de externis, eò faciliùs, atque ſuauiùs interiora comprehendo. Per hæc eius ſenſum dedi, modo etiam eius verba, quibus ipſe loquitur, ſubiungo, & ſic ſonant. *Dum exteriores ſenſus vitæ ſollicitudinibus ſopio, vacante mente, viuaciùs interna cognoſco: foris dormio, ſed intus cor vigilat. quia dum exteriora, quaſi non ſentio, interiora ſolerter apprehendo.* Quæ verba ad Superiores poſtea reſtringens fatetur, omnes eos, ſi boni ſint, hoc modo ſe gerere, quia, vt ſine auocamento mentis ſuæ à Deo, & abſque ſui ipſius, ac ſubditorum neglectu, partes ſuas res externas concernentes explere valeant, ad penetrale animæ indeſinenter quaſi recurrere ſatagunt, vbi

D. Greg. to. 2. lib. 23. c. 12. ad med.

Digitized by Google

per obliuionem rerum hic infrà iacentium, ſomno haud abſimilem vocem Dei, eiuſque præceptiones, ſeu diſciplinam percipiunt, donec per intentam conſiderationem à ſuis ſenſibus, corporeiſque functionibus auocentur. Et hæc erat vox, quam Sponſa in Canticis, dum ſomno indulgebat, à ſuo Sponſo ſe audiuiſſe fatetur, dum dicebat. *Ego dormio, & cor meum vigilat*. Quæ dixi omnia innituntur verbis Gregorij hoc tenore compoſitis. *Hoc quotidie boni Rectores faciunt, & coet:, vt enim exterioribus officijs inoffensè deſeruiant, ad ſecreta cordis recurrere inceſſabiliter curant, & ſic vocem Dei, quaſi per ſomnium audiunt, dum in meditatione mentis à carnalibus motibus abſtrahuntur. Hinc eſt, quod Sponſa in Canticis Canticorum Sponſi vocem, quaſi per ſomnium audierat, quæ dicebat: Ego dormio, & cor meum vigilat*.

Ibid. parum ante.

Vt vis metaphoræ huius ſomni faciliùs capiatur, oportet animum ad id aduertere, quod hominibus vſuuenit ſomno ſopitis naturali, per cuius tempus tota externorum, & internorum ſenſuum, facultatumque animi reſpublica, & œconomia proprijs officijs, & actionibus deſtituta, orbata, & priuata eſſe videtur, cùm tamen, ſi bene aduertas; hæc eadem (quæ alicui derelictio poſſet videri) virium, & actionum cœteroquin ſe inuicem ſtrenuè iuuantium interſtitio, illiuſque generis actiones, quibus pro tunc anima digeſtioni, & corporis nutritioni incumbit, non niſi inſtrumenta, & adminicula ſint, quibus eadem ipſa roboratur, conſeruatur, atque perficitur. Si autem ſomni quietem ſemel ſuſtuleris, omnia ſenſuum, & animi facultatum opera, non niſi è recto agendl tramite inutilis, & noxia deuiatio erunt.

Per collationem ex Canticis Canticorum de Sponſa allatam, Gregoriique Magni datam doctrinam euidenter pernoſcimus, quàm multum Prælati orationis, & contemplatus ſomno indigeant, vt magnum in ſuis ſubditis procreare valeant animæ lucrum, & fructum.

Sed quoniam præſens conſilij huius hortatus, & documentum Prælatis Oppido neceſſarium eſt ijs potiſſimùm, qui Regulares gubernant, & ſe plus æquo officio Marthæ impendunt, placet id alia, quæ multùm in rem eſt, ſimilitudine confirmare, quæ talis eſt. Altrix infantulum lactans, ſi velit, quo indiget, ei nutrimentum præbere, opus eſt, ex propria ſubſtantia ipſum ſuſtentet. Lac enim Nutricis ex ſanguine procreatur, ex quo conſequens eſt, vt ſi ipſa ceſſet ſubſtantiam ſanguinis

guinis augmentare, ſomnoque abſtineat, quo lac formatur, & creſcit, ſibi, & paruulo iniuriam faciat. E contra, ſi ſolidum capiat nutrimentum ſui, ac neceſſarium ſomnum, tum & ipſa bona fruitur valetudine, multùmque boni infantulo præſtat, quem educandum ſuſcepit. Non ſecus vſuuenit inter Prælatos, & ſubditos, quorum hos paruulos eſſe oportet, prout Apoſtolus Petrus cooptat, vt eiuſmodi ſint, eorumque more ſe gerant: *Sicut modo geniti infantes, rationabiles, ſine dolo lac concupiſcite, vt in eo creſcatis*. Licèt autem daremus, ſubditos quandoque ſapientia, qua inclareſcunt, magnos exiſtere, adhuc tamen ipſis Apoſtolus conſulit, vt per virtutem modeſtiæ paruulos ſe faciant, expertes malitiæ, & nutrimentum lactis quærentes, vt excreſcant in magnos, & ad perfectionem ſeſe pedetentim promoueant, hacque animi præparatione inſtructi ſuos magni facere diſcant Antiſtites, à quibus lac doctrinæ accipiunt, quo demum agendi modo ſuos inducent, atque mouebunt Superiores, vt ipſos tanquam Patres liberorum more ſuſtentent, magiſque ſe exercitio orationis, & contemplatus impendant, dum aduertunt, labores à ſe impenſos, & æſtimari, & non fruſtra impendi. 1. Pet. 2. v. 2.

§. & Conſilium V.

Moderantem, perſonis vitæ contemplatiuæ Studentibus, & addictis, oportet in contemplatione eſſe bene verſatum.

GRegorius Magnus (cuius Doctrinæ ſuperſtruemus Conſilium) de cunctis in genere Rectoribus agens, aſſerit, par eſſe, vt ſubditos ſuos contemplatione excedant, qui verbis ſuis ſic loquitur: *Sit Rector præ cunctis contemplatione ſuſpenſus*. Vnde, quò magis ſubditi fuerint vitæ contemplatiuæ ſtudioſi, & addicti, eò magis decet Superiorem eadem altiore in gradu eſſe conſpicuum, atque præſtantem. Nam iuxta eiuſdem magni Patris ſenſum, atque ſententiam, eſſe Prælatum, eſt eſſe vniuersè Superiorem, omnique eo, quod ab ipſo docendi ſunt, ſubditis ſuis præſtantiorem. Bonus ergo, atque perfectus Rector ille dicendus eſt, qui iure ordinis Hierarchi- *Greg. tom. 3. paſt. c. 5.*

rarchici non ſolùm loci, ordiniſque primatu, quem ei dignitas tribuit, ſed etiam bonæ vitæ conuerſatione, & exemplo cœteros antecedit. Fundatur hæc poſitio verbis Diui Gregorii ita loquentis. *Bene quoque operantes ſubditos, ſicut honore ordinis ſuperat, ita & iam morum virtute tranſcendat.* Idcircò nequit vitam contemplatiuam profeſſorum eſſe Superior, qui non fuerit in ſtudio contemplationis multùm progreſſus, atque exercitus. Etenim, quod ſufficit, vt quis agat Diſcipulum, non ſatis eſt, vt quis perfungatur officio Magiſtri: nam huic in præſens, & reipſa habendum eſt, quod illi habituri ſunt in futurum. Hac de cauſa dicebat Gregorius, nos, qui inſignimur nomine Magiſtrorum, & ductorum aliorum, tenemur bonis operibus monſtrare ipſius viam ſalutis. *Quia Ductores dicimur, viam ſalutis gradientibus oſtendamus.* Proinde quò ſtatus, & inſtitutum viuendi fuerit ſublimius, atque perfectius, eò maius in ductoris intellectu lumen requirit, vt internoſcere valeat non ſolùm ea, quæ ad maiorem faciunt perfectionem, verùm & illa, quæ illius acquirendæ poſſunt eſſe obſtaculo, atque impedimento. Requirit inſuper in eiuſdem voluntate maiorem rerum Sacrarum guſtum, & affectum, vt indulcorare nouerit, quod noſtræ naturæ corruptioni videtur tam inſipidum, atque amarum. Hanc affectionis dulcedinem donum Sapientiæ tribuit opera exercitij contemplationis, quibus Antiſtites idonea inſtrumenta euadunt, ad eadem in ſuis ſubditis per doctrinam, & exemplum producenda effecta, quibus ipſi iam potiuntur, & perfruuntur. Hanc ob cauſam appellat Spiritus Sanctus ſponſæ labia (quibus teſte Gregorio Rectores, & Doctores Eccleſiæ typicè adumbrantur) fauum mellis diſtillantem dulcedinem. *Fauus diſtillans labia tua, ſponſa, mel, & lac ſub lingua tua.* Fauus enim ex duobus componitur: vnum eſt cera, quæ vſui eſt, ad lumen, quo oculi inclareſcunt, fouendum, & nutriendum, alterum eſt mel, quo ſumendus cibus ſapore conditur, de quibus Spiritus Sanctus affirmat, ea ſub lingua ſponſæ latere, vt, teſte Gregorio, differentiam, quæ intereſt inter perfectos, & imperfectos Prælatos, quorum aliqui frequentiùs ſuper linguam mel habent, dum de perfectione ea ſolummodo dicunt, prædicant, quæ vel ex lectione, aut ſtudijs didicere. Alij è contra habent ſimul in corde, ac proinde ſub lingua doctrinam, eiuſque dulcedinem, quia eam non à deforis exiſtentibus, ſed

Vbi ſupra.

Idem Tom. 4. lib. 7. Regiſt. Epiſt. 113.

Cant. 4. v. 11.

Digitized by Google

ſed per ab intus latentem contemplationis experientiam, ſibi ſunt indepti, & conſecuti. Ob id verba iſtorum, ſi proferantur, auditores ſuos incendunt flamma deſiderij, eiuſdem dulcedinis ſuo tempore deguſtandæ. Verba enim talium vſque ad fundum animæ penetrant, præclaroſque, & ſe dignos, inibi producunt effectus. Quæ dixi, firmo verbis Gregorij ita ſuper hæc differentis. *Falſi prædicatores mel in lingua portant, quod ſub lingua portant, quod ſub lingua non habent: quia cæleſtia gaudia aliquando prædicant, tanquam veri ſint, cùm ipſi Terreſtria bona totis deſiderijs appetant. Sancta verò mens mel in lingua portendit: quia ſapientiæ dulcedinem loquendo oſtendit, quam veraciter prædicans, audientes tanquam mellis dulcedine reficit: ſub lingua autem hæc omnia ſibi ipſi reſeruat, quia internam dulcedinem aſſiduè ſecum portat.* Diuinus Spiritus Diuinè, & ab eo, vt par eſt, in ſua explanatione non recedens Gregorius; lac, & mel, vnà vtrumque iunxere; in ſenſu namque allegotico ob pares, quos naturaliter operantur effectus, haud imparem etiam pariunt notionem, & intellectum. Mel namque ore ſumptum, & ſe pro nutrimento tribuit, dulcemque iuxta ſaporem. Non ſecus lac ex ſubſtantia lactantis procreatum, dum ſe ſumenti tribuit, quaſi ſubſtantiam lactantis tribuit, cum fœnore adiuncti, & in ſe contenti dulcis ſaporis. Quapropter per hæc mellis, & lactis nomina, & ſubſtantia exempli laudatorum. Prædicantis operum, & ſuauis contemplatoris experientia, quæ intus latet, verbiſque ab extra exprimitur, optimè in ſenſu methaphorico denotantur.

S. Greg. ſuper hunc loc. Tom. 2.

§. & Conſilium. VI.

Eligat ſibi Prælatus ſtatum, & præfinitum tempus, quo de rebus ad Regimen attinentibus diſponere poſſit, præſertim ſi reprehenſio alicuius momenti facienda occurrat.

CErtum quotidie, & definitum firmat ſibi Prælatus tempus, quo diſcutiat, vtrum non boni communis aliquid interſit, vel ſubditi re aliqua (ſiue ad corpus, ſiue ad animam ſpectet) opus habeant, vt ipſis paternè valeat prouidere. Per hoc

Digitized by Google

hoc tempus inter cœtera etiam mente ſecum reuoluat, vtrum non aliqua correptio, haud leuis momenti incidat facienda? Quod, ſi ita ſit, omnem, quoad poteſt, tali in occaſione curam intendat, vt verbis pro correptione dicendis, ſit cautus, circumſpectus, moderatus, temperatus, diſcretus, perſonaſque bene diſtinguat, quæ omnia vt exactè obſeruet, inſequentia priùs ſecum reputare non parùm iuuabit.

Primùm, quomodo ipſemet ſua teneat, & bona ſeruet propoſita. Deinde in mentem ſibi reuocet proprios ſuos defectus, in quos facilè ſolet prolabi, tametſi eos emendandi non ficto deſiderio quandoque ſe incaleſcere ſentiat. Præterea non perfunctoriè animo ſecum verſet, qua ratione, & in quam partem correptionem ferret, & acciperet, ſi loco ſubditi foret. Denique ſectetur Conſilium à Diuo Paulo omnibus Rectoribus præſcriptum, quo dixit. *Fratres ſi præoccupatus fuerit homo in aliquo delicto, vos, qui ſpirituales eſtis, huiuſmodi inſtruite in ſpiritu lenitatis, conſiderans teipſum, ne & tu tenteris*. Quaſi dicere vellet. Cui innotuerit Fratrem ſuum aliquid noxæ admiſiſſe, is ſtudeat, ſi forſan in bono firmior, rerum peritior, & integrior ſit, lapſum blandis verbis inſtruere, ſalutarique conſilio ad meliora erigere, interim animum ſuũ memoria non exuens, ſe etiam hominẽ tentationibus, caſibuſque expoſitum, & obnoxium eſſe, vt hoc tam humili de ſemetipſo ſenſu inde vindicari, & præſeruari mereatur. Diui Bernardi ſuper hunc textum ſcribentis mens, & aſſertio eſt, rem vtiliſſimam eſſe, ſi reuocemus nobis in mentem defectus proprios, vbi viderimus alienos, ne indignatione commoti, loco, quod commiſeratione, erga eos tangi, ipſiſque ad euadendum malum manum porrigere deberemus, eos potiùs perperam iudicemus, & cauſa condemnemus indicta. Quam ſaluberrimam ſuaſionem his ſuis contexuit verbis. *Ne fortè, ſi proximi malum conſideres, & tuum non attendas, mouearis non ad miſerationem, ſed ad indignationem, non ad adiuuandum, ſed ad iudicandum, denique non ad inſtruendum, in ſpiritu lenitatis, ſed ad deſtruendum in ſpiritu furoris*. Super hoc tanti momenti argumentum plura poſſem afferre, ſed interſiſto ſermonem, & ad Diuum Proſperum remitto lectorem, qui lib. 3. cap. 23. de vita contemplatiua, de hac fuſiùs diſſerit materia, quæ perſonæ eſt digna non perfunctoria ponderatione.

ad Gal. 6.

S. Bern. de grad. humilit col. 5. ad præd. locum.

§. &

§. & Conſilium. VII.

Præter cætera, duo habet munera, ſeu partes officium Prælati, Capitis, & Patris, quibus vt accuratè ſatisfaciat, haud parum conferre poteſt, ſi bona ſua opera pro ſubditis in oratione offerat Deo.

CHriſtus Ieſus exactiſſima forma omnium bene Regentium merita ſua Patri Æterno obtulit, in ſatisfactionem vniuerſorum peccatorum noſtrorum. Vt ergo Prælatus hoc tantum primæ Regendi formæ imitetur exemplum, pro certo habeat, ſe magnum facturum charitatis officium, ſi, quidquid per totam ſuam vitam eſt meritus, id per Dies ſingulos Deo ſubditis ſuis offerat ad veniam defectuum ab ijſdem commiſſorum, cœlitus obtinendam. Quod, vt magis meritorium, ac fructuoſum pro ſe, & ſubditis euadat, in rem haud parum erit, ſi ſtudeat ſua merita cum meritis Chriſti Domini coniungere, vnire, & vnà offerre; quod, opinante Doctore Gentium, eſt proprium Pontificis, ſacrique moderatoris officium. Hac de cauſa non ex Angelicis Spiritibus, ſed ex hominibus deligitur, vt ſit medius, & ſequeſter hominum apud Deum, eorumque inſtar Patris miſeratus conditionem pro modo cognitionis defectuum, & ignorantiæ ipſis adhærentium, teneriore cum affectu animi dona, & ſacrificia pro peccatis eorundem Deo nouerit offerre. Quod ex ſequentibus Diui Pauli verbis planum eſt. *Omnis namque Pontifex ex hominibus aſſumptus pro homminibus conſtituitur in his, quæ ſunt ad Deum, vt offerat dona, & Sacrificia pro peccatis: qui condolere poſſit his, qui ignorant, & errant, quoniam & ipſe circumdatus eſt infirmitate.* Hunc agendi modum cum ſuis patientiſſimus Iob filijs, vt bonus pater familias tenuit, & ſeruauit, de quo Sacræ Paginæ referunt, ipſum quotidie pro quolibet eorum obtuliſſe Sacrificium ad placandum Deum, caſu, quo aliqua in re offendiſſent eum. *Conſurgenſque diluculò offerebat holocauſta pro ſingulis: dicebat enim, ne fortè peccauerint filij mei.*

Ad Hab. 5.

Iob. 1. v. 5.

Hæc eadem verba, & quidem in rem noſtram etiam à Caſ-

ſiano referuntur, & expenduntur cap. 10. collationis 6. Huiuſmodi autem exercitium in maius adhuc meritum aſſurget, ſi Prælatus hanc oblationem faciat in ſatisfactionem defectuum à ſubditis contra ſe commiſſorum: hac enim Ratione ſe totum ſpoliabit, & in mores Charitatis Ieſu Chriſti penitus immigrabit, qui pro ſuis tortoribus Patrem exorans dixit: *Pater dimitte illis; non enim ſciunt, quid faciunt.*

Luc. 23. v. 34

DISCVRSVS QVARTVS.

De viua, & firma fide, qua Prælatus polleat, neceſſe eſt, vt ſuorum corda ſubditorum ad res Diuinas erigere, & ſuſtollere valeat, annexa pariter ratione, quæ ipſi ineunda eſt ad conſequendum talem effectum.

§. & Conſilium. I.

De modo, quo à Prælato iuuandi ſunt ſubditi, vt in ipſis viua, & per Charitatem operans fides conſeruetur.

FIDES, docente Apoſtolo, eſt totius ex viuis virtutum, & ſanctimoniæ lapidibus, aſſurgentis, ad Cœlum vſque pertingentis, illique ſe demum inferentis ſtructuræ fundamentum, adeòque fons, & origo bonorum omnium: *Eſt autem fides ſperendarum ſubſtantia rerum.* Confeſſus verò Patrum Tridenti, in definitione fidei, præter fundamenti, etiam nomen radicis, dum ſic inquit, adiungit: *Fides eſt humanæ ſalutis initium, fundamentum, & radix.* Vbi per compoſitionem verbi fundamenti, & radicis vuult, nobis inſinuetur, fidem non eſſe fundamentum inanimum, ſed ad inſtar radicis vigore præditum, illud

Ad Heb. 11.

Conc. Trid. ſeſſ. 6. c. 8.

illudque bonis, fructuoſiſque infundendis operibus, quæ ab huiuſmodi fundamento procedunt. Ex quo infertur, fidem ex vna, fundamentum verò, & radicem ex parte altera, propter ſimilitudinem, quam ad inuicem habent, ita poſſe componi, atque conferri. Nam quemadmodum ſoliditas, atque ſtabilitas materialis fabricæ à firmitate fundamenti dependent, & viror, vel vita arboris à bonitate radicis; ſicuti etiam, quò fundamentum fuerit firmius, radixque vitalior, & cultior, eò etiam ſolidius, & diuturnius erit ædificium, arbor verò fertilior, nobilioribuſque, & pluribus fructibus feracior. Pari modo, quò firmitas, vita, & perfectio Fidei fuerit præſtantior, eò Sacrum Religioſæ communitatis ædificium (ſiue priuatum, ſiue bonum commune ſpectes) erit firmius, longioriſque durationis, taliſque arbor, melioribus, pluribuſque frugibus copioſior. Et quia Prælati, vt infra videbimus, non ſine ratione fundamenta Eccleſiæ nuncupantur, idcircò in eorum animis oportet, veritates fidei altis inhæreſcant radicibus, vt ex obligationibus, quibus ſubditis ſuis obſtringuntur, facilè coniectu eſt. Chriſtus Dominus ſuos docturus Diſcipulos firmitatem, & perfectionem fidei, qua præſtare deberent, ſi digni, & fundamen, tales lapides, verique Eccleſiæ ſuæ Præſules eſſe vellent, ex eis primùm generatim, quid vulgus de ſe ſentiret, eſt ſciſcitatus. Deinde (vt magis de ipſorum fide conſtaret) eoſdem tanquam perſonas plus cæteris opus habentes fide, & ad perfectionem eiuſdem habendam ratione munerum ſuorum magis obſtrictas, ac in generali quæſtione à ſe iam facta, quaſi non comprehenſas, denuo ſpeciatim his verbis eſt percontatus. *Vos autem, quem me eſſe dicitis?* Ad quod quæſitum à Petro Apoſtolo ſingulari lumine cœlitus illuſtrato, charitatiſque feruore accenſo, nomine omnium illud tulit reſponſum, quo idem Apoſtolorum vertex eſt proteſtatus, ipſum eſſe filium Dei viuentis. *Math. 16. v. 5.*

Seruator autem perfectione tantæ fidei collaudata, compoſuit ipſum cum firmitudine petræ, & dixit, ſe ſuper illum fundaturum Eccleſiam ſuam, quod ex his eius verbis compertum eſt. *Et ſuper hanc Petram ædificabo Eccleſiam meam.* Vt hac ratione principium daret Euangelicis præfecturis, ſacroque earum gubernio. Ipſo deinde, quia fidem ſuam, eiuſque firmitatem magis præ cæteris ſibi probauerat, in caput vniuer- *Ibidem verſ. 18.*

ſalis Eccleſiæ electo, eorum etiam, quos in Prælatos eiuſdem Eccleſiæ aſſumere cogitabat, hoc loco examinauit, & periclitatus eſt fidem. Denique his nondum contentus, fecit inſuper periculum de firmitate ſpei eorum, charitatiſque feruore, vt bonum, concernens animas, in tota Eccleſia, cunctiſque fidelibus omni ex parte firmaret, & ſtabiliret. Pro indubitato ergo, & explorato ex dictis habendum eſt, Chriſtum Dominum magnam in populi ſui Rectoribus fidem exigere, & poſtulare.

Vt autem adhuc planius fiat, quàm ſit Prælatis, & animarum Magiſtris proprium viuæ, & feruentis fidei exercitium, quàmque expediens, vt ea in gradu perfecto ſint dotati, placet mihi vti verbis Apoſtoli, qui non retinentis ingenij, ſed Rector ſincerus, & apertus erat, vt finem ſuos non celaret Romanos, propter quem à Chriſto Domino ad gradum Apoſtolatus erat euectus, his verbis Epiſtolam exarauit ad ipſos.

Rom. 1. v. 5. *Per quem accepimus gratiam, & Apoſtolatum ad obediendum fidei in omnibus gentibus pro nomine eius*. Caietanus Diuis, Auguſtino, Hieronymo, Magiſtroque innixus Angelico, mentis eſt, hæc verba. *Ad obediendum fidei in omnibus gentibus*, ita reddi debere, vt ſit ſenſus, *ad docendas omnes Nationes*, vt fidei obſequentiam præſtare non detrectent. Vbi pro gnoma ſtatuit, primum Apoſtolici muneris fructum eſſe docere Diſcipulos, & ab ipſis talem obedientiam exigere, & obtinere, vt intellectum mancipare nouerint famulatui Ieſu Chriſti. Eius autem

Caietanus in hunc locum. gnome his conſtat verbis. *Fructus Officij Apoſtolici primus deſcribitur pro propaganda obedientia fidei, hoc eſt, vt gentes obediant fidei. Ad hoc enim miſſi ſunt, & ad hoc ſtuduerunt Apoſtoli, vt inſererent obedientiam fidei, vt redderent homines obedientes fidei, vt in captiuitatem reducerent omnem intellectum in obſequium Chriſti*. Hæc Caietani ſententia magnum habet fundamentum in Diui Pauli doctrina, quæ in diuerſis epiſtolarum eius locis, & textibus inuenitur, qui de ſua agens conuerſione, refert ſuum Diuinum Præceptorem ſibi dixiſſe, quod legerit, & eo fine ad gentes miſerit ipſum, vt oculos cæcorum aperiret, tene-

Act. 26. v. 18. briſque abſterſos Euangelij luce colluſtraret. *Ego mitto te aperire oculos eorum, vt conuertantur à tenebris ad lucem*. Hoc ergo proprium, & præcipuum Apoſtolorum, & ſucceſſorum eorundem eſſe officium, inde etiam haud obſcurè colligi poteſt: quia Chriſtus Dominus, vt Petro ani-

mum

Digitized by Google

mum adderet, ac in fide perfectum efficeret, ipſi paulò ante paſſionem occultare non voluit, qua ratione Sathan inſtiterit, vt grauibus tentationibus inſtar tritici ipſum cribraret, ſe verò oraſſe pro ipſo, vt in fide firmus perſiſteret, pro cuius aliquali retributione beneficij, iuſſit ipſum forti eſſe animo, ſuoſque confirmare Fratres in bono, in quorum numero reliqui cenſebantur Apoſtoli, Prælati Eccleſiæ, ac verbi Dei Præcones, vt ſuis ſcirent perfectè fungi officijs. In cuius facti relatu Euangeliſta Lucas his vſus eſt verbis. *Ait autem Dominus: Simon, Simon, ecce Sathanas expetiuit vos, vt cribraret ſicut triticum, ego autem rogaui pro te, vt non deficiat fides tua, & tu aliquando conuerſus confirma fratres ſuos.* *Luc.22.v.31*

Obiter tantùm, & in tranſcurſu hic attingendum occurrit, pro certo habendum, Petrum Apoſtolum per negationem Chriſti incurriſſe reatum, fidem tamen non perdidiſſe, quòd ex illa ab Apoſtolis Chriſto Domino facta petitione conſtare videtur. Cùm enim hic diuinus Magiſter quadam vice ipſos doceret modum, quo ipſis cum fidelibus agendum, & culpæ aliorum remittendæ eſſent, tum illi pro ſuæ incremento fidei, quaſi pro vnico, & principe præſidio ſupplices ipſi his verbis fuere. *Et dixerunt Apoſtoli: adauge nobis fidem,* ad quorum inſtantiam exauditis, in tam perfecto, & alto gradu ipſis largitus eſt fidem, vt magna aggredi, & heroica patrare facinora poſſent, ad quæ electos ſe ſcirent, dum in Magiſtros, & Rectores Eccleſiæ ſunt aſſumpti, & conſtituti. Quiſquis ergo non infra, ſed vltra popinalem doctrinam aliquid ſapit, & noſcit, dubio ſubijcere non poterit, quin oporteat Prælatos in rebus fidei apprimè eſſe verſatos; tum quia, vt vidimus, Magiſtri munere clari, tenentur ſibi Subditos dogmatibus Fidei bene inſtruere, tum quia maioribus infeſtationibus, concuſſionibus, & cribrationibus Dæmonis expoſiti, & infeſti, maiore etiam præ cæteris indigent fidei robore, vt contra omnes maligni ſpiritus impetus, & violentias inſtar columnæ firmi, immoti, & inconcuſſi perſiſtere valeant. Chriſtus Dominus ſuo honore proſecuturus Apoſtolos, eorumque in officijs ſucceſſores, proprio nomine, & competente ſibi iure titulo, eos affecit, & donauit, dum eoſdem lumen orbis appellare dignatus eſt: *Vos eſtis lux mundi.* Et quia ſolus, & incomitatus titulus non multùm vertit ad laudem, etiam competentem Sapientiam, naturamque ſupergreſſum lumen, tanquam fons, *Luc.17.v.5.* *Matt.5.v.19*

& au-

& auctor omnis lucis adiecit, vt per eos tanquam per capita loco ſui poſita, ad Eccleſiam Militantem, & omnia eius membra illud diffunderetur. Ratio autem propter quam ipſis luminis nomen indiderit, fuit: quia par erat, ipſos tanta Sapientia, & fidei lumine, & quidem in tam alto, & ſublimi gradu eſſe illuſtres, vt ad ritè peragendum ſapientiæ officium, proprio eius nomine opus haberent. Paulus Apoſtolus à Spiritu Sancto inſtructus eandem viam, & agendi Chriſti Domini rationem inſtitiſſe videtur, dum Chriſtum Dominum 1. ad Corinth. 3. his verbis fundamentum vocauit. *Fundamentum enim aliud nemo poteſt ponere, præter id, quod poſitum eſt, quod eſt Chriſtus Ieſus*. Eiuſdem poſtea nomenclaturæ honore affecit Apoſtolos, atque Prophetas, huncque in modum perſcripſit ad Corinthios. *Iam non eſtis hoſpites, & aduenæ, ſed eſtis Ciues Sanctorum, & domeſtici Dei ſuperædificati ſupra fundamentum Apoſtolorum, & Prophetarum ipſo ſummo angulari lapide Chriſto Ieſu*. Sit licitum mihi nonnihil dilucidare hæc verba, ita dicendo. In domo Dei non ampliùs diuerſores eſtis, & peregrini, ſed de ipſa familia Societatis Sanctorum, ſuperſtructi fundamento Apoſtolorum, & Prophetarum, ideſt, doctrinæ, & Fidei, quam ab ipſis edocti eſtis, hacque ratione ſolidati, & vniti lapidi angulari, primarioque fundamento Chriſto Ieſu, de quo Gregorius Magnus hæc verba pronuntiauit. *Ipſe quippe fundamentum fundamentorum eſt*. Etenim (vt Sanctus Thomas ſuper cap. 3. 1. ad Corint. ſcribit) Ipſe ex ſemetipſo habet proprietates voce fundamenti translatitia ſignificatas, cœteri verò per Fidem, qua in ipſum, eiuſque verbis credunt, eas participant. Vnde non iniuria vocat Apoſtolus fidem ſubſtantiam, & fundamentum, ſuper quod omnes ad ſpiritum referendæ res, & quas in hac vita ſperamus, æternæ, adeoque virtutes omnes ſunt fundatæ, & extructæ. Congruenter ad promiſſas loquendo ſumptiones affirmandum eſt, increati Sapientiam verbi, Chriſtum Dominum volo, ſub cortice luminis, & fundamenti eundem nobis doctrinæ nucleum porrigere velle: Etenim ex Cardinale Hiſtorico Tridentini Conſeſſus tales ſolent effectus procedere, qualis eſt cauſarum conditio, propiorum præcipuè: ipſe vero eſt Auctor, & cauſa principalis luminis cœleſtis, & vnà primarium fundamentnm, auctorque Fidei, ac Sapientiæ ſuperantis naturam. A Chriſto ſecundis competit nomen fundamenti Apoſtolis, & Prophetis, ſuper quo-

1. Corint. 3. v. 11.

Ad Epheſ. 2. v. 19. 20.

D. Greg. l. 28. moral. cap. 5. S. Tho. ſuper c. 3. 1. ad Cor. lect. 2.

Ad Hebr. 11.

Digitized by Google

quorum doctrina lumen, & veritas Fidei fundantur, Fides verò eſt in vnoquoque fideli primum, & principale omnium aliarum virtutum fundamentum.

Egregiè à nobis facit Diui Thomæ doctrina aſſerentis ad propriam fundamenti rationem non ſatis eſſe, vt aliqua res ſit comparatè ad alias prima, ſed inſuper requiritur, vt cum reliquis partibus ſit ſimul vnita, & coniuncta, tantaque polleat firmitudine, & robore, vt eas ſibi impoſitas valeat ſuſtinere; & his tribus conditionibus omnes illi præſtent, neceſſe eſt, de quibus diximus fundamenta eſſe vitæ, quæ ſtudio, & exercitio ducitur virtutum. Super qua re hæc ſunt verba Doctoris Angelici: *Ad rationem fundamenti non ſolùm requiritur, quòd ſit primum, ſed etiam, quòd ſit alijs partibus ædificij connexum, non enim eſſet fundamentum, niſi & aliæ partes ædificij cohærerent.* *D.Tho. ſuper cap. 3. 1. ad Cor. lec. 2.*

Idem deinde Sanctus adhuc maius robur cogitatui noſtro adiungit, dum alio loco inquit, comparationem à fundamento materiali deſumptam bifariam poſſe conſiderari, primò ex parte ordinis, quo antecedit omnes alias partes ſe ſuper fundatas, deinde ex parte roboris, & virtutis, qua ſuſtentat, & eaſdem iungit ad inuicem partes. Hæc autem duo, quod attinet, intercedit ſimilitudo in Chriſto, eiuſque Miniſtris, Apoſtolis, & Prophetis, necnon in Fide per ipſos à nobis accepta, quæ eſt prima omnium reliquarum virtutum, ipſiſque vnionem confert, & robur, vt virtutes naturam ſupergreſſæ euadant, ſiquidem ſine illa nemini integrum eſt placere Deo. Quæ omnia his verbis firmat doctrina Diui Thomæ: ita loquentis; *Poteſt autem iſta ſimilitudo attendi quantùm ad duo, ſcilicet quantùm ad ordinem: quia fundamentum præcedit alias partes: & etiam quantum ad virtutem fundamenti, quia fundamentum totum ædificium ſuſtentat, quorum vtrumque per ſimilitudinem in fide inuenitur, quia ipſa in omnibus alijs naturaliter prior eſt, & alia in ipſa firmantur; quia ſine ipſa impoſſibile eſt placere Deo.* Vnde vt omnia vno verbo concludam, præcisè pronuncio, omnino opus eſſe, vt animarum Paſtores, & Rectores, qui loco Dei poſiti ſunt, munuſque Apoſtolorum, & Prophetarum obeunt, partibus illis, atque conditionibus præpolleant, quæ ad hoc, vt quis ſit ſolidum fidei fundamentum, ſunt requiſitæ: ſuper ipſos enim tota moles fabricæ Spiritualis innititur, atque incumbit. Et quoniam ſimul inſtrumenta ſunt Dei, ad ipſos pariter ſpectat diuinæ opera gratiæ firmitatem, & incremen- *2.2.q.4.ar.7. ad 4.* *D.Tho. in 3. ſent. diſt. 23. qu. 2. art. 25. act. 2.*

tum

tum conferre Fidei ſub ſua diſciplina degentium, eoſque benigno ſanæ doctrinæ, rectæque regendi rationis influxu in vnione, & pace, cum Deo, ſecum, & alijs tueri, & conſeruare.

§. & Conſilium II.

De Prælati internæ fidei exercitio, cuius feruor exteriùs in doctrina eius, reſplendeat, oportet.

SVperiore allata paragrapho, hic enucleatiùs perſequi, & expendere eſt animus. Vt ergo fides Prælati tanquam bona, & valida radix, fructus, de quibus ſermo, progignere poſſit in ſubditis, eam ita firmam, & valentem eſſe oportet, vt per congruentes exteriùs ſe manifeſtare poſſit effectus. Salomonis opinamentum eſt, omnis bonæ adminiſtrationis, & regiminis originem eſſe, ſi quis viuæ opera Fidei de Deo recta induat, & formet iudicia. Suam hac de re mentem his teſtatam voluit verbis. *Diligite iuſtitiam, qui iudicatis terram. Sentite de Domino in bonitate, & in ſimplicitate cordis quærite illum. Quoniam inuenitur ab his, qui non tentant illum, apparet autem ijs, qui fidem habent in illum.* Gloſſæ interlinealis arbitratus eſt, quòd Prælati per hæc verba admoneantur, Sacras ab ipſis Scripturas, per quas Deus, tam in ſe, quam ſua humanitate nobis innoteſcit, ſine vlla contradictione, imò earum cum approbatione, iudicijque ſubmiſſione eſſe legendas. Verba Gloſſæ ſic ſonant. *Hoc eſt, Scripturas piè legite, approbando, non redarguendo.* Quæ ſi bene ponderemus verba, deprehendemus nos per ea doceri, firmam ab intus, & bene radicatam nobis habendam eſſe fidem de omnibus à Deo reuelatis rebus, quod eſt radix omnis bonæ adminiſtrationis, dignæque doctrinæ. Os aureum oſtenſurum nobis, qua ratione vita, & efficacia bonæ doctrinæ in veram refundatur fidem, hanc affert ſimilitudinem, & inquit: quod perinde, ac arbor radice carens nullum producit fructum, ita doctrina, quæ à radice Fidei non procedit; illique tanquam fundamento non innititur, nullum operetur effectum. Do vobis propria eius verba; ita ſonantia. *Sicut planta abſque radice fructum non profert, ita abſque fidei fundamento non proficit ſermo doctrinæ.* Non ſecus ſentire Cle-

Sap. 1.

Interl.

D. Chryſ. to. 4. in 1. ad Cor. 4.

Clemens Alexandrinus videtur, dum inquit: *Fides enim eſt doctrinæ perfectio*. Noluit Propheta Regius clam Mundo habere, ſe ſuo tempore imperterritè, & non incaſſum publicas feciſſe veritates ſibi reuelatas à Deo; cauſam autem, ob quam hoc facere potuerit, aliam non aſſignat, niſi ſuam viuam, & bene radicatam, quam habuit, fidem, quod his de ſe faſſus eſt verbis. *Credidi propter quod locutus ſum.* *Clem. Alex. lib. 1. pedag. cap. 6.*

In horum explanatione verborum affert S. Auguſtinus inſignem pro Superioribus, & Præſulibus doctrinam, materiæque, de qua agimus, admodum conformem, vbi ſic inquit. *Credidi, hoc eſt, perfectè credidi. Non enim perfectè credunt, qui quod credunt, loqui nolunt. Ad ipſam enim fidem pertinet, etiam illud credere, quod dictum eſt: qui me confeſſus fuerit coram hominibus, confitebor & ego eum coram Angelis Dei. Ex hoc enim eſt appellatus fidelis ille ſeruus non tantùm, quia accepit, ſed quia impendit, atque lucratus eſt. Ita & hoc loco non ait, credidi, & locutus ſum, ſed propter hoc dicit, ſe locutum eſſe, quia credidit.* Illi ergo perfectè non credunt, qui vel nolunt, vel non audent docere, aut in publicum proferre, quod credunt: fides enim, vt non manca, ſed perfecta ſit, illud etiam credendum eſt, quod, referente Matthæo, à Chriſto Domino in hæc fermè verba eſt dictum, qui veritates ſibi cœlitus inſpiratas publicando, atque docendo me coram hominibus agnouerit, & proteſtatus fuerit, illum & ego pro meo agnoſcam, probatumque aſſeram coram Angelis Dei. Fidem deinde Africanæ Eccleſiæ lumen in ſuorum, & noſtrorum confirmationem dictorum adducit exemplum Euangelici ſerui (per quem Paſtores, & animarum Ductores deſignantur) de quo ex Euangelio conſtat, non ideo tantùm bonum, & fidelem vocari, quia bonum naturæ, & gratiæ donum dono accepit, ſed quia illud bene impendit, ſuæque opera doctrinæ Filios Deo lucrifecit, eorumque numerum auxit. Ex vtriuſque itaque tam regij vatis, quàm Africani Doctoris dictis conficitur, quàm multùm debeant Prælati eſſe eminentes, & alijs fide antelati: quæ tamen in ipſis perfecta eſſe nequit, niſi ex ea ſuæ traditione doctrinæ lucrum faciant in bonum, & progreſſum animarum ſubditorum ſuorum. *S. Auguſt. in Pſalmos ſuper hunc loc.*

Pergit deinde in eiuſdem Pſalmi explanatione porrò idem Hipponenſis Antiſtes, & exponit etiam ad præcitata, proximè ſequentia verba, vbi Regius Pſalmorum Scriptor, & Cantor

Digitized by Google

refert perſecutiones, deſpicatas à ſe, ea de cauſa perpeſſos, quòd hoc in munere partes ſuas dignè expleuerit, cuius occaſione expoſitionis attingit obiter Sanctus Doctor aliam Prælatis, & Euangelicis miniſtris perutilem inſtructionem, dum, inquit, Vatem diuinum id referre, quod ratione fidelitatis, vti interna dictabat fides, à ſe in publicatione ſeruatæ, ſuſtinuit, vbi in laudem Pſaltis hæc memorat verba: *Paſſus enim eſt multas tribulationes propter verbum, quod fideliter tenebat, fideliter impendebat, & humiliatus eſt nimis*. Quæ verba haud dubiè cedere poſſunt in ſolatium eorum, qui pari obligatione tenentur, vt exinde certò perſuaſum habeant, ſibi pariter non defuturas contradictiones, & deſpicientias, ſi partibus ſuis, vt tenentur ſatisfacere velint.

Ibid. Ego autem humiliatus ſum nimis.

Eundem perinde Prælati, ac Sacri vates progignunt in Subditis fructum, dum ijs per ſuam doctrinam inſtillant bona animi ſenſa, interpoſitu Fidei ſibi à Deo priùs conceſſa, hacque ratione obtinent, vt membra viua fiant, & non diſpares Ieſu Chriſti partus, quod proprium viuæ fidei officium eſt in Rectorum animabus reſidentis. Textum illum, vbi Apoſtolus ſibi gloriæ ducit, quòd Fidei, & Prædicationis Euangelicæ opera Corinthios genuerit, ſuo ſolito acumine examinans Caietanus inquit, ab Apoſtolo ibi per hæc verba probari, ſe eorum Patrem, & ipſos filios eſſe, ſe Magiſtrum, & ipſos diſcipulos, omnes ſibi inuicem in Domino Ieſu Chriſto vnitos; idem poſtea Auctor ſubiungit, propriè dici poſſe, quòd ipſos genuerit, quia impertiuit ipſis eſſe ſubſtantiale, dum primus extitit, qui per inſtitutionem ſuam eos in fide formauit, quæ eſt ſubſtantia Chriſtiani, Chriſtianæque fundamentum doctrinæ, omniumque operum à virtutibus promanantium, quæ in eiuſmodi ſubſtantia fundantur, eamque perficiunt, atque conſumant. Quæ diximus, menti Caietani eſſe conformia, hæc eius verba teſtantur. *Probat ſe Patrem in Chriſto, & illos filios. Et propriè dicit, genui, in quantùm velut ſubſtantiale eſſe contulit, dum primus fuit apud eos Prædicator Fidei Chriſti, Fides enim eſt velut eſſe ſubſtantiale in Chriſtiano, ſicut & ſuperiùs dictum eſt, fundamentum reſpectu aliarum virtutum*. Tales ergo partus, tales fructus, tales effectus à fide Prælati ſunt producendi, ſi velit, vt eius feruor in publicum prodeat, & in oculos aliorum pro bono exemplo incurrat.

Caiet. in c. 4. ad Corint. in citata verba.

§. &

Digitized by Google

§. & Conſilium III.

Quid conferre poſſit ad perficiendam, & validam reddendam fidem Prælati, qua potis effectus magna patrare opera in ſubditis poſſit.

VT fides Rectorum pro modo difficultatum, quas aggredi debent, robur acquirat, eam confirmare oportet, non doctrina ſolùm, ſed etiam exercitio virtutum, quo bona, quæ iam habent de Deo, animi ſenſa perficiuntur, prout Diuus Hieronymus, & Auguſtinus hæc ſuper Sapientiæ verba. *Sentite de Domino in bonitate*; Scribentes teſtantur, quorum ille, loco *Sentite*, *Sapite* legit, quæ vox non qualemcunque ſonat cognitionem, ſed rei, quam fides ſpeculatrix docet, vſu, & experientia comparatam, eamque hoc modo ſumptam Sapiens nobis commendat ab efficacia, quam eiuſmodi experientia tribuit verbis, redditque recta de Deo iudicia meliora. Super illa verò, quæ citata proximè ſequuntur verba, & ſunt. *Et in ſimplicitate cordis quærite illum*, affirmat Auguſtinus, quærere in ſimplicitate cordis Deum perinde eſſe, ac quærere in puritate cordis, quam neceſſe eſt, antecedat vnio virium animæ ad complementum omnigenarum virtutum: *In ſimplicitate cordis quærite illum, Hoc eſt enim mundum cor, quod eſt ſimplex cor.* In promptu eſt ratio: cor enim ad æterna, & inuiſibilia erectum, habet ratione puritatis ſuæ vim, corda diſcipulorum à multiplicitate rerum terrenarum abſtrahendi, & ad res cœleſtes, ac materia carentes erigendi, illaque dextro regendi modo perficiendi.

Hieron. in c. 55. & 56. Iſ. Sapien. 1.

D. Aug. to. 4. lib. 1. de Ser. Dom. in Mõte c. 2. ad iſta verba Sap. 1. & in ſimplicitate, & cæt.

Si deinde miſſis communibus ad ſingularia, ac præcipua, per quæ feruor Fidei in Prælato ſe procedere debet, ſigna ſermonem inclinare velimus, puto ea in duobus conſiſtere: primùm in magna, quæ Prælato habenda eſt, æſtimatione rerum Sacrarum, atque Cœleſtium, deinde in magno rerum temporalium, & caducarum contemptu; ita vt, cum vaſe Electionis non iniuria dicere poſſit: *Omnia arbitror, vt ſtercora, vt Chriſtum lucrifaciam*. Quaſi dicere vellet, cuncta terrena apud me non ſunt alio, quam luti loco, iiſque ex animo nuncium remitto, vt gratiam, & ſimilitudinem Ieſu Chriſti indipiſcar,

A Philip. 3. v. 8.

Digitized by Google

non pro me tantùm, ſed etiam pro omnibus, Fidei, & Curæ meæ commiſſis. Hæc duo vnius Prælati præclara, feruoremque Fidei eiuſdem indubitatè prodentia decora Paulus Apoſtolus tetigiſſe videtur, dum de ſe fatebatur, quòd ſine intermiſſione omnem nauauerit operam, vt iuxta præſcriptum Chriſti in Euangelio, ſuæ interuentu Doctrinæ, operaque contemptus omnis rei in ſeruitium Chriſti non cedentis, cunctiſque alijs non curatis, præter bona vitæ æternæ, perfectè in ſuis ouibus formaret Imaginem Ieſu Chriſti, quod nobis inſinuatum voluit his verbis à ſe ad Galatas ſcriptis: *Filioli mei, quos iterum parturio donec formetur Chriſtus in vobis.* Totumque, quod ipſis deerat, tali cum dolore, & operoſitate tribuebat, qualis ſolet eſſe dolor puerperæ, magnaque cum perſeuerantia, & æquanimitate eoſdem tolerabat, vſquequò videret Imaginem Ieſu Chriſti in ipſis ad amuſſim expreſſam; & quia in illum, quem imitabatur, erat omnimodè transformatus, poterat tanquam perfectum Magiſtri ſui exemplar diſcipulos ſuos, eadem, qua ipſe præditus erat, Fide imbuere, conſiliumque dare, vt eo ſe imitarentur modo, quo ipſe ſuum Diuinum imitabatur Magiſtrum, ſi eius ſimilitudinem perfectè referre vellent. Perſequebatur quondam oratione Guaricus Abbas Fidem Moyſis, magni ſuo tempore Ducis, & fideliſſimi inſtructoris populi Dei, in eiuſdemque laudem, & noſtrorum confirmationem dictorum hæc protulit verba. *Non modo viua, vel viuida, ſed & conſtans, & intrepida Fides erat Moyſis, de quo Paulus ſcribit, Fide reliquit Ægyptum, non veritus animoſitatem Regis.*

Ad Galat. 4. v. 19.

Guaric. ſer. 4. de S. Benedicto. Heb. 11. v. 27.

Fuit ergo Fides Moyſis non obuia, aut qualiſcunque, ſed ita ſolida, & intrepida in occaſionibus, quæ occurrebant, vt, teſte Paulo, propterea, quæ credebat Moyſes, non ſolùm Ægyptum dereliquerit, verùm & omne id, quod alijs in delicijs, magnoque in pretio eſſe poterat, vti ſunt voluptates, & diuitiæ, imò ipſa indignabundi Regis nil curata potentia, vt ex adiunctis eiuſdem auctoris verbis videre licet, quæ ſunt talia: *Animoſi ſunt Reges, ſed animoſior eſt Fides, quippe quæ potentiam eorum nullam eſſe videt, ac per hoc omnem perſequentium inſaniam ſecura, quaſi Superior irridet: promptior, & fortior ad perferendum, quàm illorum furor ad perſequendum.*

Ibidem.

Meo ſenſu, ſenſus Auctoris eſt talis. Sint Reges quantumcunque animati, interriti, & confidentes, eos tamen fides animoſitate excedit longè, vtpote compertam habens imbecillitatem

Digitized by Google

tatem potentiæ eorum, ipſiſque excelſitate animi multùm ſuperſtans, floccipendit inſectationem eorum, eſtque paratior,& expeditior ad ſuſtinendum, quàm ipſi ad inſequendum, & exercendum. Pergit deinde idem magni nominis Abbas in Moſaicæ diſcuſſione Fidei porrò, & in ea duo, quæ habebat, conſiderat, per quæ nobis duæ vnius Prælati eximiæ dotes ob oculos ponuntur, duæque monſtrantur viæ ab ipſo, ſi maiorem Dei Gloriam,& bonum publicum promouere ſeriò velit, omnino ineundæ, hiſque expreſſæ verbis; *Moyſes contempſit proſpera, nec timuit aduerſa*. Vtriuſque autem rationem (inquit idem) Apoſtolus aſſignat, & planum facit, noſtram exinde eneruari fidem, quia noſtros non defigimus oculos in Ieſum Chriſtum, nec bona æterna, quibus prœmio Fides afficitur. *Ibidem.* *Ad vtrumq; verò* (ſunt verba citati Abbatis) *cauſam Apoſtolus ſubiunxit, vnde ſcilicet id potuerit, vt diſcamus, vnde Fides noſtra infirmetur in nobis*. Quod probat verbis eiuſdem Apoſtoli capite adducto, vbi inquit Moyſem præhabuiſſe iniurias pro Ieſu Chriſto toleratas omnibus opibus, gaziſque Ægypti: quia intendebat oculos in præmium, quo eiuſmodi opera remunerarentur à Deo. *Maiores diuitias æſtimans theſauro Ægyptiorum improperium Chriſti: aſpiciebat enim in remunerationem*. Quæ conſideratio inducebat ipſum ad deſpiciendam inordinatam rerum huius vitæ appetentiam, bonoque in omnibus ſucceſſu eius fortunabat gubernium. *Ibidem.* *Ibidem.*

Poſtremò idem iam ſæpius memoratus Moſaicæ Fidei Encomiaſtes, & laudator, vt probet, quare oculos in æternam retributionem ſemper habentes fixos, tam mirabilia operentur, his verbis concludit: *Nimirum inde fit, vt nihil reputentur temporalia, ſi præ oculis habeantur æterna, & vt facilè poteſtas contemnatur humana, ſi tanquam ſemper imminens poteſtas timeatur diuina. Vtrumque verò ſola fides agit, cuius tam viuidi, tam perſpicaces ſunt oculi, vt & in ea, quæ futura ſunt, proſpectum viuaciter porrigat, & in ea, quæ licèt præſentia ſunt, occulta ſunt tamen, intuitum perſpicaciter figat: Fidem ſiquidem, quam æternus Spiritus illuminat, nec mora temporis, nec moles corporis præiudicare poteſt, quin & tempus præcedat, præſumendo, quod futurum eſt, & corpus excedat, intuendo, quod Spiritus eſt*. Exinde ergo hic magnus Præſul Scita conſecutione deducit, quòd res temporales comparatæ ad æternas, tam viles, & abiectæ videantur Seruis Dei, tamque facilè contemnantur, omniſque potentia humana nil prorſus *Ibidem.*

formi-

Digitized by Google

formidetur, aliam cauſam non eſſe, quàm ſi multùm timeatur Deus, cuius interminationes, & miræ indeſinenter, & ita nobis impendent, vt, ſi malè egerimus, eius iudicium, & animaduerſionem euadere nullatenus valeamus. Hos autem tam magnos imperterriti cordis effectus ſola, & vnica operatur fides in nobis, cuius intuitus ita acutus, & penetrans eſt, vt pernoſcat futurum, & præſens, quod aliàs oculos fugit corporeos, introſpiciat, & hoc inde nanciſcitur, quia lumen eſt à Spiritu infuſum Diuino, cuius acies, quò minùs penetret, nec diſtantia temporis, nec moles, aut ſpiſſitas corporis obſtaculo eſſe poteſt, quia omne materiale ſupereminens, Spiritum ab intus obtectum denudat, peruadit, & pernoſcit.

Quidquid de Fide feruente, & bene radicata, prout comprehendit Fidem interiorem, ſalubri doctrina manifeſtatam, omniumque virtutum vſu, & exercitio conſumatam hucuſque diximus, id totum ab Apoſtolo loco citato confirmatur, & roboratur, qui finem illi ſuo Capitulo hac concluſione imponit, & aſſerit Sanctos, probatoſque Rectores Fide lucrifeciſſe Regna, perfeciſſe iuſtitiam, nactos promiſſa Dei, præualuiſſe contra Leones, contra impetum ignis, contra aciem gladij, imbecillitatem vertiſſe in robur, denique ſuperaſſe, cunctiſque de hoſtibus ſuis generosè reportaſſe victoriam. In teſtes *Heb. 11. v. 33.* propria eius verba adduco hoc tenore conſtantia. *Qui per fidem vicerunt Regna, operati ſunt iuſtitiam, adepti ſunt repromiſſiones, obturauerunt ora Leonum, extinxerunt impetum ignis, effugerunt aciem gladij, conualuerunt de infirmitate, fortes facti ſunt in bello, Caſtra verterunt exterorum*. Licèt autem Apoſtolus hic loquatur de Patriarchis, & moderatoribus populi Dei, idem tamen intelligendum etiam eſt de Apoſtolis, & Apoſtolicis Viris, qui Euangelij tempore floruere, quod dilectus Chriſti Diſcipulus Ioannes teſtari videtur, dum ſuo, ſuorumque Diſcipulorum *Ioan. 5. v. 4.* nomine inquit: *Hæc eſt victoria, quæ vincit Mundum Fides noſtra*. Qua victores euaſere, omnibuſque in Mundo repertis difficultatibus Superiores, inter quas præcipuas computo illas, quæ in Gubernio ſolent occurrere, de quibus hic ſermo eſt. Tales ergo partus, tales fructus, tales effectus à Fide Prælati ſunt producendi, vt eius feruor ab extra appareat, & in oculos aliorum incurrat.

Digitized by Google

DISCVRSVS QVINTVS.

Magna à Prælato ſpes in Deo eſt reponenda, vt ſibi apud eum conciliet gratiam, & iuuari ab eo mereatur ad omnes ſuperandas, & exantlandas difficultates, quæ in Regimine ſolent occurrere.

§. & Conſilium I.

Condecens eſt, Prælatos anchora Spei ſolidè eſſe fundatos.

FIDES, cuius ſuperiore paragrapho fecimus mentionem, ſpe ſemper comitata incedit, quæ à fide ſuam trahit originem, illique certam ſuperaddit perfectionem. Idcircò Apoſtolus, vt fidem quæſitiùs explicaret, certis eam dictionibus circumſcripſit, ac definitionem eius etiam ſpe in obliquo poſita conſtare voluit, vt teſtis eſt Diuus Thomas his verbis: *Vnde fuit neceſſarium, vt quadam circumlocutione deſignaretur per id, quod conſequitur ad fidem*: nuncupando eam ſubſtantiam, & argumentum, quo in notitiam rerum ſperandarum inducimur. Idem deinde Apoſtolus Galatis ſcribens affirmat, nos frui ſpe opera, & beneficio Fidei. *Nos enim ſpiritu ex Fide ſpem iuſtitiæ expectamus*. In quæ verba, ſic Sanctus Thomas: *Sicut ergo Fides ex ſpiritu, ita ex fide eſt ſpes*. Per quæ verba pro matre Fidei aſſignatur ſpiritus, & pro matre ſpei Fides. Vt autem faciliùs perſpici poſſit, quàm ſit Prælatis res propria huius virtutis exercitium, ex doctrina Doctoris Angelici animaduertere oportet, quòd, licèt ſpes directè non ſpectet bonum alterius, (quod tamen Sacræ Præfecturæ officium eſt) ſed tantùm bonum priuatum, ſub conſideratione ardui, futuri, & aſſecutu poſſibilis, ſi tamen anteponatur amor, quo bona alterius, vt propria com-

D.Th.2.2.q. 17.art.7.ad 2.

Ad Galat. 5. v.5.

D.Th. in hūc locum.

computamus, & diligimus, hac ratione virtus Spei reſpicit etiam bonum alterius, & hunc effectum vnio operatur, quia ſicut ipſa efficit, vt bona propria fiant communia, ita cauſa eſt, vt bonum alterius ſperetur, vt proprium. Optimè ergo Doctor Angelicus hac ratione concludit, quòd, ſicut amor, quo quis fertur in Deum, ſeipſum, & proximum, non eſt niſi vnica virtus, ita ſpes, qua amatur, ſperatur, & procuratur bonum priuatum, & alterius, ſit pariter vnica ſolummodo ſpecie virtus. Verba propria, quibus hæc aſſerit, ſunt iſta. *Dicendum, quòd ſpes poteſt eſſe alicuius dupliciter: vno modo abſolutè, & ſic eſt ſolius boni ardui ad ſe pertinentis: Alio modo ex præſuppoſitione alterius, & ſic poteſt eſſe etiam eorum, quæ ad alium pertinent, & infra. Sed præſuppoſita vnione amoris ad alterum iam aliquis poteſt ſperare, & deſiderare alteri vitam æternam, in quantum eſt ei vnitus per amorem. Et ſicut eſt eadem virtus charitatis, qua quis diligit Deum, ſeipſum, & proximum. Ita etiam eſt eadem virtus ſpei, qua quis ſperat ſibi ipſi, & alij*. Ea propter bene inquit Apoſtolus: *Charitas omnia ſperat*: Et quia Prælati ita tenentur cum ſuis eſſe vniti ſubditis, ſicut humani corporis Caput cum ſuis membris, inde eſt, quod ſubditorum ſuorum bonum ab ipſis ſperandum, & procurandum ſit inſtar priuati, & proprij boni. Inter omnes difficultates, quæ humana vallant negotia, maiores, ac grauiores, ſenſu meo, non reperies, quam illas, quæ circumſtant gubernium, Sacrum potiſſimùm, ſiquis tamen Rectorum id exactè exequi velit. Inde fit, vt talium arduitas difficultatum maiorem præ cæteris, quæ vnquam occurrere poſſint, in Regente poſtulet gratiam, opemque diuinam, & hoc ex duplici capite, tum quia fructus digni Gubernij à voluntate aliorum dependet; tum quia Regimen ex ſe difficile, illud difficiliùs reddunt variæ, & graues circumſtantiæ eidem annexæ. Omnino ergo Prælatis opus eſt firmitudine ſpei, ne difficultatum grauitas eorum animum frangat, quo tamen ſummopere indigent, vt ſuas ad amuſſim expleant partes. Duo lumina Diuus Thomas ſpei attribuit, & ſic inquit: *Spes reſpicit duo, vnum quidem ſicut principale obiectum, ſcilicet bonum, quod ſperatur. Reſpicit etiam ſpes illud, à quo ſe ſperat poſſe conſequi bonum*. Bonum ergo quod ſperatur, ſpes reſpicit, vt obiectum primarium, vt ſecundariò verò illud, à quo ſperamus obtinere bonum ſperatum. Exinde iam haud obſcurè colligere poſſunt Prælati, quàm magna, & aſſidua ſit ipſis habenda, & reponenda in Deo fidu-

D. Th. 2. 2. qu. 17. art. 3.

1. Cor. 13. v. 7

D. Th. 1. 2. q. 62. art. 4. ad 8.

Digitized by Google

fiducia: Ipſe namque ſolus, & vnus omnino eſt, à quo fauorem opis cœleſtis ad bene regendum neceſſariæ operiri poſſunt, & debent. Vnde, quò ſucceſſus gubernij eſt incertior, & perplexior, eò maiore coguntur neceſſitate vtendi hac firma in Deo fidentia, eaſque ineundi vias, quibus ipſa comparatur, & indebita perficitur. Ipſa namque eſt, quæ prementibus in occaſionibus ſecuritatem tribuit, qua opus eſt, vt res ex ſententia fluant, & procedant.

Prudentiſſimum ergo oculatiſſimi morum humanorum indagatoris Gregorij Magni conſilium eſt, vt nobis Ioſue in memoriam reuocemus, qui cordatè confiſus ſuppetijs à Deo iuſtè petitis, tanta cum ſpe, & fiducia pugnam ex ſe dubiam inijt, vt hoſtes fundere, & ab eis victoriam reportare meruerit. Hoc autem Magni Pontificis monitum, atque conſilium his conſtat verbis. *De Spe omnipotentis Dei præſumere in dubijs quærimus? Ioſue ad memoriam reuocemus, qui dum dubia certamina certa mente ſubijt, ad victoriam ſine dubietate peruenit.* Ab Apoſtolo Paulo de inconcuſſa, & bene fundata ſpe, quam de ſuorum Sacro habebat ſubditorum progreſſu, faciente mentionem docemur modum, quo eam ſolidare ſtudebat, & alius non erat modus, niſi quod omnium bonorum, quæ ipſe gratia Dei fultus, operabatur, eos participes facere curauerit. Quod his ad Corinthios datis verbis notum voluit nobis. *Siue autem tribulamur, pro veſtra exhortatione, & ſalute, ſiue conſolamur pro veſtra conſolatione, ſiue exhortamur pro veſtra exhortatione, & ſalute, quæ operatur tolerantiam earumdem paſſionum, quas & nos patimur; vt ſpes noſtra firma ſit pro vobis, ſcientes, quòd ſicut ſocij paſſionum eſtis, ſic eritis, & conſolationis.* Quæ Apoſtoli verba, ſi paulò enucleatiùs expendamus, hunc in ſe ſenſum habere videntur. Siue affligar, & malè ab hominibus habear, hoc eſt è re ſalutis, & eruditionis veſtræ. Siue aliquo in hac miſeriarum valle ſolatio perfruar, hoc item eſt, pro veſtro ſolamine. Siue exhorter, hoc ſit in veſtrum hortamentum, atque profectum. In ſumma quidquid ago, quidquid operor, quidquid patior, hoc eo fine fit, vt vos inducam ad tolerantiam earundem quas ego perfero, paſſionum, & ad meorum piorum affectuum, & laudatorum operum imitationem, vt hac ratione ſpes, quam de veſtro progreſſu concipio, incrementum capiat, & augeatur, infallibili certitudine fretus, quòd, ſi fueritis ſocij afflictionum mearum, futuri ſitis, & ſocij conſolationum

Greg. Magn. to. 2. l. 2. in Ezech. 10. c. 15. prop. fin.

2. Cor. 1. v. 6.

Digitized by Google

tionum mearum. Caietanus in ſuo ſuper hunc textum commento mentis eſt, Apoſtolum Paulum Corinthijs ideo ſcripſiſſe, quòd fructum ſuarum paſſionum, & laborum non tantùm pro ſe ſolo ſperaret, ſed ſpem inſuper haberet eundem obtinendi pro ipſis, vt hoc beneficio ſibi eoſdem magis obnoxios faceret, & haberet; quod per hæc purpurati commentantis verba conſtare videtur, quibus ſic loquitur. *Non ſperamus nobis tantùm, ſed & ſperamus ſtabili ſpe pro vobis, vt intelligatis omnia noſtra eſſe pro vobis*. Fecit itaque Apoſtolus ſuarum ærumnarum, conſolationum, Sanctorumque animi motuum Corinthijs mentionem, ne eos lateret, omnia, quæ operabatur, in eorum cedere, & dirigi profectum. Quo facto docere Prælatos voluit modos varios, quibus ipſis vtendum eſt ad confirmandam, & roborandam tam ſuam, quàm ſubditorum in Deum confidentiam, vt tam ipſe, quàm ſui inde magnum percipere valeant fructum.

Caiet. in præd. locum.

Vt autem Prælati magni faciant exercitium virtutis ſpei, ad duo animum aduertere decet. Primum eſt, nil dari vſpiam, quo ipſi in occaſionibus magis iuuari, & animari poſſint, quàm huius magnæ virtutis exercitio: quia, ſi Sancto Ioanni Chryſoſtomo fidem habere velimus, nihil eſt, quod homines magis interritos reddat, maioremque in aggrediendis, & ſuperandis difficultatibus animi magnitudinem, & fidentiam adijciat, quàm bene fundata ſpes. Quod Chryſoſt. his ſuis verbis teſtatum facit. ***Nihil mentem hominis adeò virilem facit, & ad omnia audentem, vt ſpes bona***. Alterum, quod notatu dignum diximus, eſt, quòd Superiores bene hac in virtute exercitati, ſint cauſa, vt eiuſdem etiam ſubditi fiant participes, & hæredes, quod per Eccleſiaſticum planum eſſe colligi poteſt, qui poſtquam pro fundamento poſuerat, auditorem Sapientiæ, quæ in ſublimium (quas fides docet) veritatum conſiſtit notitia, futurum iudicem, aliorumque Rectorem: *qui audit illam, iudicabit gentes*, ſine vllius deinde interpoſitu adiunxit, cum, qui hanc bene ponderat veritatem, magnam exinde hauſturum in Deum fiduciam, & quaſi hæreditatis iure potiturum Sapientiam, creaturas verò, quæ ſunt quaſi partus, diſcipulæ, & ſubditæ eiuſdem Sapientiæ, per participationem poſſeſſuras eam. Do propria Sacri Concionatoris verba ſic habentia: *Et qui intuetur illam, permanebit confidens, ſi crediderit ei, hæreditabit illam, & erunt in confirmatione creaturæ illius*. Vbi Græcus habet:

Chryſoſt. to. 4. hom. 21. in ep. ad Roman.

Eccli. 4. v. 16.

Ibidem.

In

In poſſeſſione erunt generationes eorum; id eſt, à tantæ ſpei Superioribus deſcendentes pro poſſeſſione, & hæreditate participaturi ſunt Sapientiam, ſi tamen magnæ eorundem ſpei, & in Deum fiduciæ non fuerint expertes, ſed fideles æmulatores.

§. & Conſilium II.

Vt Spes Prælati ſit fructuoſa, & vtilis eam non theoricam ſolum, ſed practicam eſſe oportet.

SPe immutabiles volens eſſe Paulus ſuos Hebræos, his eos hortatur verbis: *Teneamus Spei noſtræ confeſſionem indeclinabilem*. Quod eſt dicere, ita ſolida ſit Spes noſtra, vt in nullam partem ſe inflecti permittat, taliſque conditionis exiſtat, vt eam nec aduerſitates, nec quæcumque pericula imminuerum, vel omnino perditum ire queant. Quæ verba dum explanat Doctor Angelicus, affirmat Apoſtolum per ea planum nobis facere, quòd Spes noſtra non tantùm theorica, ſed practica eſſe debeat, id eſt, quæ ſit ita interiùs in corde, vt tamen etiam manifeſtetur ab extra per verba, & confirmetur per opera. Huius autem verba Doctoris ſic ſonant. *Non ſufficit habere ſpem in corde, ſed etiam oportet confiteri ore. Corde creditur ad iuſtitiam ore autem confeſſio fit ad ſalutem. Item oportet confiteri eam non ſolùm verbo, ſed etiam factis, contra quoſdam, de quibus ad Titum primò: qui confitentur ſe noſſe Deum, factis autem negant.* Et talis conditionis Spes, magna poteſt in Superioribus, & Animarum Rectoribus, ac mira operatur in ſubditis, atque diſcipulis, & pro modo quo talis perdurat, vt non ſuccumbat vllis aduerſitatibus, laboribus, atque periculis, tum creſcit interiùs, euadit animoſior, cunctiſque, quæ ſperantur, repletur bonis, non in futurum ſolùm, ſed etiam in præſens. Ratio eſt, quia ipſa introducit in animam veram ſapientiam, atque prudentiam, animumque ita conſtantem, obfirmatum, & infractum tribuit, vt totas, cuius ſint cunque generis, ſuperet difficultates, atque labores.

Cap. 10. ad Hebr.

D. Th. in hūc locum lect. 2. Rom. 10. v. 10

Huius rei mentionem Sapiens feciſſe videtur, dum dixit, iuſtos, & amicos Dei (quales decet eſſe Prælatos, & Anima-

rum Paſtores) inter afflictiones, & preſſuras, quibus ſpes exercetur, immortalitatis plenitudinem fuiſſe indeptos. *Et ſi coram hominibus tormenta paſſi ſunt, Spes illorum immortalitate plena eſt.* Per quod compleri videtur magna illa animi ſatisfactio, qua potiuntur, & perfruuntur illi, qui inter pœnas, dolores, & cruciatus, quos ſufferunt toleranter, ſpem ſeruant, atque exercent, ac pro modo, quo perdurat hæc ſpes, etiam creſcit animus, & generoſitas ad maiores aggrediendas pro Dei gloria difficultates. Inde eſt, quod Patriarcha Abraham in plurimis, & maximis difficultatibus expertus fidelitatem Dei, ſpem habuerit tam inconcuſſam, vt, licèt ipſi paruerit, aliquam in verbis Dei inuolui contradictionem, tamen non conciderit animo, nec defuerit ordinationi Diuinæ implendæ, ſiquando per eam obligabatur. Hac de cauſa promeritus eſt, quòd Sanctus Paulus perfectione ſpei ipſius in tot aduerſis caſibus, & afflictionibus exercitatæ, & probatæ, pluribus dilaudata, & commendata de ipſo dixerit, contra ſpem in ſpem credidiſſe. In quo verſatur tota huius virtutis perfectio, quodque ipſam non ſolùm perfectam reddit, ſed etiam in omnium occaſionum genere, quales demum cunque ſint, immobilem, & conſummatam. Non contentus autem Apoſtolus, tam perfectam, & opere probatam, & oſtenſam ſpem nobis ob oculos poſuiſſe, idem præterea capite ſequenti reſumit argumentum, & totum, quod hoc conſilio continetur, probat ab exemplo à ſe, ſuiſque dato diſcipulis, & in hæc verba proloquitur. *Gloriamur ſpe gloriæ filiorum Dei, non ſolùm autem, ſed & gloriamur in tribulationibus, ſcientes quòd tribulatio patientiam operatur, patientia autem probationem, probatio verò ſpem, ſpes autem non confundit.* Quaſi Doctor gentium explicatiùs dicere vellet. Gloriamur de ſpe gloriæ conſummatæ, quam Deus ſuis reſeruat filijs, hic tamen neutiquam ſiſtimus, ſed inſuper gloriamur de tribulationibus, earumque tolerantia, certi tribulationem parere patientiam; Patientia verò eſt lapis lydius, virtutiſque probatio, & ſeparatrix inter falſam, & veram nummi conflaturam, & hæc fidelis certitudo, quam habemus de ſuppetijs, quas Deus in ſe confidentibus ſolet ſubmittere, meliorat, & perficit ſpem inde conceptam. Spes autem non confundit poſſeſſorem ſuum. Vbi Diuus Thomas, ſuper hæc verba (*ſpes non confundit*) ſic inquit, *id eſt, non deficit, niſi homo ei deficiat, ille enim dicitur à ſpe ſua confundi, qui deficit ab eo, quod ſperat.* Hæc itaque nobiliſſima

Sap. 3. v. 4.

Rom. 4. v. 18.

Rom. 5. v. 2.

D. *Th. lect. 1. ſuper hunc locum.*

Digitized by Google

liſſima & inter Theologicas media virtus non committit, vt ea præditus in occaſionibus animo concidat, atque deficiat, quin potiùs, & è contra propter experientiam in aduerſis iam comparatam replet cor taliter ſperantis maiore fidentia, atque ſecuritate, ita vt tam præſens, quàm futurum magis indubitatè operiatur prœmium, fundatus arrha, & prægustatione beatitatis, qua iam fruitur ſufferendo. Super eundem textum his ſuam profert mentem Ambroſius.

Animo tamen non frangebatur, ſed præliabatur, adeò vt potentior ſuis fieret infirmitatibus. Apoſtolùs in ſuis infirmitatibus conſtitutus nulli ſuccumbebat defectui, quin imò inſtar periti magiſtri, Duciſque in bello Sacro bene exercitati taliter ſe gerebat, vt per modeſtam, & diffidentem de ſua fragilitate ac miſeria agnitionem, tota verò ſua animi confiſione in ſolo Deo poſita, euaderet ſeipſo fortior, atque robuſtior. Premit os aureum hoc Apoſtoli verbum (gloriamur) & inquit, per illud nobis inſinuari ſatisfactionem animi, & guſtum, quo Deus Apoſtolum, eiuſque Diſcipulos inter afflictiones conſtitutos impertiebatur, vt hac ratione robur adderet ſpei eorum. *D.Ambr.tom. 4. lib. 1. off. c. 36.*

In confirmationem dictorum commodum occurrit exemplum Iudæ Machabæi ſtrenuiſſimi olim Ducis, Moderatoris & Defenſoris populi Dei, qui animos militum ſub ſe merentium erigebat, & animabat ſuæ firmæ opera ſpei, qua ſperabat, ſe per ipſos, & pro ipſis victoriam relaturum, prout 2. Machabæorum 15. in hunc modum refertur.

Machabæus autem ſemper confidebat cum omni ſpe auxilium ſibi à Deo affuturum, & hortabatur ſuos ne formidarent ad aduentum nationum, ſed in mente haberent adiutoria ſibi facta de Cælo, & nunc ſperarent ab Omnipotente ſibi affuturam victoriam. Machabeus (qua voce fortis, & magnanimus denotatur) habebat confidentiam, & firmam in Deo ſpem, ſuppetias ſibi affuturas è Cœlo, hacque in ſpe fundatus animabat, & hortabatur ſuos commilites, ne timerent impetus inimicorum. In quem finem reuocabat ipſis in memoriam opem alijs in occaſionibus non raró ſubmiſſam à Deo, vt ſperarent, & præſtolarentur victoriam ex ſua parte euenturam. Ipſe namque quia omniualens, ſcit, vult, & poteſt ſuccurrere, & Superiores; atque victores reddere eos, quos ſimilibus exponit caſibus, & occupat functionibus, quas hoc loco perſequimur, prout ſtatim vidimus in Machabæo ſupremo duce & propugnatore populi Dei. Hu- *2. Machab. 15. v. 7.*

iu-

Digitized by Google

ius tam heroicæ ſpei præcipuam rationem tangit ipſe Deus, dum Hieremiam Prophetam, & in ipſo omnes Prælatos, & animarum Rectores alloquitur, conſolatur, & in hæc præſtat ſecuros verba. *Et bellabunt aduersùm te, & non praualebunt, quia ego tecum ſum, ait Dominus, vt liberem te.* Ciebunt quidem inimici tui crudele tibi bellum, nullum tamen inferent damnum, quia ego à parte tua ſto, vt tuear, & protegam te ab omnibus eorum conatibus, violentijs, atque impreſſionibus.

Hierem. 1. v. 19.

Finem huic paragrapho impono reuocando vobis in memoriam rem geſtam Chriſtum Dominum inter, & Petrum Apoſtolum, quem Redemptor parare cogitabat in Caput, & adminiſtratorem Eccleſiæ ſuæ. Vt itaque Diuinus Præceptor feruorem fidei eius, ſpeique firmitatem periclitaretur, iuſſit ipſum ad ſe ſuper aquas peditem venire. Deinde vt hæc periclitatione augeretur maiore, exciuit in aëre validiſſimè flantem ventum, cuius furore derepente turbatum mare in inſtar montium procellas intumuit, & cor Apoſtoli magno pauore impleuit, vti hæc Mathæi verba teſtantur. *Videns verò ventum validum timuit.* Hac itaque in turbatione conſtitutus, dum ſibi præſtò eſſe vitæ periculum videbatur, exuit memoria animum; quam eò vſque de experimento ſoliditatis aquarum retinuerat, & immemor ſecuritatis, quam de verbo tanti Magiſtri ſibi ſpondere non ex vano poterat. Vnde cùm ſe mergi videret, omni fiducia poſita, ad clamorem tanquam ad vltimum remedium confugit. Hiſque verbis præſentis Domini ſui opem implorare cœpit. *Domine ſaluum me fac.* Cui quidem Dominus incunctanter porrexit manum, ſed vnà reprehendit, eique magnam diffidentiam, & modicam, quam habebat fidem, obiecit. *Et continuò Ieſus extendens manum apprehendit eum, & ait illi, modicæ fidei quare dubitaſti?*

Math. 2. v. 30.

Ibidem.

Ibidem.

Quo facto Diuinus Magiſter ipſum docere voluit, quòd non dubitare, ſed indubitanter ſperare debuiſſet ſe ex eiuſmodi periculo indemnem & incolumem euaſurum, facta ſemel hypotheſi, quòd ſupra ſuum verbum, & iuſſionem in illud eſſet coniectus, & adductus. Præclarum pro Rectoribus, qui ratione officiorum ſuorum ſimilibus exponuntur periculis, documentum, quo inſtruuntur, magnam generoſitatem, ſpem certam, & immotam, ac fiduciam inconcuſſam in Deo ab ipſis eſſe reponendam, à quo in hoc genus diſcrimina ſunt inducti.

Deni-

Digitized by Google

Denique, vt nobis conſtaret, ventum illum inſurrexiſſe ad periclitandam ſpem Sancti Petri, factum eſt, vt ſubito ab eo lembo, ſæuitia maris illico verteretur in malatiam, & venti furia remitteret, & ſedaretur. Quod planum eſt ex his Euangeliſtæ verbis: *Cùm aſcendiſſet in nauiculam, ceſſauit ventus*. Per hunc Petri Apoſtoli caſum admonemur aduertere differentiam, quæ theoricam inter, & practicam eſt fiduciam: perſuadebat enim ſibi bonus Apoſtolus, ſe ſatis firma pollere fidentia, & animo, quo non refugeret cuſtodiæ tradi, & mori cum Chriſto, vrgente verò quæſtione ipſum opus fiduciæ, ſenſit, quæ ibi latebat, difficultatem, ratione cuius in tam turpem errorem prolapſus eſt. Ah Deus bone, quàm ſæpe Prælati aliqui metu percelluntur, & animo deficiuntur, dum de aliquo obſeruantiæ puncto, & ijs, quæ ad maiorem perfectionem faciunt, conſeruandis agitur, & hoc non tam propter fortitudinem naturalem, quam ratio ſuadet, vt habeant, ſed potiùs ob defectum viuæ, & inconcuſſæ ſpei, cùm tamen ab agente cauſam Dei procul pellendus, & exigendus ſit omnis timor.

§. & Conſilium III.

De moderatione, quæ Prælato ſua magna ſuffulto ſpe tenenda eſt circa temporalium curam.

NOn permittat ſe Prælatus mancipari ab immoderata, & indiſcreta rerum temporalium cura, & prudente quadam confiſione occludat portam immodicæ cupiditati, quæ obtegendo ſe pallio neceſſitatis impedire ſolet præcipuam aliquorum Rectorum partem, cui maiorem impendere deberent attentionem. De eiuſmodi nimia cura affirmat Gregorius Magnus, quòd ipſa opera timoris, quo timetur, ne aliquid deficiat ſubditos, irrequietum gerat bellum cum ijs, quos aduertit paupertate, contemptuque rerum temporalium armatos, eoſque ſub ſpecie piæ de neceſſarijs ſollicitudinis, pedetentim, & quaſi imperceptibiliter ad quandam inſatiabilem ſuperflui præcipitet auiditatem, atque cupidinem. Ipſius autem hac de re aſſertio his comprehenditur verbis. *Si fortaſſe*

vali-

S. Greg. Tom. 2. lib. 32. mor. c. 17. ad med. *validum contra auaritiam cernit, importunè eius cogitationibus domeſticorum ſuorum inopiam ſuggerit: vt dum mens ad prouiſionis curam quaſi piè flectitur, ſeducta furtim in rerum ambitu iniquè rapiatur.* Certò ſibi perſuadeat Præſul inter immoderatam externorum curam, & eam, quæ de rebus ſacris ad animas ſpectantibus habenda eſt, non conuenire bene. Hanc ob cauſam Apoſtoli ſingulari Spiritus Sancti lumine illuſtrati, vt toti vacarent potiori officij ſui parti, quæ erat cum Deo agere, & in oratione ab eo diſcere quod alios docere tenebantur, deputauere nonnullos alios, qui curam temporalium gererent, vt in actibus Apoſtolorum in hæc verba commemoratur. *Non eſt æquum nos derelinquere verbum Dei, & miniſtrare menſis. Conſiderate ergo Fratres, & coet. Nos verò orationi & miniſterio verbi inſtantes erimus.* (Act. 6. v. 2.) Rector itaque animarum impensè caueat certam quandam nonnullorum diffidentiam, qui ſemper Superuacaneo lancinantur timore, nequid de neceſſarijs eos deficiat. Exinde poſtmodum oritur, quòd parui faciant ea, quæ ad ordinis bonum, eiuſdem inſtaurationem, maioremque Dei gloriam non parum conducere poſſunt, volentes primùm eſſe ſecuri, & certi de temporalibus rebus, & hoc inde trahit originem, quòd non ſatis teneant, atque expediant, in quo propriè conſiſtat, pauperem Euangelicum eſſe, qui non omnia habere debet ad votum, ſed ali ſpe, qua indubitanter ſperet, Deum ſibi opitulaturum, ſuorumque prouiſurum neceſſitatibus, ſi ipſi ex parte ſua non omiſerint competentem, & humanam facere diligentiam. Illos verò Superiores omnino ſilentio tranſmitto, eorumque premo animo mentionem, qui ex ſubſtantijs & facultatibus pauperum ſumptuoſa, & ſuperflua opera, ob eum ſolummodo finem moliuntur, vt ex ijs ſub ſuo confectis Regimine, reputationem ſibi, magnumque nomen, & laudem aucupentur, atque conquirant. In id potiſſimùm primas intendat curas Prælatus, vt officij, & gradus ſui omnes, quibus tenentur, ritè expleant partes, & Deus ſuæ ſtabit promiſſioni, per os Dauidis ſacræ dicentis. *Spera in Domino, & fac bonitatem, & paſceris in Diuitijs eius.* (Pſalm. 36. v. 2.) Eiuſdem pariter rei præſtat Chriſtus Dominus ſe ſequentibus ſecuritatem, & cautionem his verbis: *Scit enim Pater veſter, quia his omnibus indigetis. Quærite ergo primùm Regnum Dei, & iuſtitiam eius, & hæc omnia adijcientur vobis.* (Matth. 6. v. 32.) Quærite, inquit, primùm, & ante omnia Regnum Dei, adeòque Sanctimoniam, operum iuſtitiam, & Regularis obſer-

Digitized by Google

obſeruantiam diſciplinæ, ſine quibus non adipiſcitur Regnum Dei, & omne reliquum abundanter, & ſine mora, quia per adiectionem, ſubminiſtrabitur vobis, & explicat hæc per certas ſimilitudines, contentiones, & collationes ideo, vt nobis imprimat magnam, & firmam in ſe à nobis ponendam, & habendam ſpem, atque fiduciam.

§. & Conſilium. IV.

Non deſpondeat Prælatus animum de progreſſu ſubditorum ſuorum, tametſi non ſe prodant illa indicia, bonique effectus, quos in ipſis ſpectare optaret.

INdefeſsè, & indeſinenter inſiſtat Rector labori, & curæ ſubditorum ſuorum, nec vnquam abijciat ſpem de facultate meliorandi, & reducendi eos ad bonam frugem, tametſi aduertat, eos ſatis malè ad hoc affectos, & comparatos, vt hac ratione ex præſcripto Spiritus Sancti ſe gerat, qui inquit: *Erudi filium tuum, ne deſperes.* Rationem deinde cur ita fieri doceat, ſubiungit his verbis; *Correptio tribuit ſapientiam.* Etenim, ſiquis omnem ſpem de melioratione alicuius rei abijciat, nunquam habebit animum, malis dignum admouendi remedium, cùm nemo rationem inire ſoleat id obtinendi, quod effectu promptum non eſſe ſibi habeat perſuaſum. Recolat ergo Prælatus, quod prudens valetudinis moderator in morbis grauibus non deſpondeat animum, optimè callens, & experientia doctus, ægrum non infrequenter per remedia efficacia perſeueranter applicata euaſiſſe incolumem, & reſtitutum priſtinæ ſanitati. Interim tamen indubitanter ſibi perſuadeat, ſiquid boni in hac parte conficiatur, ſuam induſtriam, atque conatum potiorem huius boni cauſam non eſſe ſupernæ fauorem gratiæ, cui nihil eſt impoſſibile. Per hanc deinde ſalubrem conſiderationem ſpes ipſius fiet adultior, creſcet animus, & Prælatus ipſe euadet fidentior, Eiuſmodi tamen animi confiſio tolerantia comitata incedere debet, per quam cognoſcitur prudens vnius Prælati gubernium. Et hoc eſt, quod Apoſtolus à ſuo Timotheo exigit, dum inquit: *Argue, & obſecra, increpa in omne*

Prouerb. 29. v. 15.

2. Thimoth. 4. v. 2.

omni patientia & doctrina. Gregorius autem Nazianzenus tale nobis hoc ſuper puncto præſcribit Conſilium. *Si primùm obluctetur (ſcilicet ſubditus) leniter exſpecta; ſi ſecundò, ne ſpem abijcias: nondum enim curationis tempus effluxit: ſi tertiò, benignum illum, & humanitate præditum agricolam imitare, cum Domino adhuc age, ne inutilem, & infructuoſam ficum exſcindat, atque odio habeat, verùm emendet, & curet, ac ſtercus inijciat, hoc eſt, eam correctionem, quæ per confeſſionem, ac publicam ignominiam, contemptiorem victus rationem, efficitur*. Illuſtremus nonnihil noſtris hæc verba. Si itaque ſubditus ab initio aduerſetur, atque repugnet animo, moram pauliſper trahat Prælatus, & tanquam facilè fragilem molliore tractet manu partem, memor illius pulchræ culti Scriptoris ſententiæ, ita erudientis: *Nonnullorum contumaces animi & plura, ſi inhibeantur, auſuri, laxamento aliquo meliùs curantur*. Si deinde hæc tamen modeſta agendi ratio nihil emolliat indurati mentem, nec dum vllo modo Rector concidat animo. Si denique tertium obfirmatus eius animus nihil remittat, tum imitatur illum Euangelicum, & in benignorem partem inclinantem colonum, cuius exemplo ſupplex Domino fiat, ne exſcindere velit arborem fici ſterilem, ſed potiùs maior cultura vt impendatur, præcipere non grauetur, qua recludantur renitentis ſubditi oculi ad agnoſcendum & fatendum ſuum errorem, non omiſſa, ſi in rem fortè, pœna publicæ confuſionis, & nonnullæ eius depreſſionis.

S. Greg. Nazian. Tom. 1. orat. 26. in fine ac moderat in diſputationibus ſeruanda.

Damnat os aureum illam ſupinam negligentiam, quæ tum committitur, dum imperfectis, malèque affectis non admonentur commenſa remedia, eius improbatio his vtitur verbis. *Hoc extremæ amentiæ eſt, cùm in incerto ſit finis, certum ſubire crimen negligentiæ: atqui Deus futura præſciens ſæpe dixit, & nihil profecit, & neque ſic deſtitit, idque cùm ſciret, ſe non perſuaſurum. Si autem, qui præſciuit, ſe nihil plus effecturum, non deſtitit corrigere, quamnam habebis excuſationem, qui futurum omnino ignoras, pigreſciſque, & torpeſcis? etenim multi ſæpe aggreſſi profecerunt, & cùm maximè deſperaſſent, tunc maximè ſunt aſſecuti. Quod ſi etiam nihil ampliùs effeceris, feciſti quod tuum tuum eſt. Ne ſis ergo inhumanus, neque immiſericors, neque negligens*. Vult ergo ſanctus haud leuiter aduerſari prudentiæ propter ſucceſſum ancipitem, certam committere negligentiæ noxam, cùm tamen Deus, qui futura prænoſcit, non intermittat ad frugem vocare improbum, & vocationi eius pergat inſiſtere, tametſi ſciat,

Chryſoſt. tom. 4. hom. 44. in 1. ad Cor. 16.

Digitized by Google

eam fruſtra futuram. Ex quo colligitur, Prælatum nullam excuſationem pro ſe poſſe obtendere, ſi futuri inſcius hac in re incuriosè, & oſcitanter ſe gerat: cùm tamen experientia conſtet, non paucos propter perſeuerantiam in requiſitis, quas facere non ceſſarunt, diligentiis, ſua conſilia ad optatos exitus perduxiſſe. Et eſto, quòd Prælatus exinde alium non colligeret, & perciperet fructum, quàm partes officij ſui impleſſe, cederet tamen hoc non in modicum bonum ipſius, licèt fortaſſe non bono verteret ſubdito. Purpuratus & Seraphicus Doctor Bonauentura Sanctus improbat hanc Prælatorum incuriæ culpam ab exemplo Paſtoris, medici, militis, & mercatoris, qui nunquam aidpiſcentur, quod inhiant, niſi ſtrenui laboris, & diligentiæ operam ponant, eamque continuent, ſpe freti, ſe habituros bonos, & optatos ſucceſſus.

Hanc Sancti mentem hæc eius verba denudant. *Cùm ſit propriè officium Paſtoris docere virtutes, ſi vitioſos remouet à ſe, quos docebit? Si medicus fugit ægrotos, quos curabit? Si fortis Tyro declinat impetentes ſe, quomodo aſſequetur triumphum gloriæ? ſi negotiator negligit merces, in quibus magna lucretur, quomodo poterit ditari? Proprium* Prælati munus eſt, erudire ſibi ſubditos ad virtutes, ſin autem à ſe exigat, & pro Diſcipulis cognoſcere nolit, virtutibus defectos, & deſtitutos, quos eas docebit? Si medicus fugiat, & auerſetur infirmos, in quos ſuam exercitaturus eſt artem? Si viſo inimico miles dorſum obuertat, qua ratione poterit victoriæ conſequi palmam? Si mercator occaſionem tranſmittat, in qua plus lucri facere poſſet, quibus vijs comparare poterit facultates? Habet deinde idem Seraphicus Doctor loco eodem alia hac ſuper re verba non multùm diſcreta, vel diſſonantia à Sancti Ioannis Chryſoſtomi verbis: pro fine huius paragraphi notet hìc Lector hæc, quæ diximus, intelligenda non eſſe de ijs; proh dolor Religioſis, qui in Terra Sanctorum iniquis geſtis incorrigibiles, & ciuili communitatis corpori pernicioſos ſe reddidere, quia tales iuſta expulſionis pœna plectendi ſunt, ne ſecum alios pertrahant in ruinam.

S. Bonauent. tom. 7. p. 3. opus de ſex alis ſeraphim c. 5. poſt med.

Digitized by Google

§. & Conſilium. V.

Non plus æquo Prælatus ſe cruciet, nec ius animum frangat, ſi videat ſe poſt factas debitas diligentias ſuis remedium ſubditis afferre dignum non poſſe.

NE plus iuſtò Prælatum malè habeant culpæ (quarum remedium in eius manu, & poteſtate non eſt) in ſuis ſubditis animaduerſæ, illius rei ſuum memoria non exuat animum, quod vſuuenit in Collegio Apoſtolico ratione traditionis Iudæ, negationis Simonis Petri, incredulitatis tunc difficilis Thomæ, Ambitionis, contentioniſque Apoſtolorum, qua orta eſt quæſtio, quis eorum videretur eſſe maior. Hæc enim prouidentiſſimus humanæ libertatis aſſertor, fierent, permittere voluit ad Prælatorum ſolatium, ne hoc genus defectus in ſuis videntes ſubditis animum deſponderent. Memoria præterea teneat bonus Prælatus bonum illum Samaritanum, dum à latronibus ſpoliatum, & plagis impoſitis ſemiuiuum relictum ad Noſocomium portari curauit, eius Magiſtro non iniunxiſſe, vt eum curaret, quod in eius poteſtate non erat, ſed præcisè, vt curam ipſius gereret, ſua obligata fide, quòd Sanctè refunderet quidquid in curam eſſet expenſum, & pro modo curæ grati animi ſignum futurum, operiſque mercedem. Quem ideo Euangeliſta commendat à prudentia, commiſeratione, & proximi Charitate: *Curam illius habe, & quodcumque ſupererogaueris, Ego cùm rediero, reddam tibi*. Doctor mellifluus hoc non ſuperficie tenus ponderato exemplo in hæc verba ſcribit Eugenio Papæ: *Noli diffidere, curam exigeris, non curationem*. Non te perturbes, non tuum imminuat animum, cùm Chriſtus Dominus de Cœlo lapſus Magiſter, à te non exigat, vt ſanes infirmum, ſed curam ipſi impendas. Idem deinde lingua melle imbuta conſpicuus Doctor aliud in verbis Pauli Apoſtoli aduertit, & inquit: Doctorem gentium non inconſultò ita dixiſſe: *Plus omnibus laboraui, non ait plus omnibus profui, aut plus omnibus fructificaui, verbum inſolens Religioſiſſimè vitans. Aliàs autem nouerat homo, quem docuit Deus, quia vnuſquiſque ſecundùm ſuum laborem accipiet, non ſecundùm prouentum.*

Luc. 10. v. 35

S. Bernard. ad Eugen. 4. de conſid. c. 2.

tum. Maiorem ergo cæteris, inquit, operam poſui, non verò maius præ omnibus compendium feci, quia ſi ſe de hoc extuliſſet, fuiſſet contra fas, & æquum ſibi imprudenter arrogare id, quod ſoli Deo debetur vt proprium; in ſchola autem Dei non hoc, ſed illud fuerat edoctus, ſcilicet vnumquemque remunerandum fore non pro modo profectus, quem fecit, ſed pro ratione laboris, quem pręſtitit, quod noſtræ conforme doctrinæ eſt, quam tradimus in præſenti.

§. & Conſilium. VI.

Sit fixum, ratumque Prælato, tantò plures ſe ſubiturum difficultates, atque molectias, quantò plus curæ impenderit in ſacrum ſubditorum ſuorum progreſſum.

NE Prælatus animi cadat in bene cœpto opere, quod Deus ſibi iniunxit, proſequendo; ſciendum eſt ipſi, Magnum Gregorium dicere, quod quantò plus adhibiturus ſit diligentiæ ad promouendum ſubditorum ſuorum bonum, tantò maiorem dœmones nauaturi ſint operam ad bellum ipſi mouendum, & inferendum vt in ipſo lucrentur, quod eius opera perditum eunt in ſubditis, verba mox memorati Doctoris, quibus id aſſerit, hoc tenore nituntur. *Quia enim videt ſanctæ mentis ſtudium contra ſe, & alijs prodeſſe, multiplicata hanc ſatagit tentatione confodere*. Sathan filijs Iob vitam ademit in domo Fratris eorum, qui primogenitus erat, adeòque inter ipſos gradu Superior. Hoc teſte eodem Gregorio ea de cauſa eſt factum, vt doceremur, quòd perſuaſiſſimum dæmones habeant, tum ſe plena poteſtate potiri circumueniendi, & deuincendi ſubditos, ſi ſuis tentamentis ſemel expugnauerint Prælatos, eoſque induxerint ad neglectui habendum proprium animæ ſuæ profectum, vt liberiùs ſe dare, & obſequi poſſint amori proprio, ſenſuumque appetentijs indulgere. Tantùm volunt dicere hæc Sancti Pontificis verba: *Dum in maioris Fratris domo conuiuantur, pereunt: quia tunc contra nos hoſtis vehementiùs vires accipit, quando & ipſos, qui pro cuſtodia diſciplinæ Prælati ſunt, ventri ſeruire cognoſcit*. Sin autem vaferrimus hoſtis, hac via id aſſequi

S. Greg. tom. 2. lib. 31. mor. cap. 17. prope fin.

S. Greg. lib. 2. mor. c. 9. Iob. c. 1. 13.

qui non valeat, tum molitur ex omni parte inuadere, vt dum ex parte ſuæ perſonæ ſe videt vndique bellis, & certaminibus circumuallatum, nonnibil remiſſiùs inſiſtat ſaluti, & remedio ſubditis afferendo, in qua agendi ratione conuertit ſe verſipellis hoſtis ad ſtratagema bellicum, quo mortales nonnunquam vti ſolent ad debellandum, & ſubigendum aliquem potentem Regem, quo ipſi vno, eodemque tempore infertur bellum, diuerſiſque in Regni ſui locis vnà inuaditur, vt pro ſe tuendo minùs habeat virium, dum diuerſas in pluribus dominij ſui plagis impendere conſtringitur. Præſul autem, qui totum ſuum robur operitur à Deo ſolo, omnemque ſuam ſpem in ipſo reponit, quò magis ſe impugnatum conſpicit, eò maiorem adhibet curam partes ſuas exactè implendi, & pro modo, quo hoc præſtat, eò faciliùs hoſtes ſuos debellat, Deumque adducit ad arma in ſui defenſionem corripienda, cuius opera, in omnibus perſonam ſuam concernentibus bellis fert primas, euadit Superior, animumque, & confidentiam reſumit ad alios propugnandos. Prout Ioſue expertus eſt, de quo ſic ſcriptum legitur.

Iol.11.v.15. *Ille vniuerſa compleuit: non præteriit de vniuerſis mandatis, nec vnum quidem verbum, quod iuſſerat Dominus Moyſi.* Cuius intuitu fidelitatis, qua iuſſa per Moyſem ſibi data à Deo ita Religiosè impleuit, vt nec vnum eorum præteriret verbum, Deus ipſe ſpopondit, ſecuritatemque præſtitit, quòd inimicis ſuis Superior, & victor euaderet, eòſque in manus eius ipſemet Deus tradere vellet, vt ſine omni difficultate eos mactare, & enecare poſſet; verba autem, quibus hæc ſponſio data eſt, ſunt

Ibidem.v.6. iſta: *Dixit Dominus ad Ioſue, ne timeas eos; cras enim hac eadem hora ego tradam omnes iſtos vulneratos in conſpectu Iſrael.*

DISCVR-

Digitized by Google

DISCVRSVS SEXTVS.

Hoc in diſcurſu fit ſermo de tribus. Primùm De amore Dei, & proximi, quo Prælatum, Sacrumque animarum Præfectum alijs præcellere par eſt: deinde de magna Æſtimatione, quæ, ad exemplum Chriſti, vtriſque de hac virtute habenda eſt. Poſtremò de vera pietate, & miſericordia, quibus cunctis alijs anteſtare, ſuaſque commoditates alienis poſt habere tenentur, vt indigentium neceſſitati conſulant, atque proſpiciant.

§. & Conſilium I.

De pretioſo theſauro, quem Deus Prælatis concredidit, dum curam animarum ſubditorum ſuorum ipſis demandauit.

QVI partibus Paſtoris, quibus ſubditis ſuis obſtringitur, ritè, & modo debito ſatisfacere cupit, præ oculis ſemper illum Dominum habeat, qui ſeipſum bonis Paſtoribus in Archetypum & formam propoſuit, dum dixit: *Ego ſum Paſtor bonus & cæt, & animam pono pro ouibus meis*. *Ioan. 10. v. 14. & 15.* Idcircò boni Paſtoris nomen promereor: quia oues meas tanto amore proſequor, vt pro ipſis vitam meam ponere, & ſanguinem fundere non recuſem. Quod opere non eo tantùm fine præſtitit, vt eas vita donaret, verùm etiam, vt aliis Paſtoribus, qui loco ſui earum cuſtodiæ deputarentur, maiorem de ipſo æſtimationem imprimeret faciendam. Tum denique, vt caſu quo ipſis iactura ſubdi-

torum

torum ſuorum res leuis momenti eſſe videretur, hic error eiſdem eximeretur per ponderationem tum æſtimationis, quam Chriſtus de ipſis habuit, tum pretij, quo eoſdem ſibi redemit. Doctor imbutus linguæ dulcedine, Bernardum loquor, tantam curam in bonum ſubditorum ſuorum intendebat, tantique faciebat pretioſum theſaurum, quem Deus tutelæ ſuæ commiſerat, vt dicere ſoleret. *Quid ego infelix, quo me vertam, ſi tantum theſaurum, ſi pretioſum depoſitum illud, quod Chriſtus Sanguine proprio pretioſius iudicauit, contigerit negligentiùs cuſtodire? etiam ponatur ſed & habeo theſaurum iſtum in vaſis fictilibus, & quibus multò plura, quam vitreis imminere pericula videantur.* O me pauperem, & infœlicem! quid de me fiet, ſi tantum, tamque pretioſum depoſitum, quod Deus meæ commiſit curæ, & fidei, ſuoque Sanguine cariùs æſtimauit, mea culpa contigerit negligentiùs cuſtodiri? tantòque maior erat in ipſo eiuſmodi timor, quantò magis verſabat animo, talem theſaurum in vaſis fictilibus contineri, magiſque fragilitati obnoxijs, quàm vaſa ex vitro compoſita, niſi cuſtos eorum præcipuam curam adhibeat, multùmque laboris ſubeat ad eadem tuenda, & conſeruanda, vt Chriſtum Dominum verum Paſtorum omnium Magiſtrum feciſſe compertum eſt. Eo itaque modo in pretio habendi, & amore proſequendi à Prælato ſunt Subditi, quo à Chriſto Redemptore, & veri pretij cognitore ſunt æſtimati, & adamati: vt per hanc æſtimationem, & amorem calcar ipſis addatur, ad vires, ſanitatem, & vitam impendendas in cuſtodiam, & progreſſum morte corporati verbi Redemptorum. Hoc Apoſtolus à ſuo dilecto diſcipulo Timotheo exigit, dum inquit. *O Timothee depoſitum cuſtodi.* Magnam curam, chare Timothee, depoſiti habeto in cuſtodiam traditi tibi. Super quæ verba aſſerit Sanctus Thomas, hoc depoſitum animas eſſe in manus Prælatorum à Deo conſignatas, vt amore Ieſu Chriſti curam earum gerant, cuſtodiant, eoque modo conſeruent, quo eas idem Dominus lucrifecit, qui alius non erat, quàm magnitudo amoris, qua adductus fuit ad moriendum pro ipſis. *Specialiter*, inquit citatus Doctor, *Prælati habent depoſitum*, curam ſcilicet proximorum, & fidelium. *Vnde dicitur Ioannis vltimo, Paſce oues meas.* Qui amor tum in opus deducitur, ſi in ſequentia conſilia non indiligenter obſeruentur.

S. Bern. ſer. 3. de aduentu ad finem.

1. Timoth. 6. v. 20.

D. Thom. 161. lect. 3. in fine.

§. &

§. & Conſilium II.

De amore, à Prælato aduersùs Deum, & proximum habendo.

VIrtus, in qua probus Rector mirificos ſuo ex munere facere tenetur progreſſus eſt amor Dei. Ille enim comparatè ad cœlos virtutum ſe vt primum mobile habet, à quo omnes illarum Orbes mouentur, & poſt ſe trahuntur, eoque veluti indiſſolubili nexu ſibi inuicem copulantur, conſeruantur, atque perficiuntur. Hanc ob cauſam Apoſtolus, dum Coloſſenſibus ſcribit, præfert illum vniuerſis virtutum operibus, alijſque ad perfectionem ducentibus exercitijs. Rationem deinde huius Primatus aſſignat, dum affirmat charitatem eſſe vinculum perfectionis, quæ eadem ratione, qua hominem vnit cum Deo, & proximo, etiam omnes virtutes inuicem illigat, coniungit, & ad perfectionem perducit. Non abs re ergo Apoſtolus ſuos Coloſſenſes ad hanc potiſſimùm virtutem cohortatur his verbis: *Super omnia autem hæc charitatem habete, quod eſt vinculum perfectionis. Super quorum explanatione verborum ita loquitur Caietanus. Dilectio ideo ſuper omnes ante dictas virtutes ponitur, quia in ipſa conſiſtit perfectio per modum vinculi; Eſt enim dilectio ligans amantes.* Et magis infra. *Eſt enim ſermo de dilectione, qua diligimus Deum in ſeipſo, & alios propter Deum, propter quod meritò ſuper reliquas virtutes locatur.* *Coloſſ. 3. v. 14* *Caiet. ſuper hunc locum.*

Anteceſſio loci idcircò datur amori, quia ipſe eſt inter ſe amantium vnio, commiſſura, & colligatio, in qua omnes modi, quibus ſe inuicem amantes vtuntur, comperiuntur, & ne quis ea, quæ dixit, ex voce æquiuoca, perperam intelligere poſſit, ſubiungit ſe illo de amore loqui, quo Deum in ſe, & proximum diligimus propter ipſum. Et hæc eſt ratio, propter quam nobiliſſimæ huic virtuti, tanquam cæterarum Reginæ princeps iure conceditur locus. Et quoniam tota digni regiminis perfectio in vera vnione, atque conſenſione Prælatorum cum ſubditis, & ſubditorum cum Prælatis (quæ originem trahit ex amborum conſenſione cum Deo) vertitur, atque conſiſtit, idcircò ad bene capiendam doctrinam, quam

Digitized by Google

hìc tradimus, opus eſt, vt probè in opus deducatur eiuſmodi mutua conſenſio, & obligatio, qua iuncti cum Deo, bene vniantur ad inuicem, & in omni operum à virtutibus promanantium genere perſiciantur, vt hac ratione Dei gloria promoueatur, eiuſque amor modo exerceatur perfecto. Quod valenter comprobari poteſt, ex illo Chriſti Domini facto, quo, vt Sanctum Petrum conſimili doctrina imbueret, rigidiùs ipſum in hac virtute, quàm in Fide, & Spe eſt periclitatus, & quoniam in animo habebat, ipſum in Præſulem, & gregis ſui Paſtorem aſſumere, tribus vicibus eum eſt ſciſcitatus, ſi ſe amaret, & vtrum hic amor, quo ferebatur in ſe, foret maior amore cæterorum Apoſtolorum, vti hæc verba teſtantur: *Simon Ioannis diligis me plus his?* Quo modo loquendi inſinuare ipſi volebat, perfectam partium, quibus ipſum ſubijciebat, impletionem, ab hoc pendere principio, prout Sanctus Bernardus diſertè per hæc verba exponit. *Non otiosè toties repetitum eſt; Petre amas me? in commiſſione ouium. Et ego quidem id ſignificatum perinde puto, ac ſi dixiſſet Ieſus; niſi teſtimonium tibi perhibente conſcientia, quod me ames, & valde, perfectèque ames, hoc eſt, pluſquam tua, pluſquam tuos, pluſquam & te (vt huius repetitionis mea numerus impleatur) nequaquam ſuſcipias curam hanc, nec te intromittas de ouibus meis, pro quibus ſanguis vtique meus effuſus eſt.* Non ſine magna ratione à Chriſto Domino tot vicibus rogatus eſt Petrus, ſi ſe amaret, dum curam Eccleſiæ ſuæ ei demandare diſponeret: ſiquidem per tot rogatus, ipſum docere volebat, quòd, ſi ſe non amaret perfectè, (hoc eſt) pluſquam ſua, & propria, pluſquam omnes ſanguine, & amicitia iunctos, imò pluſquam ſeipſum, nullo modo in ſe ſuſcipere deberet moderationem, & curam ouium ſuarum, pro quibus redimendis incomparabile ſui ſanguinis pretium expendere non dubitaſſet. Hic magnus in Deum amor, abſque alterius interpoſitu habet pro ſuo partu vnum alium erga proximum non abſimilem ſibi. Proximus enim noſter à Prælato conſiderandus eſt, non vt res diſtincta à Deo, ſed vt coniuncta, & vna, eademque cum Deo, ac comprehenſa ſub eadem diligendi ratione, atque præcepto. Fit mentio huius rei à Seruatore mortalium, dum Petrum Apoſtolum his conuenit verbis. *Paſce oues meas.* Quibus vult ipſi dictum, vt magnum illum amorem, quo erga ſe ferri profitebatur, in ſuas paſcendas oues impendat, quæ ſunt dilecti eius fideles, eius viua membra, ac intimè coniunctæ

Ioa.21.v.15.

S.Bern.ſerm. 76. in Cant. ad fin.

Io.21.v.17.

Digitized by Google

iunctæ ipſius partes, ad ſuam ſimilitudinem factæ, pretioſoque ſuo ſanguine comparatæ; modus verò, quo hoc præſtet, eſt, porrigere ipſis alimentum bonæ doctrinæ, omnibuſque eos iuuare vijs, quas ad hoc nouerit expedientes, quæ ſunt illæ, de quibus in his tractatur conſilijs. Altiùs adhuc huius doctrinæ valor à Caietano attollitur, dum ſuam ſuper hunc Textum mentem ita declarat. *Ideo Ieſus multiplicat quæſtionem de amore ſui, vt intelligamus hinc totum negotium pendere, & ſine hoc amore non eſſe paſtorem niſi æquiuocè.* Chriſtus Dominus ideo iteratis vicibus hac ſuper re quæſtionem Diuo Petro propoſuit, vt hoc facto erudiremur, omnem Sacri gubernij fructum exinde pendere, ita vt is, qui hoc amore, vel charitate eſt deſtitutus, non ſolùm Prælatus eſſe non poſſit, ſed etiam talis vocari non mereatur, niſi æquiuocè, & per abuſionem. In epiſtola prima, data ad Corinthios inſumit Apoſtolus totum tertium decimum caput ad hanc veritatem firmandam, & in hunc finem, his zelo Apoſtolico plenis vtitur verbis: *Si linguis hominum loquar, & Angelorum, charitatem autem non habeam, factus ſum velut æs ſonans, aut cymbalum tinniens. Et ſi habuero Prophetiam, & nouerim myſteria omnia, & omnem ſcientiam, & ſi habuero omnem fidem, ita vt montes transferam, charitatem autem non habuero, nihil ſum.* Si omnes callerem, & loquerer linguas, ſi omni diſſerendi arte, qua perſpicaciſſimi mortalium claruere, excultus eſſem, imò ſi ipſam Angelorum Sapientiam poſſiderem, charitate tamen præditus non eſſem, totum fruſtra, & in vanum foret, nec quidquam ad Sacrum diſcipulorum meorum emolumentum conferret, atque proficeret.

Caiet. ſuper hunc locum.

1. Cor. 13.

Si dono Prophetiæ, ſi vniuerſa coniunctim ſcientia, ſi ſecretiſſimorum etiam myſteriorum notitia, imò fide tanta conſpicuus eſſem, vt ad vnicum meum verbum montes de vno loco ſe conferrent ad alterum; ſi tamen charitate, & amore Dei, ac proximi ſim defectus, totum inane, atque inutile eſſet, & nihil prorſus faciens ad meritum vitæ æternæ. Poſt longum deinde in huius virtutis laudes excurſum, affert dictorum rationem, & inquit: *Charitas patiens eſt, benigna eſt, Charitas non æmulatur, non agit perperam, non inflatur, non eſt ambitioſa, non quærit quæ ſua ſunt, non irritatur, non cogitat malum, non gaudet ſuper iniquitate, congaudet autem veritati. omnia ſuffert, omnia*

Infra.

nia credit, omnia ſperat, omnia ſuſtinet. Addamus & nos aliquid ad tantæ virtutis laudes calamo nonnihil mutato. Itaque hæc regia virtus mali tolerans eſt, benefica, plena affectu. vacans omni liuore, & inuidia, auerſatrix omnis doli, atque fallaciæ, non effertur, non intumeſcit ſuperbiæ vento, honores non inhiat, nihil erubeſcendum committit, rei ſuæ ſtudioſa non eſt, ſed proprijs commodis omnino Superior, atque intacta, indignatione non tangitur, ad mala de alijs cogitanda non propendet, nil mali ipſi voluptæ eſt, de veritate complacet ſibi, & inde gaudium capit, omnis generis aduerſitates, atque moleſtias æquo, & hilari animo portat, quæ in Sacris reuelata ſunt paginis indubitanter, & cum omni rationis ſubiectione credit, atque aſſentit, & quidquid inibi promiſſionis eſt, interritè ſperat. Ipſa proinde eſt, quæ & Fidei, & Spei, (de quibus ſupra) perfectionem impertit; vtriſque enim imperat, moderatur, & meritorius vitæ æternæ, Deoque placitas reddit. Caietanus in ſuo ſuper hunc Textum Commento affirmat, hanc ab Apoſtolo tradi doctrinam, dum munus Apoſtolatus perſequitur, & in propria eum loqui perſona, vt Prælatos, & Euangelij Miniſtros inſtruat, quid pro eorum muneris ratione ipſis facto opus ſit, de quo & nobis hic ſermo eſt. Super ergo hoc argumento his Caietanus verbis ſuam nobis explicat mentem. *Miniſterium Apoſtolatus inſinuat, loquendo in propria perſona. Loquar. Factus ſum. Si habuero &c. Vniuerſum hunc primum tractatum, ideo in prima perſona proſequitur, vt intelligamus verificari quæ dicit, etiam de ipſomet Apoſtolo*. Ex dictis ergo indubitata conſecutione confit, atque deducitur, Prælatum, regimini potiſſimùm Sacrorum cœtuum admotum oportere in charitate eſſe multùm perfectum, atque exercitatum. Et tamen, proh dolor, non raró contingit, vt illa Diui Gregorij verba verificentur, quibus ipſe ſic loquitur. *Plerumque culmen Prælationis accipiunt, qui in charitate Dei, & proximi perfecti non ſunt*.

Caiet. ſuper hunc locum in princ.

In 1.lib.Reg. c.10. l.4.c.5.

§. &

§. & Conſilium III.

Amorem, quo à Superiore diligendi ſunt ſubditi oportet eſſe paternum.

NOn in vno, vel altero tantùm, ſed in pluribus epiſtolarum ſuarum locis edocet Magiſter gentium Prælatos, quod laudi ſibi vertere debeant, ſi erga ſuos ſubditos, vt veri Patres ſe gerant: quia inibi & ipſemet etiam Apoſtolus decorum ſibiducit, ſuos diſcipulos dilectorum filiorum loco ſe habuiſſe, & non aliter tractaſſe. Vnde ad Corinthios ſcribens laudi, & gloriæ ſibi vertit, quòd eos hoc compellet nomine, dum inquit. *Vt filios meos chariſſimos moneo: nam ſi decem millia pædagogorum habeatis in Chriſto, ſed non multos Patres: nam in Chriſto Ieſu per Euangelium ego vos genui.* Quaſi dicere vellet, tametſi vobis concederem, quòd multos haberetis Spiritualis vitæ inſtituendæ Inſtructores, & Magiſtros, qui vos in omni probitate erudire poſſent, inter illos tamen paucos eſſe exiſtimo, qui Patres appellari mereantur, vt Ego. Hunc quippe titulum mihi promerui, dum vos in Domino genui, & Prædicationis Euangelicæ interuentu vobis eſſe Spirituale communicaui: Et hæc eſt ratio, quòd ſuæ diſciplinæ ſequaces, & ſubditos vocet in aliquibus locis filios, in alijs in Chriſto Ieſu chariſſimos, & vnicè dilectos; imò nonnunquam etiam Tenellos filiolos. *Filioli mei, quos iterum parturio.* Per quæ verba inſinuat nobis tenerrimum amorem ac talem, qualis ille eſt, quo parentes ſuos complecti ſolent infantes. Rationem deinde huius tanti amoris confeſtìm adiungit, cum inquit, quòd indeſinenter ipſis in Ieſu Chriſto eſſe ſpirituale influat, dum eoſdem ad meliora ſemper promouere ſtudet, ſuiſque laboribus, atque doloribus ijs, quos parturiens patitur, non abſimilibus, ad ampliorem conetur prouehere perfectionem.

1.Cor.4.v.14

Ad Galat. 4. v.19.

Vt autem quis veri Patris ritè obeat partes, paterna viſcera ſuis ſubditis exteriùs monſtret: neceſſe eſt, quod in effectum deducet, ſi quadam cum æqualitate, proportione moderata omnibus eorum neceſſitatibus corde optimo, & paternè prouideat, ac pro poſſe ſtudeat ipſis oſtendere non obnubilatam, & toruam, ſed ſerenam frontis ſpeciem, faciemque affabi-

lem,

lem, non obſtante, quod aliqua forſan prematur afflictione: hoc enim modo Eccleſiaſtici implebit conſilium ita dicentis: *Congregationi pauperum affabilem te facito.* Communitati pauperum opera tua indigentium humanum te exhibe. Paucis deinde interiectis ita ſubiungit. *Declina pauperi ſine triſtitia aurem tuam, & redde debitum tuum, & reſponde illi pacifica in manſuetudine.* Fac ſatis debito tuo, vt non ſolùm vnicuique ſine dedignatione, & faſtidio aures præbeas, verùm etiam cum lenitate, verbiſque pacificis, & conſolatione refertis reſpondeas. Quæ verba de voluntarijs, & Euangelicis pauperibus potiùs quàm de alijs accipienda ſunt, & optimè congruunt veri Patris officio. Hac enim agendi ratione ipſos allicient ad confidenter tractandum ſecum, omnes ſuas neceſſitates, ſiue corpus, ſiue animam concernant, aperiendas. Prudenter proinde monet Diuus Bonauentura Prælatos, ea tatione ſuas regant Communitates, vt ſubditi facilem habere poſſint copiam cum ipſis agendi, & interiora ſua cum fiducia denudandi. Quod conſequentur, ſi patienter audiant eos, ſi comiter ſatisfaciant ipſis, ſi diligenter erudiant, & hilariter adhortentur eoſdem, ſi denique non ſimulata, ſed ſincera, & paterna charitate vniuerſis ſeſe, quantum permittit ratio, accommodent. Quæ omnia, hæc Seraphici Doctoris verba confirmant. *Subditi facilem acceſſum ad illum habeant, fiducialiter ei loqui, de quibus indigent, gaudeant, & patienter eos audiat, & benignè eis ſatisfaciat, & ſtudioſè inſtruat, & alacriter exhortetur.*

Eccl.4.v.7.

S. Bonau. to. 7. in p.3. opuſc. de ſex alis Seraph.c.6.

§. & Conſilium. IV.

Immigret Prælatus in Ieſu Chriſti viſcera amoris pleniſſima, illaque quaſi ſuperinduat ſibi, vt exinde ſubditos ſuos fructuosè norit diligere.

PRælatus, qui cum emolumento vult veri Patris obire partes in eam curam ſtudioſè incumbendum eſt ipſi, vt in viſcera charitatis immigret, quod aſſequi poterit, ſi ſubditos ſuos non aliter, quàm viua Chriſti membra eo loco habeat, co-

Digitized by Google

eoque proſequatur amore, quo ipſemet Chriſtus Dominus eos complexus eſt, & etiamnum complectitur. Opus proinde ipſi eſt, vt recenti in memoria indeſinenter teneat inculpatam tanti Domini vitam, labores, ac laſſitudines pro nobis quaſi continenter perpeſſas. In his tamen externis eius operibus ipſi neutiquam eſt ſiſtendum, ſed ad intima penetrandum, vt cordis ipſius aſſequatur notitiam, viſuque magnum, quo flagrabat, dimetiatur amorem, vnde non ſolùm exiſtebat, quod operabatur exteriùs, verùm etiam, quod ſalutis noſtræ, animarumque noſtrarum profectus ergò perpetiebatur ab intus. Si autem Prælatus hæc non ſegniter præſtet, non ſolùm imitabitur opera ipſius externa, quæ oculis patent, ſed etiam, & multò maximè intimum eiuſdem amorem, & cordis pietate pleniſſimi erga homines commiſerationem. Ex quo poſtmodum conſequetur, vt ſi exinde ſuorum fragilitates, atque neceſſitates ſubditorum reſpiciat, omnem poſiturus ſit operam, quâ ipſis dignum admouere poſſit remedium. Poſtremò, ſi in penetrali tenerrimi cordis Domini ſui per frequentem, & accuratam conſiderationem ſe firmet, & quaſi ſtabili manſione moretur, eodem, quo Chriſtus Dominus erga ſuas oues ardebat, incaleſcet amore, vt ſibi contigiſſe Paulus Apoſtolus Philippenſibus his verbis fatetur. *Teſtis enim eſt mihi Deus, quomodo cupiam vos omnes in viſceribus Ieſu Chriſti.* Deum pro teſte adduco, quantus ſit ille amor, quo erga vos feror in viſceribus Chriſti. *Ad Philipp. 1 v. 8.*

Sancti Patres, & alij Scripturæ Sacræ Interpretes duobus explanant hæc verba modis. Primus eſt, quo dicunt, Apoſtolum ſuos conſideraſſe diſcipulos, quaſi exiſterent intra viſcera Ieſu Chriſti; dum autem eos hac ratione, & quaſi vnum quid eſſent cum Chriſto, conſiderabat, eodem eos proſequebatur amore, quo aduerſùs ſuum diuinum flagrabat Magiſtrum. Per quod permaneſcit ad nos magnitudo, & puritas Apoſtolici, quo ardebat, amoris. Secundus interpretamenti modus eſt, quo aſſerunt Patres, Paulum Apoſtolum conſideraſſe ſeipſum quaſi vnitum, & transformatum in Chriſtum, ipſiuſque imbutum affectibus, & in hoc ſenſu intelligit prædicta verba Doctor Angelicus, dum inquit: *Quomodo cupiam vos ego exiſtens in viſcetibus Chriſti.* Eiuſmodi deinde conſideratio ei calcar, & ſtimulus erat, vt ſuos ſtuderet reſpicere, & amare diſcipulos amore tali, qualis is erat, quo erga eoſdem ferebatur ſeruator, *D. Th. in hūc locum lect. 1.*

tor,

Digitized by Google

tor, parique ardore eorum ſalutem, ac ſpiritualem anhelabat profectum, quo eundem ardebat è cœlo lapſus Magiſter, vtpote qui iam perſpectum, & experimento compertum habebat cor Domini ſui, eiuſdemque ſenſus, & proprietates iam ſibi imbiberat. Diuus Chryſoſtomus dum ſupra idem ſcribit Apoſtoli caput, affert alia verba, ab eodem Apoſtolo paulò infra prolata, per quæ nobis ob oculos ponit internam pugnam, quam duorum ratione affectuum ſimul non patibilium cor Apoſtoli ſuſtinebat; vnus eorum erat integumento corporis ſe euoluendi, Deoque in gloria ſua perfruendi, alter fuit, cum diſcipulis remanendi ſuis, vt eis auxilio eſſe, & ad ampliora prouehere poſſet. Super quam pugnam inſtituit aureæ facundiæ Doctor cum Apoſtolo, quaſi dialogum quendam, dum modo ſe, modo Apoſtolum introducit loquentem, ita ſermocinans: *Quomodo igitur adeò acerbam vitam viuens, adhuc vis in terris manere? An non ſunt iſta verba? Timeo ne fortè cùm alijs prædicauero, ipſe reprobus efficiar: ſi nihil aliud præterea cauſæ fuiſſet, hæc ſatis erat, quò liberatio deſideraretur, ſi innumerabilibus bonis præſens vita abundaſſet, ab hac tamen liberari optandum erat ob Chriſtum, quem deſiderabas. O Pauli animam! nihil illi par aut fuit, aut futurum eſt, times ſi in hac vita permaneas quid futurum ſit: innumeris malis implicatus es, ac tamen recuſas apud Chriſtum eſſe? Recuſo, inquit, idque propter Chriſtum, vt quos illi paraui ſeruos, firmiùs in illius amore ſtabiliam, vl ex agro, quem plantaui, fructus extare faciam. Non audiſti me non quærere, quod mihi vtile eſt, ſed quod proximis?* O Apoſtolica tuba, qua ratione tibi integrum eſt, vt in hanc velis conſentire mutationem, attendis magnis illis laboribus, quos ſubijſti, & quaſi indeſinenter ſubis, & indubitatè ſubiturus es, ſi in terra permaneas? Reuocat deinde ipſi in mentem verba, quibus aliàs dictis palam eſt faſſus, ſe timore percelli, ne reprobetur, quia videbatur ſibi, quòd prædicationis officio, vt par erat, ſatis non faceret. His ergo Apoſtolo priùs obiectis, hunc eum in modum vrget vlteriùs, ſi non alia tibi ſuppeteret cauſa, quàm eiuſmodi timor, hic per ſe ſolum ſufficeret, ad inducendum, & permouendum te, & vt tutiorem partem eligeres, quæ eſt, velle frui Ieſu Chriſto in gloria. Præterquam quod etiam alia hoc idem ratio ſuadeat, & eſt, quod tot malis, & ærumnis ſubiaceas. Quæ tamen omnia apud te tantum non poſſunt, vt tibi perſuadeant, eligendam fruitionem Domini tui in gloria. His denique omnibus

D. Chryſ. to. 4. ſer. 4. in 1. ad Philip.

nibus

Digitized by Google

nibus argumentis, rationibuſque ita prægnantibus reſpondet in perſona Apoſtoli idem Chryſoſtomus, & inquit: valeant, quantum poſſunt, rationes allatæ, vehemens tamen deſiderium (quo flagro, vt eos, quos Chriſto lucrifeci, ad ampliora promoueam, in bono firmem, & in amore Chriſti plus excolam) ſicut, & peroptata occaſio, quam in hac vita manens nanciſcor, vberes ex eo (quod in bonum Eccleſiæ, & pro gloria Ieſu Chriſti ſeminaui, plantaui, meaque doctrina, atque exemplo animaui) percipiendi fructus, tantum apud me poſſunt, vt diuturniorem in hac vita manſionem præhabeam, & præferam præſenti fruitioni Gloriæ Dei. An vos latet? me non quærere, quod mihi vtile eſt, ſed quod proximis meis; idcircò recuſo pro nunc frui glorioſa præſentia ſeruatoris mei Ieſu! O inextinguibilem flammam Charitatis tanti Regentis erga ſubditos ſuos, è contra verò! ò confuſionem pro illis Rectoribus, qui ſubditos ſuos multoties oderunt, & perſequuntur etiam ſine cauſa!

Ad vnum hoc loco Chryſoſtomus animum non aduertiſſe, nec ponderaſſe videtur, & eſt, quòd raptus vſque ad tertium cœlum, intuituſque Diuinæ Eſſentiæ, quo Apoſtolus in tantum donatus eſt, quoad hæc vita permittit, plus alijs quibuſcunque ipſum permouere debuiſſent ad electionem perfruendi Chriſto, cùm in raptu expertus iam eſſet, adeòque pernoſceret, in quanto bono res tanta conſiſteret, ipſe tamen totum reſpicit, atque refellit, dum inquit, ſe ex viſceribus Ieſu Chriſti ſuos proximos reſpexiſſe, quaſi eiuſdem Chriſti viſceribus circumamictos, ac ſuperueſtitos. Dum autem eos, vt tales animos expendebat, comperiebat, quod illorum ſalutis ergò idem Dominus è cœlo delapſus eſſet, & quaſi in nihilum eo fine ſe redegiſſet, vt egenis, & miſeris ferret opem, ac ſubuéniret, iuxta illud Lucæ 1. *Per viſcera miſericordiæ Dei noſtri, in quibus viſitauit nos oriens ex alto.* Si verò porrò eoſdem per aliam *Lucæ* 1. conſiderationem, vt viſcera hominis Dei metiebatur, occurrebat ipſi, quod tantus Dominus in Sacratiſſima Sua Humanitate communionem Gloriæ ſibi aliàs etiam in hac vita iam debitæ modo naturam ſupergreſſo ideo ſuſpendiſſet, vt ſibi pati liceret pro noſtro emolumento, atque exemplo. Vnde non mirum quod, dum Paulus Apoſtolus viſcera miſericordiæ Dei hominis, & hominis Dei indutus ſuos reſpicit ſubditos, atque diſcipulos, tanto cum exemplo in præſens reſpuat frui

M gloria

Digitized by Google

gloria Dei ex amore erga Redemptos ab eo, quod ea de cauſa faciebat, quia conſtabat ſibi, hoc cedere in maiorem eorundem vtilitatem. Hæc tanta fidelium æſtimatio magna vi pollet ad probandum, quod digni Prælati, & non nomine tenus ſolummodo animarum Rectores renunciare teneantur omnibus ſuis commoditatibus, atque emolumentis, vt bonum animæ ſubditorum ſuorum pro poſſe promoueant, & hoc ſuam trahere debet originem ex conſideratione, atque reſpectu, quo ſubditos ex viſceribus Ieſu Chriſti, & ea ex charitate metiuntur, quæ inibi addiſcitur.

Pro fine hic obſeruandum occurrit, ab his non fictis charitatis viſceribus, ſinceroque erga ſubditos ſuos Prælatorum amore, paria viſcera, talemque in ſubditis (præſertim ſi virtutibus ſeriò inſiſtant) erga Prælatos produci amorem, cuius opera vnio (quam vera charitas inter Prælatos, & ſubditos, Patres inter, & filios progignit) conſeruatur, vtì iam diximus ſecundo huius Diſcurſus Conſilio.

§. & Conſilium V.

Oportet Prælatum ob munus Patris, quod gerit, virtute miſericordiæ perquam eſſe conſpicuum.

EX magni Africanæ Eccleſiæ Luminaris documento, eſt Miſericordiæ virtus illa, quæ inclinat, & inflectit animum ad commiſerationem alienæ miſeriæ, & ad omnem pro poſſe diligentiam adhibendam, qua ratione tali remedium afferri poſſit miſeriæ. Verba autem Africani Solis ſunt talia. *Miſericordia eſt alienæ miſeriæ in noſtro corde compaſſio, qua vtique, ſi poſſumus, ſubuenire compellimur.* Hanc virtutem commendat Chriſtus Dominus nobis, dum ab ipſo imitanda proponitur miſericordia ſui, & noſtri Patris Cœleſtis: *Eſtote miſericordes, ſicut & Pater veſter miſericors eſt.* Quamuis autem obligatio imitandi Deum, & colendi miſericordiam omnes afficiat, ſpeciali tamen onere ad eandem virtutẽ Prælati tenentur, cum Patris munere fungi ipſis incumbat, & Vicarium Dei locum obtineant. Vt autem quod dicimus captu facilius fiat, notatu opus eſt, Deum ex nulla re maiorem ſibi gloriam accerſere, quam ex virtute miſericordiæ, nec quidquam eſſe, quod eius operibus maiorem

S. Aug. to. 5. lib. 9. de Ciu. Dei.

Luc. 6. v. 36.

rem

rem lucem affundat, quàm effectus virtutis eiuſdem. In huius rei teſtem aſſiſtit nobis Regius Propheta Dauid, dum inquit: Deum miſericordem, commiſerantem, & tolerantem eſſe, imò magnopere miſericordem, ac bene cupientem omnibus, ita vt miſericordia eius tranſcendat vniuerſa opera ipſius. *Miſerator, & miſericors Dominus, patiens, & multùm miſericors, ſuauis Dominus vniuerſis, & miſerationes eius ſuper omnia opera eius.* Vt verbo dicam, ſunt plenæ huius tantæ virtutis laudibus Sacræ Paginæ, & inibi vix aliquid offendere contingit, quod frequentiùs iteretur. Quæ frequens huius rei iteratio tantum potuit apud Gregorium Nazianzenum, vt aſſerere anceps non hæſerit, nihil vſpiam eſſe, quo Deus magis honoretur, atque glorificetur, quàm virtute miſericordiæ. Nihil enim præter ipſam eſt ita proprium Deo, hac de cauſa ſummopere lætatur, ſi eam in ſuis creaturis exerceri conſpiciat, vt ex his patet citati verbis Gregorij. *Neque enim vllus omnino cultus Deo perinde gratus eſt, vt miſericordia, quandoquidem neque aliud quidpiam eſt, quod Deo magis conueniat.* Si quis autem veram rationem pernoſcere velit, ob quam miſericordia ſit ita propria, atque conueniens Deo, vel quare hanc virtutem tantùm amet, & æſtimet, aliam aſſignare non ſcio, niſi quòd Deus Supremus ſit Moderator, & Rector Vniuerſi totius. Vnde quicunque titulo gaudent Regentium, hæc ipſis præ cæteris virtus (pro modo conditionis eorum) propria, & maximè conueniens eſſe debet, ab iiſque plurimùm æſtimanda, & quaſi nullo non tempore exercenda. Quia, vt Sapienter aduertit Doctor Angelicus, *ad miſericordiam pertinet, quod alijs effundat, & quod plus eſt, quod defectus aliorum ſubleuet, & hoc maximè Superiorum eſt. Vnde & miſereri ponitur proprium Deo, & in hoc maximè dicitur eius omnipotentia manifeſtari.*

Pſal. 144.

Gregor. Nazian. tom. 1 orat. 16.

D. Th. 22. q. 30. art. 4.

Præcipuum itaque miſericordiæ munus eſt, ſe ipſam communicare, alios ſuis participare bonis, eorumque defectus, & indigentias ſubleuare, quòd maximè addecet Capitum, & Superiorum munus obtinentes. Non imperitè propterea dicitur, Deo proprium eſſe, miſereri ſemper, & parcere, ſuamque per hoc maximè manifeſtare potentiam, tanquam Supremum Caput, atque Monarcham Vniuerſæ Machinæ Mundi, primariamque omnium in creaturas collatorum bonorum radicem, omniumque malorum eas grauantium medelam, atque remedium. Vnde ſi congruenter ad dicta ratiocinari velimus, faten-

Digitized by Google

dum erit Prælatum ex munere Patris, & Capitis teneri ad ſuis inſtillandam ſubditis veritatem, vitæ integritatem, morumque laudatorum perfectionem, & ad eoſdem omnibus, quibus forſan ſubiacent, eximendos miſerijs, ſiue Animam, ſiue Corpus infeſtent. Cui obligationi (vt priùs loquamur de corporeis) Prælatus ſatisfaciet, ſi in operibus miſericordiæ corporalibus ſe non indiligenter exerceat, & neceſſitatibus, quas ſuæ curæ commiſſorum corpus in victu, & veſtitu patitur, honoratè in tempore, & paterno affectu proſpiciat. Ad hanc autem ſui muneris partem haud incuriosè implendam mouebitur, ſi magnam animo voluat confiſionem, quam ſubditi repoſuere in eo, dum vltro ſeipſos ſubmiſerunt, & quaſi in manus eius eo ſe ſine conſignarunt, vt tanquam Pater eorum gereret curam, ſuaque id ſuppleret Prouidentia, quod ipſi ex proprijs potuiſſent habere, quibus in ſuis vti potuiſſent neceſſitatibus, ſi ſponte, & ex puro amore Dei omnibus ſuis non renunciaſſent fortunis, & facultatibus, quas vel habuere, vel habere potuiſſent. Quantum deinde ad opera miſericordiæ ſpectat ſpiritualia, ſunt hæc à Prælato longè maiore cura, & ſedulitate erga ſubditos exercenda: ſunt enim nobiliora eiuſdem virtutis opera, quorum proinde exercitio ipſi tanquam Patri Sacroque Inſtructori potiſſimùm vtendum, vt ſalubria eos doceat, bene, rectèque ipſis conſulat, eorundemque defectus paterna correctione ad emendationem perducat.

§. & Conſilium VI.

In quo enucleatiùs diſcutitur, quod antecedente conſilio breuiore de miſericordia calamo attigimus.

Rectus huius virtutis vſus in eo potiſſimùm vertitur, vt quis perſpectum habeat, in quo propriè loquendo miſericordia conſiſtat. Etenim non raro allucinamur, atque decipimur, dum credimus miſericordiam nos facere, ſi vniuerſis fratrum noſtrorum miſerijs, & afflictionibus compatiamur, earumque procuremus remedium, atque ſolatium, non obſtante, quod cedat in inſtituti, perfectèque legum, ac ſpecialium

lium obligationum impletionis detrimentum, ſi tamen res bene inſpiciatur, non miſericordia eſt, ſed non ſpernendus abuſus: nulla enim ratione, aut facultate fieri poteſt, vt vna virtus alteri aduerſetur, adeòque miſericordia opponatur iuſtitiæ, aut cæteris virtutibus, quæ eo fine exercentur, vt earundem præſcriptis mos geratur, atque obtemperetur. Sin autem virtutes ſibi inuicem aduerſariæ eſſent, pro cuſtodia Regis miſericordiam, & veritatem vnà Sapiens non aſſignaſſet, dum dixit: *Miſericordia, & veritas cuſtodiunt Regem*. Quæ verba hunc ſenſum parere poſſunt, vt ſit perinde, ac dicere: Miſericordia, & veritas infrœnant, & retinent Regem, ne ſui officij partes tranſiliat. Indiuiduas itaque ſocias iunxit miſericordiam, & veritatem Sapientiæ apex inter puros mortales, quod ipſum reliqua Sacra Scriptura varijs in locis facere non intermiſit. In exercitio namque virtutis miſericordiæ ſemper habendus eſt reſpectus ad regulas veritatis, à regulis ſanæ doctrinæ non diſcrepantes, cui curæ eſt, vt, dum vna exercetur virtus, altera nequaquam lædatur, aut offendatur. Vt ſeptuaginta Interpretes faciliorem nobis redderent horum intellectum verborum, in hunc ea modum vertunt. *Miſericordia, & veritas tutela Regis, & circuibunt in iuſtitia eius ſedem*. Miſericordia, & veritas protectionis ergò ſtipant Regem, & comitatæ iuſtitia, ſunt pro tuto ei præſidio. Sancti Patres, dum hæc explicant verba, affirmant ad rectum harum virtutum vſum opus eſſe, vt nunquam ſeparatæ incedant, adeòque omni iuſtitiæ oporteat adeſſe miſericordiam, & in omni miſericordiæ exercitio ſolerter cauendum, ne violetur iuſtitia. Vnde, vt de earundem virtutum vſu non ſiniſtrum, ſed ſanum induamus iudicium, operæ pretium erit, ſi cum Diuo Thoma aduertimus, miſericordiam bifariam poſſe partiri. Vna conſiſtit in actu, ſeu motu inferioris appetendi facultatis, quo mens hominis flectitur ad commiſerationem alienæ miſeriæ, ex quo oritur voluntatis impulſus ad illius procurandum remedium. Hæc autem miſericordiæ ſpecies non eſt virtus, ſed paſſio facultatis appetendi in ſenſum reſidentis, quæ per ſe, nec bona, nec mala eſt, tametſi concedamus bonam eſſe poſſe, ſi regulis rectæ rationis concordet, & in nullam vitij extremitatem declinet. Altera miſericordia eſt actus voluntatis actui virtutis concupiſcendi in inferiori hominis portione ſedem ſuam habentis reſpondens, quo triſtitia afficimur ob alienam miſeriam, & de-

Prou. 20. v. 28.

Septuaginta.

& deſiderio ſtimulamur ad eam pro poſſe remouendam. Et hic actus conformis eſt rectæ rationi, modumque imponit motui appetitus ſenſibilis. Et hæc eſt illa miſericordia, qua de hic loquimur, quam Sanctus Thomas in numerum refert virtutum moralium, eaque propter à Charitate hanc proximè proſequitur. Ex dictis dijudicari poteſt, non omne, quod miſericordia nobis eſſe videtur, id continuò miſericordiæ nomen mereri, aut eſſe, tum verò maximè, quando ob mala, & calamitates aliorum naturali ſolummodo commiſeratione tangimur, ibique ſiſtentes aliud non ſpectamus, nec eiuſmodi motum rectæ rationis regulæ conformamus, quà docemur compaſſionem leges iuſtitiæ infringentem non miſericordiam eſſe, ſed vitium, ſiquidem virtutes ſibi inuicem contrariæ eſſe nequaquam poſſunt.

D. Th. 22. q. 30. art. 3.

Ex quibus conficitur, quòd, quando Prælatus hac perſonata, & laruata erga ſubditos ſuos miſericordia motus, eorum duntaxat curat, ac ſpectat ſolatium, moleſtiaſque, & afflictiones, quibus vexantur, ipſis eximendas, neć vlla obſeruantiæ, & legum habita ratione, ita vt parcat culpæ obnoxijs, tametſi bene aduertat, eos ſua errata nolle agnoſcere, vel indiſcriminatim, & ſine debita moderatione adhibita pœnas relaxet, quo agendi modo bonum commune offenditur, magnumque inde accipit detrimentum, quando, inquam, Prælatus ita ſe gerit, tum talis ipſius miſerandi ratio nullo modo vera vocari poteſt miſericordia, bene tamen diſciplinæ corruptio. Indubitatum namque eſt, ibi non poſſe eſſe miſericordiam, vbi tranſiliuntur leges iuſtitiæ. Non decet ergo Prælatum ignorare modum, quo naturalis ſit moderanda compaſſio, vt rationis ſubdatur imperio, & veræ virtutis induat rationem, quem ſi ſcire velit, conſulat Auguſtinum, qui cum his verbis nobis præſcribit. *Seruit autem motus iſte rationi, quando ita præbetur miſericordia, vt iuſtitia conſeruetur, ſiue cùm indigenti tribuitur, ſiue cùm ignoſcitur pænitenti.* Tum ergo naturalis commiſerationis motus commenſus eſt regulæ rationis, ſi ita impendatur miſericordia, vt iuxta cuſtodiatur iuſtitia, ſiue poſtea ſuccuratur indigentiam patientibus, ſiue indulgeatur ſua errata perſpecta habentibus, & non negantibus. Quamuis autem omnes ad hanc miſericordiæ ſpeciem certa ratione obſtringimur, ad eam tamen Prælati potiſſimùm, & ſtrictiùs tenentur, quibus præ alijs incumbit, conſeruare iuſtitiam, cuius officium eſt, recta fronte ſpectare bonum commune.

D. Aug. to. 5. lib. 9. de Ciu. Dei c. 5.

Præ-

Digitized by Google

Prælato ergo, qui in exercenda erga ſubditos miſericordia rectum cupit tenere ordinem, impensè curandum eſt, ne obliuioni tradat iuſtitiam, ſed ſuum in hoc imitetur conditorem, qui ita miſericors eſt, vt, dum miſeretur, iuſtus eſſe non deſinat, idcircò in eo nec miſericordia quicquam derogat iuſtitiæ, nec è contra iuſtitia miſericordiæ, prout patere videtur ex his Regij Pſaltis verbis. *Miſericors Dominus, & iuſtus, & Deus noſter miſeretur.* Hiſque ambabus vnà vtitur virtutibus, dum noſtris vult mederi miſerijs, in quibus verbis notandum eſt quòd, cum Regius Propheta vellet dicere, Deum vti miſericordia, priùs præmittere voluerit ipſi ſimul ineſſe iuſtitiam, & miſericordiam, vt inſinuaret, vtriuſque iſtarum virtutum leges inuiolatè ſimul ſeruari, ita vt exercitium vnius non cedat in damnum alterius. *Pſal. 11.4.*

Quem miſericordiæ exercendæ modum Chriſtus Dominus exigebat, cùm diceret. *Eſtote miſericordes, ſicut & Pater veſter miſericors eſt.* Vbi per particulam *ſicut,* ſimilitudo à nobis exigitur, non in ſubſtantia tantum, ſed etiam in modo, prout modica noſtra facultas permittit, & patitur. *à nobis. Luc.6.v.36.*

Hæc autem omnia faciliùs cognitione aſſequi poterimus, ſi ad doctrinam Diui Thomæ animum aduertere non negligamus, qui differens de bonitate & miſericordia Dei, necnon de modo, quo illam exercet, ſic inquit: *Triplex autem eſt gradus hominum, in quibus iudicium Diuinæ bonitatis inuenitur. Primus gradus eſt peccatorum. Secundus pænitentium. Tertius iuſtorum. Quantum autem ad peccatores, manifeſtat Deus ſuam bonitatem, eos corrigendo, &c. Secundus effectus eſt, quòd pænitentes dirigit. Vnde dicit: dirigit manſuetos in iudicio. Manſuetatur autem beſtia: quando depoſita ferocitate ſubditur hominibus. Sic homines, quando deponunt peccata, ſubduntur Deo, & ideo dicit, in iudicio, ſcilicet correctionis, quia per iudicium correctionis proficiunt ad meliora. Tertius effectus eſt, quod iuſtos inſtruit.* *D.Th. in Pſ 24. ſuper illa verba, propter hoc legem dabit deliquentibus in via.*

Erga tria itaque perſonarum genera exercet Diuina Bonitas miſericordiam ſuam. Primùm erga peccatores, dum eos conuertit, & per ſuam gratiam ad meliorem vitæ frugem reducit. Deinde erga pœnitentiam agentes, dum eos modum edocet, quo digni pœnitentiæ fructus ſint faciendi. Poſtremò ergo iuſtos, dum eos ſua luce illuſtrat, vt norint, quæ viæ ipſis ſint ineundæ, quibus ſe ad maiorem perfectionem de die in diem magis valeant promouere. Ex quibus haud obſcurè

videtur,

Digitized by Google

videtur, quàm magno iuſtitia, & miſericordia amicitiæ nexu ad ſe inuicem copulentur, & quàm multùm vna, & altera ſe mutuò iuuent.

Earum namque actus ea ratione ſunt actus iuſtitiæ, prout vnicuique tribuunt, quod pro ſui ſtatus conditione ipſi debetur, in quantum verò per eos noſtræ ſubleuantur miſeriæ, ſub hac ratione adſcribuntur miſericordiæ, vt ſupra iam vidimus. Ex quibus inferre licet, non aduerſari miſericordiæ delinquentes corrigere, ſalutaremque facere monitionem indigentibus ea, tametſi non vſquequaque placeat, ſed potiùs diſpliceat, ipſis; quin imò hoc facere, eſt miſericordiæ, eiuſque nobilioribus, ac primàrijs operibus admodum conſentaneum, atque conforme; cuiuſmodi ſunt actus miſericordiæ ſpiritualis, per quos impertiuntur bona Spiritualia, & præſtatur exemptio à contrarijs malis, quæ bonis, & malis corporeis, circa quæ verſantur actus miſericordiæ corporalis, ſunt longè maiora. Quapropter corrigere proximum, vbi poſtulat ratio, eſt opus miſericordiæ excellentius, quàm ipſum morbo corpus infeſtante liberare, vel neceſſitatem patienti ſuccurrere. Inde conſequitur, quòd ſi Prælatus in horum exercitio operum nolit decipi, vel errare, præmiſſa priùs matura circumſtantiarum examinatione, ſpiritualia ſemper corporalibus anteponat in caſu, quòd ea ſibi inuicem ſimul occurrere contingat. Poſtea ſi corporalia perfectiora, ac præmio digniora reddere velit, ea referat non in corporis ſolùm, ſed animæ etiam vtilitatem.

Finem huic paragrapho impono hac cum animaduerſione, dari Prælatos aliquos ita puſilli cordis, & animi, vt culpis, varijſque erratis obnoxios competente correptione admonere non audeant; nec aliquorum imperfectorum, maliſque indole, ac moribus impurorum reprimere inſolentiam, dum timent, ne per hoc turbentur, & inquietentur, aut minùs honoratè de ipſis loquantur. Hi verò tam defecti animo homines, & plus lepores, quàm viri, ferme charitatem, & miſericordiam obtentui habent, per quam ad diſſimulandum, & tacendum ſe adduci dicunt, vt maiora per hoc euitent mala. Viſu tamen promptum, & facilè eſt, quàm hoc ſit procul à vera miſericordia: diſſimulare enim ſubditorum defectus, non eſt liberare eos ab illis, ſed confirmare potiùs, & ſecuritatem quaſi præſtare intrepidè committendi nouos.

Plerumque autem contingere ſolet, vt in iuſtam tantæ ſocordiæ

Digitized by Google

cordiæ pœnam Deus permittat huiuſmodi timidos, & ignauos Prælatos in paria, vel maiora cadere reatuum inconuenientia. Vnde non ſine magna, inquit Doctor Angelicus ratione, admodum timidos, & animo indignos miſericordiam non habere erga proximos ſuos, quia paſſio timoris tanta poteſtate dominatur in illos, vt videre nequeant alterius miſeriam, oculo eorum ad propria ſolummodo commoda reflexo, quorum iacturam facere perperam, & plus æquo timent, vti ex his citati Doctoris verbis non inſcitè colligere licet; *Qui valde timent, non miſerentur, quia tantùm intendunt propriæ paſſioni, quòd non intendunt miſeriæ alienæ.* D.Th. 22. q. 30. art. 2. ad 2.

§. 8 Conſilium VII.

Qua partitionis ratione externæ amoris teſtificationes à Prælato ſubditis ſint exhibendæ, vt Rectus, quem charitas exigit, prudenter ordo ſeruetur.

TAmetſi æquus charitatis ordo poſtulet, vt ſecundùm illos, qui nobis proximiùs ſunt ſanguine iuncti, plus amentur, D.Th. 22. & æſtimentur excultiores virtutibus, Deoque, prout ijs plus q. 26. per totũ præſtant, viciniores, vti Sanctus Thomas affirmat, dum hunc præcipuè art. ordinem, eiuſque neceſſitatem calamo proſequitur, illa fun- 7. & 8. datus in doctrina, qua ſponſus ſuam imbuit ſponſam, cum eandem in ſua delicijs affluentia introduxit cellaria, prout ip- Cant. 2. v. 4. ſamet eius dilecta his teſtari voluit verbis. *Introduxit me Rex in cellam vinariam, ordinauit in me charitatem.* Quamuis, inquam, hoc, quod modo dixi, ita fieri oporteat, Prælatis tamen, quos huius executio doctrinæ ſpectat præcipuè, maiore in ſua communitate vtendum eſt diſpectu, ad euitandam, quoad poterunt, omnem ſpeciem ſingularitatis externæ. Vnde, ſi circa hoc certa aliqua præſcribi poſſit regula, tum hanc dari poſſe exiſtimo, ſcilicet, quòd, licèt Prælati ſentiant ſe plus ferri, & affici perfectioribus, nihilò ſecus decens eſt, vt ſe monſtrent omni partium ſtudio intactos, atque ſecuros, & ab vniuerſa priuata affectione alienos, quæ immoderata poſſet videri, & hæc in tribus

Digitized by Google

præſertim occaſionibus, eſt ipſis ſummopere cauenda, & euitanda. Primùm quidem, quando ex rebus ordinarijs, & communibus, ad quas vnuſquiſque parem æquitatis rationem habet, eſt alicuius poſtulatis acquieſcendum, vel gratificandum. Deinde, quando ratio ſuadet, vt indigentibus ſuccurramus, & auxilio ſimus, ſiue bonæ, ſiue malæ valetudinis tempus id requirat. Poſtremò, quando prouiſio facienda eſt, & res neceſſariæ ſuppeditandæ, quo in caſu decet Prælatos ſolerter aduertere, vt magis ad liberalitatem, quàm ad parcitatem inclinent. Minùs autem perfecti molliore nonnihil manu tanquam minùs valentia, & indiga membra, ſunt tractandi, vt ex huiuſmodi agendi modo diſpici poſſit, amorem Regentium partiri ex præſcripto prudentiæ ſpiritus, & miſerationis erga fragilitatem imbecillium habendæ, & oſtendendæ, ita tamen, vt non contraueniatur debito virtutis, nec ea defectus importunè adigatur ad id præſtandum, quod ipſa requirit. Hoc nobis conſilium Diuus Baſilius ſuggerit, dum ordinem charitatis pertractans ſic inquit.

D. Baſil. ſer. 2 de inſtit. Monac.

Sicut in nobis ipſis, & ſi ſingularum corporis noſtri partium dolor æquè in totum corpus permanat, ſunt tamen membra alia alijs nobiliora. (neque enim ſimiliter affecti ſumus, & cùm ex oculo, & cùm ex pedis digito laboramus, etiamſi vtriuſque iuxta angat dolor) ſic quoque in cuncto Conuentu ſeruari debet, vt videlicet, cùm æqualiter miſericordia ex malis cuiuſque moueamur, & ſimiliter charitate erga omnes ſimus propenſi, nihilominus tamen ijs, qui vtiliores ſunt, maiorem, vt æquum eſt, habemus honorem. In vno itaque Religioſo cœtu talis ordo ſeruandus eſt, qualis tenetur inter naturales corporis partes, in quibus tametſi dolor vnius partis ſe extendat, & propter magnam, quæ inter illas eſt, vnionem, cœteris fiat communis, ſunt tamen aliquæ partes, nobilitate præſtantiores, & ad vtilitatem plus momenti conferentes, quàm aliæ, adeòque vel ex hoc capite pluris præ cæteris æſtimandæ. Etenim non perinde ſentimus dolorem vnius digiti, ac oculi, in quo delicatior ſenſus, & hoc fieri poteſt ſalua amoris cunctis debiti partibus æquitate, ac ſine opis alijs neceſſitate etiam preſſis cum debita proportione ferendæ neglectu. Vnde in exibitione amoris, & miſericordiæ operum erga membra corporis myſtici vnius communitatis non abſimilis tenendus eſt modus, quo cunctis pro eo, ac merentur, & non prætерita iuſta proportione eſt ſuccurrendum. Idem priùs Ponti Ecclе-

cleſiaſtes, & poſtmodum Cæſareæ magnus Antiſtes, Sanctum Baſilium volo, hæc paulò plùs infrà hac ſuper re habet verba: *Siquidem ex contentione inimicitiæ, ex amore autem ſingulari, ſodalitateque ſuſpiciones, inuidiæque oriuntur: vbique enim æqualitatis defraudatio, inuidiæ, odijque materia, ac ſeminarium exiſtit ijs, qui ea defraudantur, quare factum eſt, vt præceptum etiam à Domino nobis ſit, vt bonitatem imitemur illius, qui ſolem ſuum oriri facit ſuper iniuſtos nihilominus, atque ſuper iuſtos. Matthæi 5.v.25.* Quemadmodum ex litigijs, rixis, & iurgijs inimicitiæ exiſtunt, atque emergunt, ita ex oſtenſione amoris, & amicitiæ priuatæ, ac ſpecialis procreantur ſuſpiciones, atque inuidiæ. Ex quo infertur, omnem in hoc genere inæqualitatem cauſam odij, & inuidiæ illis exiſtere, qui in hoc ſe vident negligi, & minùs curari. Hac de cauſa Chriſtus Dominus, ne in talem nos inducamus mali labyrinthum Matthæi 5. præcauet nobis, ac ſuadet, vt imitatores ſimus bonitatis ſui Patris cœleſtis, quæ inde elucet, quòd perinde iuſtis commune ſolis lumen indulgeat. Haud ſecus Diuus Bonauentura ſenſiſſe videtur, dum ſuper eodem argumento hæc protulit verba. *Et infra.*

Licèt enim meliores in affectu præferendi ſint minoribus, & omnes propter ſpem ſalutis in Chriſto ſint amplectendi, in actu tamen exhibitionis exterioris taliter ſe gerat ad omnes, vt nullus ſe ab eo contemni propter alios ſuſpicetur, ſed quilibet ab eo ſe diligi præſumat, & fiducialiter ei, quaſi ſingulari amico confidat, ne alicui indignatio, & inuidia in alijs nutriatur: ſicut Fratres Ioſeph, qui oderunt eum pro eo, quòd à Patre ſingulariùs amaretur. Vt dicitur Geneſis 37. Etiamſi itaque à Prælato plus ſint amandi clariores virtutibus, omnes tamen prout filij, & hæredes Regni Cœleſtis amore ſunt proſequendi. Quapropter in eo, quod externa, ordinaria, atque communia concernit, Prælatus ita ſe gerat, oportet, vt nullus valeat opinari, ſe minùs amari ab ipſo, ſed quiſque ſibi perſuadeat, ſe pari ab ipſo complecti amore, ſeque illi tutò confidere poſſe, vt ſuo ſpeciali amico, qua agendi arte omnem à cunctis remouebit diſplicentiæ motum, atque inuidiam, quæ in corde Fratrum exoriri aſſolet, dum vident aliquem à Prælato plus præ alijs foueri, & adamari, vt Ioſeph Fratribus vſuuenit. *D. Bonau. in opuſc. de ſex alis Seraph. c.6.*

Digitized by Google

§. & Conſilium. VIII.

De modo, quo Prælatus tenetur ſe ſingulis priuatim, & cunctis vniuerſim accommodare, vt omnes lucrifaciat.

IN materia charitatis eſt hoc magni momenti Conſilium, tantæque vtilitatis, vt ex eo in praxi Regiminis præclari colligantur, atque percipiantur fructus. Ab exemplo Diui Pauli poſſumus huius rei deſumere argumentum, ex cuius epiſtolis compertum eſt, eum decorum, & gloriæ ſibi duxiſſe, quod inſtar veri Patris, fideliſque Magiſtri ſe ſuis accommodauerit Diſcipulis, vtì huius rei hæc eius verba fidem facere poſſunt: *Omnibus omnia factus ſum, vt omnes facerem ſaluos*. Sciendum tamen eſt, hoc non eo ipſo feciſſe fine, vt omnes eorum voluntates expleret, & ſuis permitteret inhærere defectibus, ſed potiùs, vt eos inde eriperet, & ad maiorem vitæ perfectionem pro ſua quemlibet aptitudine ſalutis ergo incenderet. Superque Apoſtoli textum, ne perperam à quopiam intelligi poſſet, hæc nobis Auguſtinus litteris conſignata reliquit. *Quod ergo ait: omnibus omnia factus ſum, vt omnes lucrifacerem, compatiendo id fecit, non mentiendo: fit enim quiſquam tanquam ille, cui vult ſubuenire, quando tanta miſericordia ſubuenit, quanta ſibi ſubueniri vellet, ſi eſſet ipſe in eadem miſeria conſtitutus: Itaque fit tanquam ille, non quia fallit illum, ſed quia ſe cogitat ſicut illum*. Tanta proinde charitate, & amore cor Apoſtoli aduerſùs proximum flagrabat, & ita fortiter trahebatur ad ipſi ſuccurrendum, quaſi ipſemet in eo verſaretur periculo, ex quo ſuum proximum eripere ſatagebat, idcircò ſe miſerum faciebat cum miſeris, egenum cum egentibus, & culpis quaſi irretitum cum peccatoribus. Et tantum poteſt amor proximi in anima eo referta, vt corrigendi fragilitatem, velut ſuam propriam arbitretur, per quod impletur illud Euangelicum Conſilium, quo nobis ſuadetur, vt id faciamus proximo, quòd vellemus, vt ab eo (quoad fert ratio, & veritas) fieret nobis. Placet prætcrea audire explanationem Chryſoſtomi ita hunc ſuper textum ſcribentis. *Vt enim miſſum in ignem ferrum totum profectò ignis efficitur, ſic Paulus charitate ſucenſus totus factus eſt*

1.Cor.9.d.22.

S. Aug. Tom. 4. de mendac. ad Conſentiũ c.21. in princ.

eſt charitas, qui quaſi communis totius mundi eſſet Pater, ita in amore omnium, ipſos eorum imitabatur parentes: imò cunctos non carnales tantummodo, verùm etiam ſpirituales Patres ſollicitudine, ac pietate ſuperabat. Sicuti ferrum igni immiſſum totum tranſit in ignem, ita Apoſtolus charitate incenſus aliud non ſpirabat, quàm charitatem, eòque ſe modo gerebat cum vniuerſis coniunctim, & cum ſingulis ſeorſim, ac ſi communis vtruſque mundi totius parens exiſteret, quinimò prægrauabat tam carnalium, quàm Spiritualium Patrum affectus, dum omnium neceſſitates, atque miſerias vſque adeò miſerabatur, ijſque ſubleuandis intendebat, vt propriè non quærens, quæ ſua erant, cuncta, quæ habebat, & erat, ad aliorum referret commodum, atque vtilitatem. Huius figura rationis agendi videtur adumbrata in facto Eliſei Prophetæ, qui vt paruulum viduæ Sunamitidis filium, qui fatis conceſſerat, ad vitam reuocaret, ſuper iacentem mortuum pronus procubuit, perfectæque ætatis vir taliter ſe contraxit, vt ſuum corpus, & membra cadaueri, & membris vita functi adæquè quaſi congruerent, prout Regum hiſtoria his verbis recenſet. *Et aſcendit, & incubuit ſuper puerum, poſuitque os ſuum, ſuper os eius, & oculos ſuper oculos eius: & manus ſuas ſuper manus eius, & incuruauit ſe ſuper eum, & calefacta eſt caro pueri*. Et tantum hæc tam operoſa tanti vatis contentio potuit, vt in frigidum mortui corpus vitæ calorem induxerit. Quemadmodum ergo tantorum Propheta ſignorum corpus, & membra ſua corpori paruuli, qui vita exceſſerat, grandi niſu, & difficultate coæquauit, ita ratio muneris dictat, vt Superiores ſuæ corpori communitatis myſtico, & vniuerſis eius membris pari ſe modo accommodent, atque conforment. Liceat mihi aliquid in confirmationem huius rei ex meæ penu lectionis adiungere, quod legi in hiſtoria Cardinalis Sfortiæ Pallauicini, quam ſuper Concilium Tridentinum elucubrauit, vti ſic ait. *Qui præeſt, æqualem ſe cunctis præbeat, neceſſe eſt*. Id ipſum deinde in eadem hiſtoria paulò infra his verbis confirmat. *Naturæ lege tenetur caput, vt ſe cum reliquis membris conformet in eo, quod ipſum non decet ob propriam capitis conditionem*. Auguſtinus autem in hoc Eliſei facto illa premens verba, *incuruauit ſe*, ſic inquit: *Reuera Fratres, nemo poteſt iacentem erigere, ſi ſe nouerit inclinare*. Accommodent ergo, & ſe inclinent Prælati ad ſubditos è miſerijs erigendos, nec ſibi vanè perſuadeant, hoc infra dignitatem

D.Chryſ. hom 3. in fin. de laud. Pauli. tom.3.

4. Reg. 4.34.

fol. 49.

fol. 53.

ſerm. 205.

tem

tem eorum eſſe, ſiquidem ipſe altiſſimus æterni Patris Filius noſtri ergo vſque ad terram, imò infra omnes homines ita ſe inclinauit, vt ſibi abiectioni non duxerit, ſe per Prophetam amore noſtri nominare plebis abiectionem.

Magna igitur ratione ducitur Doctor Mellifluus, dum acriter illos perſtringit Prælatos, qui extra Pauli veſtigium gradientes, non quærunt per ſuum Regimen maiorem Dei gloriam, ſuorumque ſubditorum emolumentum, & ſcire, quomodo ſe habeant, nil curantes, eorum indigentiæ, & imbecillitati ſe non attemperant, atque conformant, ſed ſemetipſos in omnibus quærentes, proprijs inhærent inconſultis iudicijs, atque propenſionibus nulla pietate, aut prudentia temperatis. Qui agendi modus Deo, & charitati è diametro aduerſatur, atque opponitur. Optandum eſſet, vt hæc tanta recti Regiminis inuerſio non omnibus eſſet communis, ſed proh dolor, peccatis noſtris id merentibus vniuerſim quaſi inualuit; vtrùm non ita ſit, vt dico, Sanctus Bernardus per hæc verba edicat. *Quando, quod volumus non ad honorem Dei, non ad vtilitatem Fratrum, ſed propter noſmetipſos facimus, non intendentes placere Deo. & prodeſſe Fratribus, ſed ſatisfacere proprijs animorum motibus, huic contraria eſt recta fronte charitas, quæ Deus eſt.*

S. Bern. ſer. 3. de Reſurrect. poſt princ.

§. & Conſilium IX.

Duo quibus vertitur, ſunt Regiminis cardines, amor, & timor, Prælato autem amore potiùs, quàm timore regendum eſt, quoad fieri poteſt.

VBi Prælatus vultum, & propenſiones pecoris ſui abundè perſpectas habuerit, conetur oues ſuas potiùs amore, ad rectè facta pertrahere: hic enim eſt melior, & magis proprius modus, perinde pro perfectis, ac imperfectis, ſiue id vertas nobilitati naturæ hominis, de quo Seneca inquit, cum corde generoſo pollere, & velle moderari amore, quibus id dicit, his vtitur verbis. *Generoſus animus hominis non vult, niſi amore trahi.* Siue quòd dixit, id imputes fini vitæ Religioſæ, qui Sanctimonia, & virtus eſt, quarum actus à voluntate emanant, & eò plus ad virtutem accedunt, quò plus participant liber-

Seneca.

Digitized by Google

libertatis, amicabile autem guberniuni mitigat voluntatem, nec Ethnici quidē hoc ignorarunt, aliàs Curtius non ita dixiſſet; *Obſequio mitigantur imperia*. Et Plinius in oratione Traiani. *Plus moribus confert princeps, qui bonos eſſe patitur, quàm qui cogit*. Si hi non placent, habe ſapientem pro Teſte, qui mentis eſt, ipſum Deum in ſuis ſeruis Regendis non alio vti modo, licèt enim infinita virtute, atque potentia polleat, eos tamen multo dulcore, & tranquillitate diſponit, ita vt eius videatur habere reſpectum, ſi blandimenta attendas, quibus eos demulcet, de qua re Sapientis verba ſic habent. *Tu autem Dominator virtutis, cum tranquillitate iudicas, & cum magna reuerentia diſponis nos*. Sciendum autem eſt, non contra amorem agi, ſiquis viam inſiſtat timoris, vbi bonum commune, vel ſubiecti conditio, & qualitas id requirunt: quia, cùm amor aduertat oculum in bonum, & vtilitatem eius, quem amat, non verò ad meram ſatisfactionem eiuſdem, inde eſt, quòd iuſta, & debita, quæ ex paternis promanant viſceribus correctio, & amor ad inuicem pacata Societate conſiſtere poſſint. Quod ſapientia increata dilecto ſuo Diſcipulo Ioanni ignotum non voluit, dum ei locuta ſic dixit: *Ego, quos amo, arguo, & caſtigo*. Vbi ſicut verba *amo*, & *arguo*, ſimul poſita non repugnant, ita nec notiones, vel ſignificantiæ eorum, quæ ſunt amor, atque correctio. Poſt auditam Sapientiam increatam, Sapientem etiam creatum in huius rei teſtem adduco, qui affirmat, Deo, vt vero Patri non Parum complacitam eſſe correctionem eius, quem tenet & habet pro filio, per eam enim cupit ipſi plus boni: *Quem enim diligit Dominus, corripit, & quaſi Pater in filio complacet ſibi*. Imò Paulus Apoſtolus nullam omnino facere videtur ſeparationem amorem inter, atque correctionem, ſed potiùs cenſet ipſam etiam correptionem vocari poſſe amorem: quia filij non ficto, ſed vero ab eo, qui verus Pater ipſorum eſt, diliguntur amore, non ſecus, ac Deus diligit ſuos, effectus autem veri amoris eſt, inflicta pœna (vbi æquitas poſtulat) corrigere filium delinquentem, habita maioris ipſius boni ratione. Et hoc eſt complecti ipſos vero amore; ſecus autem facere, eſt ipſos odiſſe, vt ex his Apoſtoli verbis haud obſcurè colligi poteſt. *Quem enim diligit Dominus, caſtigat, flagellat autem omnem filium, quem recipit. In diſciplina perſeuerate, tanquam filijs offert ſe Deus, quis enim filius, quem non corripit Pater? quòd ſi extra diſciplinam eſtis, cuius parti-*

Sap.12.v.18

Apoc.3.v.19.

Prouerb. 3. v. 12.

Heb.12.v.6.

cipes

cipes facti ſunt: omnes ergo aduleri, & non filij eſtis. Mirum eſſe videtur, quod Spiritus Sanctus in ſacris paginis tot vicibus iteret hanc doctrinam, & fusè quidem, nunquam tamen dicat, opus eſſe, vt Patres voluntatibus, & appetentiis filiorum dent aliquid, & conniueant; per quod nobis inſinuatur quid Patribus, atque Prælatis ex muneris ratione ſit faciendum, & quibus à ſubditis tanquam pro re neceſſaria ſit habendum. Etenim in Schola veritatis Diuinæ, & amor & correctio in numero veri amoris computantur. Ex quibus colligere licet, in quanto illi ſubditi verſentur errore, quibus omnia (ſiue corpus, ſiue animam ſpectes) à Superioribus ſuis largè, & affluenter ſuppeditantur, ſi tamen ſemel tantùm corripiantur, & ob commiſſos defectus aliqua regularis pœna ipſis ſubeunda iniungitur, dicere audent, cuncta rigorem ſapere, ſeque Regi non amore, atque dulcedine, ſed violenter, & multùm imperioſè; eiuſmodi tamen delicatuli aduertere deberent, dulce amaro, amorem correptione, prudente quodam temperamento eſſe miſcendum, vt vnum, & alterum ipſis ad ſalutem proficiat. Eiſdem denique pro certo habendum, in vna communitate magno membrorum conſtante numero, ſemper aliquos eſſe, qui de ſuis defectibus reprehendi, & corrigi mereantur, attenta præſertim magna hominum fragilitate.

Totius rationem argumenti in hoc contenti conſilio, non imperitè Auguſtinus ſubducit, dum ad quendam militem, Bonifacium nomine perſcribit, meliores quidem eſſe, qui amore ducuntur, plures tamen exiſtere, qui corriguntur, & emendantur rigore, do propria eius verba. *Sicut meliores ſunt, quos diligit amor, ita plures, quos corrigit timor.*

S. Auguſt. Epiſt. 50. ad Bonif. virum militarem.

§. & Conſilium X.

In quo Doctrina antegreſſi conſilij exactiore trutina ponderatur.

Licèt ex ſupradictis ſatis ſuperque conſtet amorem Prælati erga ſubditos oportere eſſe non obuium, & communem, ſed magnum, & ſingularem, nonnunquam tamen ſuadet ratio, vt non ſolùm differentes, ſed contrariæ etiam ſint ineundæ

Digitized by Google

dæ regendi viæ, pro diuerſitate conſtitutionis animi eorum, quibus imperatur. Vnde licèt comiter, & amicè habere ſubditos ſit melior regendi ratio pro modeſtis & pacificis (vtì iam diximus) contraria tamen eſt melior pro refractariis, & obſtinatis, qui non raro abutuntur regentis facilitate, & humanitate, & occaſionem exinde arripiunt euadendi licentiores. Ab hoc genus hominibus timendus eſt Præſul, & qui funiculis charitatis nequeunt trahi, atque compeſci, iis inijciendum eſt frœnum timoris, vt in officio pro imperio contineantur, & promptiora condoceantur obſequia. In hac ſententia, & arbitratu eſt Ioannes Chryſoſtomus, qui ad modeſtum, & placidum loquendi modum, quo cum ſuo diſcipulo Timotheo vſus eſt Apoſtolus, cùm dixit: *Rogaui te, vt maneres Epheſi,* animum aduertens ſic inquit: *Audi quàm gratè, & quàm placidè non Magiſtri vtitur voce, ſed ſupplicis.* Animaduerte, vult dicere, quanta cum placiditate, atque modeſtia ſuo Apoſtolus loquatur diſcipulo, non inſtar Magiſtri, aut imperantis Prælati, ſed more ſupplicantis conſerui: ſic enim exigebat illius, cui loquebatur, modeſtia, atque libens ſubiectio. Hic tamen agendi modus (vt autumat idem Sanctus Antiſtes) non cum omnibus ſubditis eſt tenendus, ſed tantùm cum placidis, & lenitatem ſectantibus, vt claret eiuſdem verbis hunc ſonum edentibus. *Non tamen ad omnes diſcipulos paſſim affectus iſte ſeruandus eſt, verùm ad eos, qui manſuetudine, & virtute ſunt præditi.* Vnde ſi Prælatus ſecus ſe gerat, prudentiæ leges profectò tranſiliet. Idcircò Eccleſiaſtes non gratis hac ſuper re talem profert ſententiam. *Principatus ſenſati ſtabilis erat.* Regimen prudentis Superioris, qui ſciet vnicuique dare, quod ratio, æquitas, conditioque cuiuſque requirit, multos durabit in annos, & per hoc ſuam manifeſtabit prudentiam. Quorum lectio verborum apud Lyranum ſic habet: *Principatus ſenſati terribilis erit omnibus malis.* Moderamen viri prudentis terrorem malis incutiet, ideſt, vbi ſe ferent occaſiones, virum ſe præſtabit aduersùs nil curantes monitiones, & nullam melioris frugis Spem facientes, ſuaque confidentia, & animoſitate adiget eos rectà incedere, vt limites legum, atque Scitorum tranſgredi non præſumant, in quo rectus communitatis ordo conſiſtit. Nec ob id Prælato timendum eſt, ne per vſum eiuſmodi in prudentia fundati rigoris erga culpis obnoxios, amor, quo boni erga ipſum feruntur, imminuatur, decreſcat, aut refrige-

1. ad Tim. 1. v. 3.
Chryſoſtomus ibid.
Infra.
Eccl. 10. v. 1.
Liran.

Digitized by Google

ſcat, quin potiùs acceſſionem accipiet, vt teſtis eſt Diuus Bonauentura his verbis. *Etſi Prælatus magis diligendus ſit, expedit tamen, vt ab inſolentibus timeatur: ipſe enim amor aliquo modo ſuauiter ſentitur cum reuèrentia mixtus. Quod patet in amore ſummi Conditoris, cuius quò Maieſtas ſublimior agnoſcitur, dignationis dulcedo ſapidiùs amatur.* Tametſi deceat, & conſentaneum ſit, vt Præſul potiùs diligatur, quandoque tamen ratio dictat, vt terrorem proteruis, & petulantibus incutiat: Eiuſmodi namque mixtura cauſa erit, vt amor, quo à bonis proſequitur, euadat gratior, & reuerentior, vt videre licet in amore, quo erga Creatorem afficimur, cuius Maieſtas quò plus agnoſcitur, & poteſtas magis timetur, ac reueretur, eò dulcedo bonitatis ipſius exiſtit iucundior, & amabilior. Ad vnum tamen in hoc negotio debet Prælatus non incuriosè, ſed accuratè aduertere, vt, quando rigore vtendum eſt, adeòque reprehenſiones faciendæ, & infligendæ pœnæ, curet impensè, vt ſuus magnus, quem de Deo habet, Timor, Subditis, quos corripit, innoteſcat, qui ipſum adducit ad rigore quandoque vtendum, vt hac ratione ſubditos ad perfectionem promoueat, bonumque commune in ſuo flore, & integritate conſeruet, ne ſuo tempore, ſi in hac parte negligens foret, ſtrictam cogatur reddere rationem, hacque agendi ratione maior ipſius Dei, quàm ſui ipſius incutietur timor, qui fons erit omnis proſperitatis.

D. Bonau. de ſex alis Seraph. c. 6.

§. & Conſilium XI.

Moderandus, & corrigendus à Prælato eſt affectus, quo à ſubditis cupit amari, ſi talis amor nonniſi ad propriam ſatisfactionem redundet.

POſtquam Prælatus ſatis tenuerit modum, quo erga ſubditos, atque diſcipulos amor, & charitas ſint exercendi, & rigor cum ſuauitate prudenter miſcendus, vt per hanc ſuam rationem agendi inducti ſubditi ad amandum Deum ſe totos impendant, tum ſupereſt, vt Rector, qui munus ſuum exactè cupit implere, bene aduertat, quo fine à ſubditis velit amari, ſibi-

ſibique ab ijs deferri; vnde ſi mutuus amoris inter Prælatos, & ſubditos reſponſus, in affectione præcisè naturali ſe firmet (quæ plerumque vitioſa eſt) abſque relatione ad puriorem finem, tum nullum producit in anima ſacrum emolumentum, prout ipſemet ſalutis noſtræ Emptor nos docet. Et ratio eſt, quia id ipſum etiam Publicani faciunt, quòd ex his eius verbis propalam eſt. *Si enim diligitis eos, qui vos diligunt, quam mercedem habebitis? Nonne & Publicani hoc faciunt?* Eiſdem deinde prædicit, ac certos eos facit, quòd propter traditionem ſuæ doctrinæ, aſſertionem Euangelij, ſuique nominis euulgationem à toto mundo odio eſſent habendi, his verbis. *Et eritis odio omnibus hominibus propter nomen meum*. Qua verborum formula nos inſtruit, quo modo à nobis deſiderandum ſit, vt amemur ab alijs, & qualiter, ſi nobis cordi habere velimus fidele Euangelicæ veritatis miniſterium. & Ieſu Chriſti Vicariatum, odio frequentiùs ſimus habendi, ac perſecutiones paſſuri, loco, quòd eſſemus amandi. *Matt. 5. v. 46* *Matth. 10. v. 22.*

Vna ex rebus, ad quam mortales naturæ ductu multùm propendent, & ferme non exigua poſt ſe damna trahit, eſt appetentia, qua de loquimur, niſi charitate bene ordinata (vt conuenit) moderetur. Et, quoniam par eſt, Prælatum à ſubditis ſuſpici, & amari, idcircò ex muneris ratione tenetur taliter eiuſmodi deſiderio ſcire imperare, vt modum à prudentia præſcriptum teneat, & ad nullum declinet extremum, aut abuſum, quem amor proprius in hac parte, plerumque intermiſcere ſolet.

Vt itaque hac in re fiat, quod decet, & æquum eſt, ac damna, quæ ex huiuſmodi ordinis inuerſione emergere ſolent, euitentur, ſequendum eſt Prælato conſilium, quod à Doctore Angelico hac ſuper appetentia his traditur verbis. *Dicendum, quod ad perfectionem hominis pertinet, quòd ipſe cognoſcat, ſed, quod ipſe ab alijs cognoſcatur, non pertinet ad eius perfectionem, & ideo non eſt per ſe appetendum. Poteſt tamen appeti, in quantum eſt vtile ad aliquid, vel ad hoc, quod homines proficiant ex bono, quod in alio cognoſcunt, vel ex hoc, quod ipſe homo ex bonis, quæ in ſe cognoſcit per teſtimonium laudis alienæ, ſtudeat in eis perſeuerare, & ad meliora proficere, & ſecundum hoc laudabile eſt, quòd curam habeat aliquis de bono nomine, & quòd prouideat bona coram Deo, & hominibus, non tamen, quod in hominum laude inaniter delectetur.* Cognitio itaque (idem de amore intellige) confert perfectionem *D. Tho. 2. 2. q. 132. art. 1. ad 3.*

Digitized by Google

homini hos facienti actus, quando autem quiſpiam cognoſci, & amari deſiderat, & in hoc non vltra procedens, ſe firmat, tum talis operandi modus nullam tribuit perfectionem, quia talis appetendi actus eſt vanus, & vitioſus, dum nec proximè nec remotè vel ad Dei gloriam, vel ad proximi vtilitatem, aut ad maiorem ſui ipſius in bono, vel virtutis exercitio confirmationem, & ſtabilimentum ab operante refertur. Qua autem quis ratione in hoc ſatis obnoxio errori negotio ſe gerere debeat, præter Sanctum Thomam iam auditum imbuit nos etiam Gregorius Magnus, dum ſic inquit; *Debet ergo, qui præeſt, & ſtudere ſe diligi, quatenus poſſit audiri, & tamen amorem ſuum pro ſeipſo non quærere, ac inueniatur ei, cui ſeruire per officium cernitur, occulta cogitationis tyrannide reſultare. Quod bene Paulus inſinuat, cum ſui nobis ſtudij occulta manifeſtat, dicens. Sicut & ego per omnia placeo omnibus, qui tamen rurſus dicit: Ego, ſi adhuc hominibus placerem, Chriſti ſeruus non eſſem. Placet ergo Paulus, & non placet, quia in eo, quod placere appetit, non ſe, ſed per ſe hominibus placere veritatem quærit.*

S. Greg. par. 2 paſt. cap. 8. in fine.

Studendum itaque Prælato eſt, vt ametur à ſubditis quatenus per hoc libentiùs eius amplectantur doctrinam, lubentioreque animo eius iuſtis obtemperent, cauendum tamen ſedulò ipſi eſt, ne propter ſe velit amari, & hac in re fidelem ſe probare oportet Dei Miniſtrum, amoremque, qui priuatè ſoli Deo debetur, pro ſua perſona vſurpare nolentem, prout Doctor gentium ſe geſſit, qui quidem omnibus placere ſatagebat, hoc tamen non obſtante, in alio profitebatur loco, quod, ſi homnibus placere quæreret, Chriſti ſeruus non eſſet, quibus verbis voluit nobis perſpectum ſuum, quod habebat placendi hominibus, deſiderium non eò collimaſſe, & ſpectaſſe, vt propter ſemetipſum amaretur, & aliorum obſequijs demereretur, ſed, vt libentiore animo ſuſciperent & agnoſcerent veritatem, quam ipſis annunciabat, ſaluis perfectò amore, & gloria, debitis ſuo Diuino Magiſtro, ac Domino.

§. X.

Digitized by Google

§. & Conſilium XII.

Dedecet Prælatum onerare ſubditos, vt ſe deoneret, vel excuſet: hoc quippe ſi fieret, eſſet contrauenire legibus charitatis.

CVm reciproca, quæ Prælatum inter, & ſubditos conuenit, intercedat, operæ collatio, mutuuſque reſponſus, ſit res ſatis ſtrictè, & nullo quaſi non tempore obligans, multumque læſioni obnoxia, idcircò incumbit Prælato in ratione regendi ita ſe gerere, ne quid committat, quod charitatem in aliquo poſſit offendere, ad quam multa deſiderantur, vt in ſua conſeruetur integritate, atque perfectione, provt Sanctorum effatum eſt, & ipſo comprobatur experimento. Vnde vt ea, quæ de charitate, & ordinato inter Prælatos, & Subditos amore diximus, magis firmemus, atque ſtabiliamus, videtur operæ pretium, imò neceſſarium eſſe, mentionem hoc loco facere cuiuſdam impedimenti, & damni virtute plura inuoluentis, quod ferme in ruinam exercitij tantæ virtutis vertit, niſi præcipuo ſtudio tanto anteuertatur malo. Vnde Prælato, charitatem, & amorem erga Subditos eo, provt par eſt, modo exercere cupienti in eam curam ſolito intentiùs incumbendum eſt, ne vmquam in Subditos culpam reijciat, vt per hoc ſui excuſationem obtendat, ſed potiùs (ſi id infra dignitatem ſuam non ſit, nec in ſcandalum alicuius redundet) iuri ſuo nonnunquam cedere diſcat, vt hac ratione Apoſtoli impleat conſilium, ita dicentis: *Debemus autem nos firmiores imbecillitates infirmorum ſuſtinere.* Fortium (quales decet eſſe Prælatos) partes ſunt, infirmitates eneruium, atque fragilium æquo animo tolerare. In quo autem conſiſtat hæc tolerantia, explicat Diuus Thomas, dum inquit: *Suſtinent firmiores imbecillitates infirmorum, dum eorum defectus patienter ferunt, & pro poſſe ſubleuare nituntur.* Tum dicit, perferunt robore validi debilitates fragilium, ſi moderato animo, & ſine ſtomacho eorum ferant defectus, ipſoſque potiùs omnibus modis excuſare, & eleuare laborent, quàm intendere. Certò itaque Prælatus perſuaſum ſibi habeat, in rem expediens prorſus non

Rom. 15.

D. Tho. ibid.

eſſe,

Digitized by Google

eſſe, quod coram alijs verba faciat, & conqueratur de ſubditorum ſuorum defectibus, multò verò minùs, quòd ipſos exagerando accumulet, & ſua grandiloquentia augeat vltra verum, aut animi moleſtiam, quam concipit inde, alijs denudet, vel quæcumque id genus alia minùs forſan decentia. Sed curet potiùs ſubditos (multa ſilentio tranſmittendo) placare, vnanimes reddere, atque mutua conſeruare in pace, alioquin, ſi aliam agendi inſiſteret viam, eſſet contra omnem charitatis, & prudentiæ agere rationem. In dicti mei teſtem Diuum Auguſtinum ita loquentem produco. *Nihil ſic probat ſpiritualem virum, quàm peccati alieni tractatio, cum liberationem eius potiùs, quàm inſultationem, potiuſque auxilia, quàm conuitia meditatur, & quantum facultas tribuitur, ſuſcipit.* Non poteſt dari certius ſpiritualis viri indicium, quàm quando ſermo incidit de aliorum loquendi defectibus, ipſe eos non exageret, ſed potiùs pro poſſe excuſet, ac omnem in eo operam ponat, qua ratione dignum poſſit admouere remedium, & abſque murmure ijs opitulari, qui tales commiſere defectus. Qui ſuos tractandi modus ita conueniens eſt Sacro Rectori, vt gloriæ ſibi ducere debeat, atque inde exhilarari, ſi ſubditi ſui, boni gaudeant nominis exiſtimatione, & ob id magnifiant àb alijs: de contrario verò triſtitia affici, & indolere. Prout Gregorius Magnus his ſe feciſſe teſtatur verbis. *Nec honorem eſſe deputo, in quo Fratres meos honorem ſuum perdere cognoſco.* Illud decorum mihi non cenſeo, quod imminutum, & perditum it honorem fratrum meorum.

D. Aug. to. 4. ſup. Epiſt. ad Galat. ad fin.

S. Greg. to. 4. lib. 7. Regiſtri ep. 30. ad fin.

Ad terminandum hoc clauſula conſilium, atque ad dignam erga ſubditos ſeruandam æqualitatem, notandum eſt, à Prælato omne proprium mentis excelſitate deſpicatui habendum compendium, & à ſe longè faciendam, quam gloriæ cumque inanitatem, vt huius rei magnus eſt teſtis, Gregorius Magnus, dum inquit: *Amor proprius cùm Rectoris mentem cœperit, aliquando hanc inordinatè ad mollitiem, aliquando verò ad aſperitatem rapit. Ex amore etenim ſuo mens Rectoris in mollitiem vertitur: quia cùm peccantes ſubditos reſpicit, ne erga ſe eorum dilectio torpeat, corripere non præſumit, nonnumquam verò errata ſubditorum, quæ increpare debuerat, adulatione demulcet.* Si amor proprius Prælati, mentem ſemel inuadat, atque poſſideat, tum modo adducit, & pertrahit ipſum ad nimiam indulgentiam, atque facilitatem qua culpæ reos, & ſontes eo fine excuſat, atque ignoſcit, vt miſe-

D. Greg. p. 2. paſt. cap. 8. in princ.

Digitized by Google

miſerationi addictus habeatur ab alijs. Nonnunquam verò ad nimium ipſum inducit rigorem, quo eum, quem corripit, grauat vltra modum, ac rationis præſcriptum, vt zelo conſpicuus, rectique cultor ab alijs arbitretur, prout vnum, vel alterum ad eius proprium magis conducit, & facit emolumentum. Magis autem clementem ſe exhibet, nec audet reprehendere eos, id vetante, quem habet, timore, ne minùs vel ab eis ametur, vel ſibi aduerſentur, & contradicant. Pergit deinde porrò citatus Doctor, & de eodem his verbis loquitur argumento. *Nam quos nihil contra ſe valere conſpiciunt (Rectores intellige ſeipſos amantes) hos nimirum aſperitate rigidæ ſemper inuectionis premunt, nunquam clementer admonent, ſed paſtoralis manſuetudinis obliti, iure dominationis terrent.* Qui ſunt amatores ſui, Rectores perquam rigidè habent eos, quos iudicant ſufficiente defectos animo ſibi aduerſandi, ac ſeſe apponendi, onera proinde, quibus ſe leuant, humeris ſubditorum imponunt, nec tanta virtutis, ac ſubditorum profectus habita ratione, quanta temporalium rerum, ad proprium attendunt ſolummodo commodum, parùm, aut omnino nihil curantes, quòd hoc agendi modo ſuos ſubditos grauent, premant, & ſupprimant. Quàm autem hoc ſit æquum, iudicet ille, in quo rationis Sol non omnis luminis paſſus eſt eclypſim.

Infra.

DIS-

DISCVRSVS SEPTIMVS.

In hoc, & ijs, qui poſt ſequuntur, Diſcurſibus, agitur de virtutibus Cardinalibus, & condocetur, qualiter earum opera in ratione regendi ſit vtendum. Sumitur proinde principium à virtute iuſtitiæ, qua de dum quæſtio mouetur, quidnam illud propriè ſit, ratione cuius Superiores erga ſuos ſubditos potiſſimùm, & ſpecialiſſimè obſtringantur, aliud non eſſe demum concluditur, niſi ipſis notificare, & exponere leges, earumque obligationes peculiares, talique eos doctrina paſcere, quæ ipſis vſui eſſe poſſit, ad eas, prout par eſt, obſeruandas, & implendas.

§. & Conſilium I.

Quàm multùm neceſſariæ ſint Prælatis virtutes Cardinales.

DE Virtutibus Theologicis directè, & proximè reſpicientibus Deum (à quo per eas vis, atque facultas confertur Superioribus, ea, quæ ſibi ſunt collata diuinitus etiam in ſubditos transfundendi) ſuprà iam egimus, modo verò Cardinales calamo perſequi eſt animus; & quia Rectorum muneris eſt, ſpeculi vice fungi, in quo ſubditi videre poſſint, quæ ſibi virtutes vel adſint, vel deſint, idcircò poſt virtutes Theologicas ſuaſum volumus

Præla-

Digitized by Google

Prælatis, in eam potiſſimùm incumbant curam, vt in virtutũ etiam Cardinalium cognitione, & exercitio ſtudeant excellentes euadere, ex quarum norma, atque præſcripto rectè in ſeipſis compoſiti, atque exculti, valeant verbo, atque exemplo illorum ſubditos bonorum participare effectum, quos dono Dei, harumque virtutum vſu ſibi fuerint conſecuti. Ad hoc dignè ab ipſis præſtandum egregiè in rem eſt illud conſilium, quo omnibus alicui regimini admotis, & ad clauum ſedentibus conſulit Spiritus Sanctus, vt toto ex corde ament Diuinæ Sapientiæ lumen, & inſtitutionis eiuſdem regulas, atque præcepta, à quorum ſequela omnis recti gubernij pendet ſucceſſus, verba autem Diuini Spiritus conſulentis ſunt talia. *Diligite lumen Sapientiæ, qui præeſtis populis*. Dati deinde à ſe conſilij ſubnexa ratio his conſtat ex voculis. *Sobrietatem enim, & prudentia docet, & iuſtitiam, & virtutem, quibus vtilius nihil eſt in vita hominibus*. Lectio itaque, quam Magiſtra Sapientiæ Diuinæ in dignitate poſitis facit, ex quatuor coaleſcit virtutum articulis, quorum primus temperantiam, alter prudentiam, ſequens iuſtitiam, nouiſſimus fortitudinem docet, quæ res tanto momento, & vſui ſunt, vt ijs nihil vtilius in hac vita doceri poſſent mortales, ij maximè, qui alijs regendis ſunt impoſiti, atque perfecti. Omnes quippe aliæ virtutes morales per has quatuor Cardinales, veluti portæ per cardines vertuntur, atque mouentur, & abſque earum opera (vt Doctor melliſluus docet) morales conſeruari, & exerceri fructuosè non poſſunt, vt ex his eiuſdem verbis fit palam. *Hæ ſunt præcedentium virtutum moderatrices, ſine quibus cæteræ nec honeſtè haberi, nec perſeueranter poſſunt ſeruari. Facit enim Sobrietas, quæ alio nomine Temperantia dicitur, ne ſit ipſarum virtutum immoderata progreſſio. Prudentia, ne ſit earum indiſtincta confuſio. Iuſtitia, ne ſit virtutum vſus immoderatus. Virtus, quæ fortitudo dicitur, vt perſeueranter earum teneatur affectus*. Ex mente itaque Doctoris Melliflui hæc officia his tam nobilibus virtutibus aſſignantur. Temperantiæ munus eſt, immodicæ properantiæ frænum inijcere. Prudentiæ, moralium actiones, ne ſit confuſio inter eas, in ordinem redigere. Iuſtitiæ præſcribere modum, quo aliæ exercendæ ſunt virtutes. Animi fortitudinis eſt, conferre perſeuerantiæ robur, ne in exercitio virtutum mens difficultatibus cedens earum cadat ſub onere. Ex his paucis, mi Apſelate Prælate, ſi ſapis: quia ſapienti pauca, tibi colligere licet, quantum opus

Sap. 6. n. 23.

Sap. 8. v. 7.

S. Bern. hom. infra oct. Epiphan. in med.

Digitized by Google

habeas, his ad bene regendum virtutibus. Porrò itaque pergimus ad ſecundum conſilium, quod de iuſtitia erit.

§. & Conſilium II.

Vnicè, & ex animo amanda eſt Prælato iuſtitia potiſſimùm Legalis.

MEdiolani, Vrbis apud Inſubres florentiſſimæ, olim Præſul, & ambroſiæ facundiæ Doctor, ab examine apum, quod in ore eius conſediſſe fertur, iure dictus Ambroſius, in diuerſis ſuorum operum locis de iuſtitia, graui, & culto ſtylo agit, cuius vt æſtimationem, atque amorem mentibus omnium præſertim Prælatorum imprimat, fuſis ſplendorem eius, atque præſtantiam, ita extollit laudibus, vt ipſam inter virtutes morales Principe locet loco, quod, vt cumulatiùs peragat, comparat eam quarto fluuio Paradiſi, Euphrati nomine, qui latinè redditus, vbertatem, & fructuum denotat affluentiam; ad ſuam autem exprimendam collationem, quam facit, hanc vſurpat verborum formam. *Quartus eſt fluuius Euphrates, qui latinè fæcunditas, atque abundantia fructuum nuncupatur, præſeferens quoddam inſigne iuſtitiæ, quæ omnem paſcit animam: nulla enim virtutum lætiores videtur habere fructus, quàm æquitas, atque iuſtitia, quæ magis alijs, quàm ſibi prodeſt, & vtilitates ſuas negligit, communia emolumenta præponens. Plerique Euphratem dictum putant à lætando, eò quod hominum genus nullo magis, quàm iuſtitia, & æquitate lætetur.* Iuſtitia omnia bona in animam introducens adumbratur Euphrate: nulla etenim vſquam eſt virtus, quæ plures, atque iucundiores, quàm ipſa producat fructus, ſi æquitatis moderetur præſcripto. Ipſa facit, vt poſſidens eam plus aliorum, quàm ſui ipſius habeat rationem, & eo quidem fine, vt vnicuique detur, quod iure debetur ipſi. Præterea anteponit bonum commune cuicunque priuato, cùm bonum particulare exinde dependeat. Idem deinde diſertiſſimus Præſul, dum paulò infra hæc citat à Chriſto Ioanni dicta verba: *Sic enim decet nos implere omnem iuſtitiam.* Alio pulchro exornat eandem virtutem encomio, quo vocat eam genitricem virtutum omnium. Hæc autem laus eius his conſtat verbis; *Sic enim decet nos implere omnem iuſtitiam, quæ quædam parens cæterarum eſt fæcun-*

S. Ambr. to. 1. lib. de Paradiſ. c. 3.

Ambroſ. vbi ſupra.

Digitized by Google

fœcunda virtutum. Porrò ſi citata ſuperiùs eiuſdem verba penitiùs introſpicere, & examinare velimus, deprehendemus, per ea à Sacro Doctore quamcunque comprehendi iuſtitiam, maximè verò commutatiuam, & diſtributiuam, cuius (teſte Diuo Thoma) officium eſt, omni, quo fieri poteſt, modo, ius ſuum vnicuique tribuere. Hac de cauſa, poſtquam egerat de iuſtitia in communi, mox alio articulo incipit agere de iuſtitia legali, cuius munus eſt, totum referre ad bonum commune, & hoc antehabere omni bono particulari. Enixè itaque curet Prælatus in agrum cordis ſui magnam æſtimationem, amoremque iuſtitiæ inſerere, vt hoc facto impleat conſilium Sapientis ita dicentis. *Diligite iuſtitiam, qui iudicatis terram*. Cordi ſit vobis virtus iuſtitiæ. O iudices terræ, nec hoc contenti, etiam perfectè, & prudente quadam cum æquitate exercete,& adminiſtrate eam, ita, vt (ſi ratio poſtulet) parati etiam ſitis ad vitam ponendam, vt præſtetis eam integram, & ab omni corruptione intactam, atque immunem. Quod, ſi feceritis, ſecuri (ſponſionem faciente Eccleſiaſtico) eſſe poteritis de fauore diuino, quo ſemel habito, cuncta veſtra negotia in quibuſcunque difficultatibus è ſententia ſunt fluxura. Confidite ergo verbis in veſtrũ ſolatium ita ſonantibus. *Pro iuſtitia agonizare pro anima tua,& vſq; ad mortem certa pro iuſtitia,& Deus expugnabit pro te inimicos tuos*. Satis tamen habere non debet Prælatus,ſi vnam duntaxat inſigniter colat iuſtitiæ partem,ſed oportet eum cunctis prẹſtare,ac debitè exequi:hoc enim eſt,quod perfectos reddit Prælatos, vti hoc, & in ſecuturis dicemus diſcurſibus, vbi hoc ſuper argumentum paulò enucleatiùs verba faciemus. Gregorius Magnus,Theodorico,& Theoberto Franciæ Regibus ſcribens,paucis in verbis omnes comprehendit iuſtitiæ partes,quæ ſunt legalis, commutatiua,vindicatiua, & diſtributiua, ſuam proinde epiſtolam, his inchoat verbis. *Summum in Regibus bonum eſt, iuſtitiam colere, ac ſua cuique iura ſeruare, & ſubiectis non ſinere, quod poteſtatis eſt, fieri, ſed quod æquum eſt, cuſtodire*. Præſtantiſſimum in Regibus, & alijs dignitatem aliquam obtinentibus bonum eſt, ſi magna in veneratione, & pretio iuſtitiam habentes, eam adminiſtrent fideliter, & vnicuique ius ſuum tribuentes, ſingularem rationem habeant, & vnicè in id intendant, quod iura, & leges commune bonum concernentes requirunt, nullaque ratione ſuis permittant ſubditis, vt poteſtatem alterius occupantes, ſe in ijs, quæ nihil ad ipſos,

D. Th. 22. q. 58. art. 11. & q. 66. art. 3. & 5. q. 101. art. 3.

Sap. 1.

Eccli. 4. v. 33.

S. Greg. to. 4. lib. 7. Regiſt. ep. 122. in princip.

immiſceant, ſed oportet ipſos, ſiquid tale tentarent, pro imperio in obſequio continere, ac infrœnare, vt quilibet id opere præſtet, & exequatur, quod ſuæ communitati, vt pars toti, Prælato, vel Capiti, Fratribus ſuis, vt membris debet, quibuſcum vnitus vnum totum, & corpus myſticum ſui ſtatus componit. Hæc itaque ſingula à Prælatis, & quibuſcunque Rectoribus præcipuo ſtudio, ac diligentia ſunt executioni mandanda, vt illi (quam iuſtitia legalis inducit) ſuæ ſpeciali ſatisfaciant obligationi. Bene ergo inquit Doctor Angelicus, quod iuſtitia, legalis præcipuè in Superioribus, atque Prælatis, tanquam aliorum Magiſtris, & quidem eminenti, & præcellenti modo reſideat, in ſubditis verò, & in executoribus iuſſorum à Superioribus iniunctorum. Suam verò hac in re mentem his

D. Th. 22. qu. 58. art. 6. in corp.

proprijs nobis vult notam verbis. *Secundum quod iuſtitia legalis reſpicit bonum commune, vt proprium obiectum, eſt in Principe principaliter, & quaſi architectonicè, in ſubditis autem ſecundariè, & quaſi adminiſtratiuè*. Addit deinde hanc iuſtitiæ partem primatum tenere inter virtutes morales, iiſque perinde ſuperſtare, ac bonum commune bono particulari. Do propria hoc verba dicentis.

Art. 12. in corp.

Iuſtitia legalis manifeſtum eſt, quod ipſa eſt præclarior inter omnes virtutes morales, in quantum bonum commune præeminet bono ſingulari.

§. & Conſilium. III.

In eam curam non ſegniter incumbat Prælatus, & in modo regendi ita ſe gerat, vt ſubditi animaduertere valeant, ab ipſo multùm amari, & magno in pretio veritatem haberi, per quam omnes iuſtitiæ partes ſibi mutuò operam præſtant.

STricto vinculo obligatur Superior, vt ſit verax; & ab omni infidelitatis ſpecie longè factus in verbis ſuis, quia cum referat perſonam, & fungatur (prout reuera fungitur) munere Vicarij Dei, qui ipſa eſt veritas, haud dubiè incumbit ei, veritatem amare, omnemque falſitatem ipſi aduerſariam summope-

Digitized by Google

mopere auerſari, & odio proſequi. Etenim in antiqua iam lege voluit Deus, vt cuncti ad dignitates eucti, ſingulares veritatis amatores exiſterent, hac de cauſa iniunxit Moyſi, vt Sacerdos (qui alijs Præfectos refert) in ſuo rationali, ſi coram ſe ingrederetur, hæc verba: *Doctrina, & veritas*. Super ſuum pectus inſcripta geſtaret. *Pones in rationali iudicij doctrinam, & veritatem, quæ erunt in pectore Aaron, quando ingredietur coram Domino*. Qua iuſſione Deus iudicare volebat, quòd, ſicut doctrina, & veritas erant characteribus deforis formatæ in Sacerdotis pectore, ita abintus deberent eſſe ſcriptæ indelebiliter in corde. Haud verbis aſſequi, & in medio ponere quis facilè poſſit, quantum fidei, atque auctoritatis hæc præclara virtus Prælato conciliet, ad ei credendum, moremque gerendum à ſubditis. E contra verò quantum afferat damni vnicum verbum minùs veritatis conforme à Superiore prolatum. Quamobrem vates caput redimitus corona, dum ſemel futurum præmeditabatur humanæ ſalutis ſatorem (qui foret Caput, & norma Rectorum omnium) eiuſque verſabat animo virtutes, quibus ſuo tempore ita reſplendere debebat, vt earum efficacia eſſet rapturus corda mortalium, ſuam eis perſuaſurus doctrinam, & obedientiæ ſuæ (toto ſtupente mundo) ſubditurus iugo. Dum inquam, ſatus vates has tantæ virtutes efficaciæ ſecum animo reputabat, vt earum quamlibet pro modo neceſſitatis, & præcellentiæ, ordine debito collocaret, Principem locum veritatati attribuit tanquam radici iuſtitiæ, indiuiduæ comitis ſuæ, quas propterea ſimul, ita vaticinatus coniunxit. *Propter veritatem, & manſuetudinem, & iuſtitiam deducet te mirabiliter dextera tua*. Si itaque Prælatus in ſuo velit regimine proſperè deduci, & hortum animarum ſubditorum ſuorum taliter operari, vt eas ſemper ad meliora promoueat, imitetur in modo regendi, humani generis moderatorem, & cordi ſibi maximè habeat veritatis virtutem, quam idem Diuinus Magiſter tanti fecerat, vt Ioanni ſit faſſus, ſe ideo veniſſe in mundum, vt fidem, & auctoritatem aſtrueret veritati, vtì hæc eius verba declarant. *Ego in hoc natus ſum, & ad hoc veni in Mundum, vt teſtimonium perhibeam veritati*. Quapropter omne verbum à Prælato longè eſt faciendum, quod non præſefert ſpeciem veritatis, vt ſalubriter conſulunt hæc verba Sapientis: *Non decet Principem labium mentiens*. Maximopere Principem, & Rectorem dedecet os proferens falſum, cuius cauſa fit, vt talis Superior omnem

Exod. 28. v. 30.

Pſ. 44.

Ioa. 18. v. 37.

Prou. 17. v. 7.

Digitized by Google

omnem perdat auctoritatem, & fidem, quaſi ſi ſemel, (quod Deus auertat) amiſerit, omnino conſectarium eſt, magnam inde in Republica, vel alia Communitate, quæ Regitur, exciri rerum confuſionem, & interturbationem. Si namque ſubditi ſemel aduerterint hunc in Prælato defectum; qui longo tempore celari, & clam haberi haud poteſt, nullam ipſi habebunt fidem, nec vllam in eo audebunt collocare fiduciam, præſertim ſi ſint perſonæ multùm deditæ rebus Sacris, internoque tractui non parùm addictæ, quas inter frequens, & ſincera ad inuicem communicatio eſt ſummopere neceſſaria. Indubitatum ſiquidem eſt, neminem vnquam crediturum viro bilingui, & duplici corde. Vbi namque gentium quis reperietur, qui ſine ſuſpectione conſilia capeſſiturus ſit à Superiore taliter conſtituto? Quis eſt tantum animi habens, qui auſurus ſit conſcientiæ ſuæ plagas, & inualitudines animi, ac intimos cordis ſui receſſus, & ſinus tali Superiori pandere, & aperire? Quocirca malum inde exiſtens eſt, quod ſubditi certa animi inductione perſuaſi, Superiorem ad hoc vitium facilem, & procliuem eſſe, anſam inde arripiant agendi cum eo non fide ſincera, ſed ſimulatione condicta, quo agendi modo effectu impromptum eſt, vt regimen bonum poſſit ſortiri ſucceſſum: quia fidelis, & ſincera conſenſio, atque reſponſus, qui in veritate fundatur, & ab ea conſeruatur, atque perficitur, Caput, & membra deſtituunt. Vnde plerumque, & ferè ſemper, qui facilè mentitur, libenter præbet aures, & habet fidem mendacijs, vti teſtis eſt Sapiens à Pagnino ſic verſus. *Princeps, qui libenter audit verba mendacij, omnes miniſtros habet impios.* Princeps, aut alius quicunque alicuius rotam vertens regiminis, qui in more habet falſa, & doloſa proferre verba, aut ijs habere fidem, adminiſtros, quorum miniſterio vtitur, omnes habet improbitate infectos. Malo enim exemplo, quod alijs hoc agendi modo præbet, cauſa eſt, vt in vna ex præcipuis boni ordinis partibus delinquant, quæ non eſt alia, quam veritas, atque fidelitas indiuidua illius comes.

Prou. 29. v. 12.

Ab Angelico Magiſtro inſtruimur, nomine veritatis quandoque honorari iuſtitiam ratione vicinitatis, & opis mutuæ, quam ſibi inuicem præſtant. Licet autem iuſtitia in voluntate reſideat, veritas verò in intellectu, nomen tamen iſtius eo ex capite alteri tribuitur, quia veritas rectum rationis imprimit voluntati ad dignè exercendam iuſtitiam. Doctrina autem

Magi-

Digitized by Google

Magiſtri Angelici hac ſuper re his ex verbis componitur. *Ad primum dicendum, quòd, quia voluntas eſt appetitus rationalis, ideo rectitudo rationis, quæ veritas dicitur, voluntati impreſſa propter propinquitatem ad rationem, nomen retinet veritatis, & inde eſt, quod quandoque iuſtitia veritas vocatur.* Superuacaneum videtur hic agere, de diuerſis generibus veritatum: hoc enim facere non eſt huius loci, ſatis proinde eſſe noſſe, iuſtitiam, & veritatem inſeparabiles comites eſſe, & idcircò neceſſum eſſe, vt tam iuſtitia ipſa, quàm adminiſtrantes eam, omni, vt dignum eſt, vtantur ſpecie veritatis. *D. Th. 22. q. 58. art. 4.*

§. & Conſilium IV.

De perfecto modo, quo obſeruandæ ſunt leges, & iuſta earum admittenda interpretatione, vel Epicheia.

IVgiter Prælato ſunt proprij inſtituti leges præ oculis habendæ, vt eas tam ipſe obſeruet, quàm obſeruari curet à ſubditis ſuis. Omnes idcircò ineat rationes, omneſque ſenſus, & vires in id intendat, quod conficientius eſſe poteſt pro earum impletione. Quidquid autem eſt, quod proprijs aduerſari legibus poteſt, in aditu prohibeat, nulloque modo admittat, vel indulgeat, tametſi res foret talis conditionis, quæ ab alijs inſtitutis haberetur pro bona. Hoc ſi modo ſe gerat, pro indubitato ſimbolo, & teſſera habeat, quo dignoſcat, Deum à ſe toto corde amari, ſeque fidelem eius miniſtrum exiſtere, vti ex verbis Eccleſiaſtici colligi poſſe videtur, quibus ſic loquitur. *Qui diligunt Deum, replebuntur lege ipſius.* *Eccl. 2. v. 19.* Veri amatores Dei erunt referti lege eius. Quibus verbis docemur, quòd ſicut vas certo aliquo liquore oppletum, alium quantulumcunque non recipit, pari Ratione Deum vero proſequentes amore taliter de legibus, à Deo ad manifeſtandam ſuam voluntatem pro eorum ſtatu Sancitis explentur, & dulciter ſaturantur, vt totum, quod ipſis opponitur, ſit tam modicum, ac eſſe poſſit, in eorum intellectu, & voluntate nullum omnino ſibi vendicet locum. Cauet autem Prælatus, ne in illo verſetur errore, vt ſatis eſſe exiſtimet, ſi leges in ſuo corde altas radices egerint: quia præter hoc ipſi curandum

eſt,

Digitized by Google

eſt, vt eas verbo, & exemplo inſerat etiam in agrum cordis ſubditorum ſuorum, & poſtquam inſeruerit, ſupplex indeſinenter inſtet apud Deum, vt eas conſeruare dignetur in illis, vti per Ieremiam Prophetam ſe facturum promiſit his verbis, *Dabo legem meam in viſceribus eorum, & in corde eorum ſcribam eam*. Incidam legem meam in intimis partibus eorum, cordibuſque eorundem inſcribam. Hipponenſis Eccleſiæ Præſul hoc ſuper textu hæc litteris commiſſa nobis reliquit. *Vnde ſignificauit eos forinſecus terrentem legem formidaturos, ſed intrinſecùs habitantem ipſam legis iuſtitiam dilecturos*. Deus ter optimus maximus hanc facit gratiam ſuis, vt legem diligant tanquam rem propriam ſibi, atque domeſticam, quo fit, vt ab ea tanquam re inuiſa, inſolita, & peregrina non terreantur, quin potiùs, quæ continentur in ea, magno proſequantur amore iuſtitiam, veluti rem inter proprias recenſendam. Quemadmodum enim iuſtitiæ, vel Sacræ inquiſitionis Miniſtri, dum propriam ingrediuntur domum, gratum id habent filij eorum, alienas verò ingredientes Domos, terrent incolas earum, timoremque incutiunt. Pari modo proprij leges inſtituti animi voluptate afficiunt, & erigunt cor illorum, qui amore, & obſeruantia eas tanquam proprias ſibi fecere. E contra verò formidinem, atque terrorem ijs inijciunt, qui eas non amant, ſed horrent, vel apprehendunt, vt graues, atque moleſtas. Loco regulæ metricæ Prælato vſurpandæ ſunt leges, qua proprius, & ſuæ curæ commiſſorum eſt metiendus profectus, qua adhibita dignoſcere, & diſpicere poterit, ſi vtrorumque perfectio ſit imminuta in aliquo, vel adaucta. In rem etiam noſtram eſt illud Spiritus Sancti apud ſapientem effatum, quo ſuas leges, atque præcepta lucernas, & faces nuncupare his voluit verbis: *Quia mandatum lucerna eſt, & lex lux*. Sicut enim in Domo, in qua non eſt lux, cerni non poteſt, quid adſit, vel abſit in Domo. Ita in comunitate, ſi Prælatus non identidem ante ſe ferat leges, aduerti non poterit, vtrum ſubditi procedant, vel retrocedant in via perfectionis, & obſeruantiæ. Inſtituti namque proprij leges per æquitatem, atque iuſtitiam executioni mandatæ ſunt indices, qui hoc dignoſcendum oſtendunt. Vnde non abs re appellauit Eccleſiaſticus obligationes iuſtitiæ, faces veritate illuminatas. *Iuſtitias quaſi lumen accendunt*. Modum denique declarandi, & rectè intelligendi leges, quod attinet, non ita ratiocinari apud ſe debet

Hierem. 31. v. 33.

S. Aug. tom. 3. lib. de ſpiritu & littera c. 21.

Prouer. 6. v. 23.

Eccli. 32. v. 20.

Præ-

Digitized by Google

Prælatus. Hic, vel ille hoc fecit, aut omiſit Prælatus, ergo & mihi conceſſum eſt idem facere, vel omittere: quia in moralibus ab actu ad potentiam, non eſt bona hæc argumentatio, factum eſt, ergo fieri poteſt; potuit enim eſſe, quod alter id faciendo errauerit, & illicitè egerit, adeòque nullo modo ſit imitandus. Hac itaque in materia, & magni momenti negotio debet Prælatus ſolerter ad id attendere, & videre, quid tam Generalia, quam Prouincialia Capitula declarauerint, quid magis integri viri, & primi ordinis ad praxim reduxerint, quidue magis conforme ſit fini à Religione præfixo? Magno itaque diſpectu, quem in grauibus, quæ occurrunt, occaſionibus iuſtitia poſtulat, vtendum eſt, ne vllus in maiore, dum aduerſatur legi inferiori, obligatione, contingat defectus, quo in caſu maior obligatio eſt anteponenda minori, quod ſi fiat, licèt quis operetur contra verba legis inferioris, non tamen contra mentem Legislatoris, vt auctor eſt Doctor Angelicus. *D. Tom. 22. quæſt. 120. art. 1.*

§. & Conſilium V.

Prælato ex muneris Ratione incumbit ſuos ea docere ſubditos, quæ vi ſui ſtatus ſcire tenentur.

QVam primùm Deus dederat populo ſuo legem, ipſi etiam confeſtim Sacerdotes prouidit, qui curam gererent honoris ſui Diuini, & Magiſtrorum, reſpectu aliorum fungerentur officio, eoſque ſuam docerent legem, in quem finem iniunxit Moyſi, veſtes myſticas fieri curaret, quibus ſummus vteretur Sacerdos; inter cætera verò Sacerdotalia ornamenta, eius etiam voluntas fuit, pectorale conficeretur (de quo iam ſupra) cui indidit nomen rationale iudicij, & his inſriptum voluit verbis. *Pones autem in rationali iudicij doctrinam, & veritatem, quæ erunt in pectore Aaron, quando ingredietur coram Domino.* Quo ritu Deus docere volebat, mox facta duo à Sacerdote neceſſariò eſſe gerenda in pectore: ſi etenim partes ipſius ſint, (vtì reuera ſunt) docere alios, qua ratione id exequi poterit, niſi veritatis, & Sapientiæ cœleſtis theſauro ſit abundè prouiſus, non duntaxat pro ſemetipſo, ſed vt eum etiam alijs inter- *Exodi 20. v. 3.*

Q uentu

uentu inſtitutionis diſpenſet: hac enim de cauſa conſtituit eum Dominus tam nobilis Theſauri depoſitorem. Et tales animarum curatores promiſit Deus ſe daturum populo ſuo, cùm dixit. *Dabo vobis Paſtores iuxta cor meum, qui paſcant vos ſcientia, & Doctrina*. Proſpiciciam vobis Paſtores, & Magiſtros tales, qui ſint ad votum meum, ſeque gerent ex præſcripto arbitrij & voluntatis meæ, vt vos paſtu ſapientiæ, & eruditionis alant, atque reficiant, vt autem hic fauor, eorumque, quos pro hoc aſſumpturus erat miniſterio, obligatio magis ipſis pateſceret, Aaroni, & in ipſo omnibus edixit Sacerdotibus, ſe ipſos eo fine eligere, vt inclarerent ſcientia, qua noſſent ſacrum ſeparare à profano, maculatum à puro, & perfecto. Vt hac præditi dote ſcirent docere filios Iſraël, quid nam eſſet magis conforme ſuæ legi, voluntatique ſuæ ſanctiſſimæ, quod ex his eius verbis non obſcurè conijci poteſt. *Et vt habeatis ſcientiam diſcernendi inter Sanctum, & profanum, inter pollutum, & mundum, doceatiſque filios Iſrael omnia legitima mea*. Dum de hac Sacerdotum dignitate, & obligatione habet ſermonem Malachias Propheta, innititur pacto cum Leui de Sacerdotio à Deo inito, & in laudem Aaron excurrens, de eo commemorat, quòd legem veritatis ſemper in ore habuerit, nec vnquam aliquod protulerit verbum, vel vllam ſeminauerit doctrinam Deo contrariam, & hanc ob cauſam coram ipſo ambulauerit ſemper in pace, iuſtitia, & veritate, multoſque à prauitate animi & vitæ, ad meliorem frugem reduxerit. Qua de re verba vatis, vel Dei per vatem ita ſe habent. *Lex veritatis fuit in ore eius, & iniquitas non eſt inuenta in labijs eius, in pace, & in æquitate ambulauit mecum, & multos auertit ab iniquitate. Labia enim Sacerdotis cuſtodiunt ſcientiam, & legem requirent ex ore eius*. Labia Sacerdotali munere inſignium aſſeruabunt, & tutabuntur ſcientiam, ab eorum proin ore lex, & interpretamenta eius ſunt expetenda. Danda itaque eſt opera Sacerdoti, atque Prælato, vt quoties verbis ora recludunt, toties id fiat ad pretioſos ſcientiæ legum Dei alijs diſpertiendos theſauros, quos Deus pro communi bono populi in eorum pectore recondidit, atque depoſuit; ita vt non iniuria dici pſſit, labia Sacerdotis, & animarum inſtructoris inſtar portarum ſcrinij eſſe, in quo magni lapides pretij aſſeruantur incluſi, quo aperto quis fruitur, & non modicè recreatur rara, oculiſque pergrata eorum pulchritudine atque decore. Memoratus

Hierem. 3. v. 15.

Leuit. 10. v. 10.

Malach. 2. v. 6.

tus denique vates concluſionem dictorum ſuorum facit, & ne cauſam reticeat, ob quam Deus Sacerdotibus tantam obligationem imponat, eorumque opera tam multa populo ſuo elargiatur bona, non aliam adducit, niſi quia ex muneris ratione vice Angeli Domini Exercituum perfunguntur, vt hæc eius verba faciunt fidem. *Quia Angelus Domini Exercituum eſt.* Malach. 2.
Quem textum ſuo interpretamento illuſtrans Gregorius Magnus aſſerit, iure optimo nomen angeli animarum inſtructori poſſe adaptari, & quidem non ex eo duntaxat capite, quo tenetur ea præſtare obſequia, quæ Angelus illis exhibet, quos cuſtodit, ſed potiſſimùm ea de ratione, quia ipſius eſt nuncium, & legatum eo fine agere Dei, vt Diuinam eius alijs voluntatem declaret. Imò hanc ſuam doctinam ad alios etiam homines extendit, dum infit, omnes illos iuſtè mereri, & frui poſſe hac tam præclara nomenclatione, & epitheto, qui, quoad poſſunt, & quantum ſe gratia eorum, quam accepere, extendit, aduersùs alios Angelorum conantur fungi officio, quod tum dignè implent, ſi pro poſſe enitantur ipſos à malo auertere, propoſitiſque prœmio, atque ſupplicio exhortari, & reuocare ad frugem. Quæ omnia his ſuis verbis ſacer Doctor teſtata facit. *Nam vnuſquiſque veſtrum in quantum ſufficit, in quantum gratiam ſupernæ aſpirationis accepit, ſi à prauitate proximum reuocat, ſi exhortari ad bene operandum curat, ſi æternum regnum, vel ſupplicium erranti denunciat, cùm ſanctæ denunciationis verba impendit, profectò Angelus exiſtit.* Hanc porrò gratiam, quam Deus Sacerdotum opera populo ſuo facere cœpit, in lege ſcripta, pariterque continuauit, & etiamnum facere continuat in lege gratiæ, prout à Diuo Paulo inſtruimur, vbi loci ſermonem habet de munere, & onere, quod Deus impoſuit ipſius humeris, quando eum in Apoſtolum, Moderatorem, & Magiſtrum fidelium delegit, & aſſumpſit, qui deinde vltra progreditur, & ius pertractat, quo auditores præcones Euangelicos alere, & ſuſtentare tenentur; ſeparatione deinde inter iuſtitiæ, & gratuita opera facta fatetur ſe ex iuſtitia obligari ad prædicandum Euangelium, doletque vicem ſuam, ob pœnas, & ſupplicia, quæ incurrere mereretur, caſu quo tantæ obligationi non faceret ſatis. Et hæc hac de re ſunt verba eius. *Nam ſi euangelizauero, non eſt mihi gloria: neceſſitas enim mihi incumbit, væ enim mihi eſt, ſi non euamgelizauero.* Modum autem huius obligationis examinat Caietanus, qualiſque, & quantus

S. Greg. tom. 3. hom. 6. in Euangel. prope finem.

1. Cor. 9. v. 16

Q 2 ſit,

ſit, his nobis explicat verbis. *Neceſſitas debiti, neceſſitas iuſtitiæ incumbit mihi quoad officium euangelizandi. Quam neceſſitatem ſtatim probat ſubiungendo: væ enim mihi eſt, ſi non euangelizauero. Probat à contrario, hoc eſt, à pœna incurrenda, ſi non euangelizet. Ex hoc enim, quod omiſſioni debetur pœna, clarè patet, quòd opus, quod omiſſum eſt, erat debitum: nullus enim meretur puniri omittendo opus, ad quod non tenetur.* Prædicationi inſtare eſt propria vnius prœconis Euangelici obligatio, & ad hoc iuſtitiæ lege tenetur, quod Apoſtolus inde planum facit: quia, inquit, quòd ſe culpæ obnoxium faceret, ſi prædicationi verbi Dei ſedulò non inſiſteret, ſortem deinde miſerans ſuam oſtendit, quàm ſtrictum ſit eiuſmodi debitum, quantumque Gloriæ Dei, & profectus tam Rectorum, quàm ſubditorum interſit illud dignè implere, è contra verò quanta damna poſt ſe trahat, ſiquis in illo implendo aliquem committat defectum, & negligenter ſe gerat. Quæ damna adeò magna cenſebat Apoſtolus, vt gloriæ ſibi duceret, quòd in iis euitandis fuerit exactus, & accuratus; idcircò in litteris ad Corinthios datis fatetur ſe gratias habere Deo, quod neminem Sacro Baptiſmatis fonte abluerit, niſi Criſpum, & Caium, Stephanæque familiam, vt hæc eius verba demonſtrant. *Gratias ago Deo meo, quòd neminem veſtrum Baptizaui, niſi Criſpum, & Caium, Baptizaui autem & Stephanę domum.* Aſſignat deinde dicti ſui rationem, dum inquit ſe à Deo miſſum non eſſe ad conferendum Baptiſmum, ſed ad Euangelium omnibus prædicandum. *Non enim miſit me Chriſtus Baptizare, ſed Euangelizare.* Ne igitur Baptiſmi collatio, licèt modici temporis occupatio, magnique meriti eſſet opus, ipſi impedimento eſſe poſſet, quò minùs accuratè poſſet obire prædicationis officium, hanc ob cauſam excuſatum ſe voluit apud ſuos Corinthios, ne in malam ſibi poſſent accipere partem, ſi hoc rariùs nonnullis impenderet miniſterium. Duo occurrunt hic pro Prælatis, & animarum curatoribus ſingulariter annotanda, & identidem ab ipſis tenaciter in memoria retinenda. Vnum eſt, probè ab ipſis perpendendum, quàm ſtricta ſit obligatio, qua ex iuſtitiæ lege tenentur, ſuos indefeſsè imbuendi ſubditos Euangelicis documentis, ipſiſque exactam perſuadendi eorum impletionem; quod facere ijs præcipuè incumbit Prælatis, qui moderandis impoſiti ſunt animabus magnam perfectionem profeſſis. Alterum eſt, abundè perſpectum habere, quanti ad mox dicta

Caietanus ſuper hunc locum.

1. Cor. 1. v. 14

Ibi

Digitized by Google

dicta ab ipſis fideliter exequenda referat, ſe ad res alias huc nihil facientes non diuertere, multò minùs ſe illis vltro ingerere, præcipuè ſi res eiuſmodi ſint, quæ cum eorum munere, & vigilante cura, quàm ſuæ communitati, & ſubditis, quos regunt, impendere tenentur, ſunt impatibiles, licèt concederemus, eas cæteroquin per ſe bonas exiſtere. Solidiore ratione, & argumento hæc duo, quæ diximus, meo arbitratu probari haud poſſunt, quam ab exemplo, quod ipſemet hac in re dedit Apoſtolus, qui laudi, (vt vidimus) ſibi vertebat, quòd à ſua præcipuà obligatione, ſe nunquam diuerterit, etiam ob conferendum Baptiſma, quod tamen facere erat opus perquàm perfectum, illoſque per annos admodum neceſſarium, modicique auocamenti; tametſi tantus Apoſtolus ratione ſuæ magnæ, eminentiſque perfectionis par eſſet vtique muneri ſimul præſtando, & obeundo. Tanti eſt hæc doctrina momenti, vt ſi Prælati eam iuſta trutina penſitarent, ſufficienti ratione perſuaderentur, ad multùm æſtimandum, magnique faciendum hoc exercitium, illique ſe totos (vt munus eorum poſtulat) dedendos, addicendos ſine vlla digreſſione ad alias occupationes ipſis haud competentes, ſint de reliquo tam bonæ, ac videri, & eſſe poſſint. Et ad hoc ſtudium ſtrenuè capeſſendum animos ipſis addere deberet illa præclara à Deo ipſis facta promiſſio, qua ſpopondit, ſe ipſis talia ſuffecturum verba, tantæque pollentiæ ſapientiam, vt qui contradicere attentarent, reſiſtere ipſis non poſſent, vtì hæc eius verba nos dubitare non ſinunt. *Dabo vobis os, & ſapientiam, cui non poterunt reſiſtere, & contradicere omnes aduerſarij veſtri.* *Luc.21.v.15*
Magis præterea intendendus in ipſis hìc animus eſſet tum fide ſecuritatis ipſis obligata à Deo, tum comminationibus grauibus in ſubditos iactis, quibus ita denunciat, aures præbentem Prælato, ſibi per eum loquenti præbere, illique contradicentem, contradicere ſibi, ab eo denique, qui deſpicatui habet illum, ſe in illo, & per illum deſpici, & contemni, vtì hæc eius verba indubitanter teſtantur: *Qui vos audit, me audit, & qui vos ſpernit, me ſpernit.* *Luc.10.v.16*

§. &

Digitized by Google

§. & Conſilium VI.

Fit Sermo de verbis, quibus Apoſtolus diſcutit Sacri partes Magiſterij.

VT Doctor gentium erudiret Timothæum, Diſcipulum, & aſſeclam ſuum, quid ipſi facto opus eſſet, vt omnes probi Prælati, Scitique Magiſtri expleret partes, ſuaſit ei, vt qualibet data occaſione inſtanter prædicaret Verbum Dei non curando, tametſi id, quod diceret, videretur in rem non eſſe malè comparatis, & ſiniſtrè affectis, ſed pergeret corrigere, orare, & obteſtari omni cum tolerantia, ſanaque doctrina. Suam autem hanc ſuaſionem his Apoſtolus ad ſatum Diſcipulum fecit verbis. *Prædica verbum, inſta opportunè, importunè, argue, obſecra, increpa in omni patientia, & doctrina.* Vix cuiquam promptum videatur his validiora, & grauiora imaginari ſibi poſſe verba, nec conducibiliora ad obſcuranda Prælatorum ora, vt huic tam ſtrictæ obligationi excuſationem prætexere non poſſint. Doctor Angelicus hæc ſuper verba ſcribens aſſerit, Epiſcopum, & Prælatum obligationi ſuæ non facere ſatis, ſi eos duntaxat docere vellent, quos ad ſuſcipiendum Euangelij verbum norunt eſſe bene paratos, ſed oportere etiam exhortari, & inſtruere perperam affectos, quod ex verbo importunè, inquit poſſe inferri. In rem ergo talia protulit verba: *Si homo vellet hanc ſeruare opportunitatem, vt ſolùm diceret his, qui volunt audire, prodeſſet tantum iuſtis, ſed oportet, quòd aliquando etiam prædicet malis, vt conuertantur, & ad hoc additur importunè.*

2. ad Timoth. 2. v. 2.

D. Th. ſuper c. 4. citatum lect. 1.

Datum deinde à ſe Timothæo conſilium, vt idem Apoſtolus magis confirmet, & fructuum inde, ſi fideliter ſeruetur, percipiendorum ſecuritati conſulat, mox ſubiungit rationes, & vias pro modo habilitatis ſubditorum à Prælato ineundas, quæ ſunt reprehendere, eoſque, vt ad bonam redeant frugem, corrigere, illos verò, qui rigore tanto non indigent, blandis, & amorem Sapientibus verbis ad perfectiora erigere, & animare. Ponit denique pro ſuæ concluſione doctrinæ duas poſitiones generales, & inquit, ad perfectum prædicationis, aliorumque inſtructionis miniſterium opus eſſe, vt comitem habeat

habeat tolerantiam, & in ſe complectatur, omnis generis documenta, quæ ſubditis vtilitati eſſe poſſunt.

Caietanus vim verbi, *inſta*, paulò accuratiùs expendens ex illo inferri poſſe affirmat, Prælatum non debere committere, vt ipſum à ſtudio, & occupatione docendi aliquid impediat, diſtrahat, atque diuertat; & hanc ſuam mentem his nobis denudat verbis. *Aſſiduitas ſtudij ad incunbendum ſaluti animarum, nulla negligentia, nulla timiditate, aut quauis alia paſſione interpoletur.* *Caietanus ſuper hunc locum.* . Exercitio itaque, quo ſaluti, & ſacro ſubditorum profectui incumbitur, ita obfirmatè, & conſtanter Prælatus inſiſtere debet, vt illud nulla inertia, nulla imbellia, aut vllus alius immoderatus animi motus interſiſtere poſſit. Hoc tanti momenti conſilium eſt, vt ſi bene deduceretur ad opus, mirificos planè procrearet animarum progreſſus. Illa verò alia duo verba, quæ ſunt: *In omni patientia*, hac ratione idem auctor exponit, atque dilucidat. *Duæ partes, & ambæ neceſſariæ Epiſcopo, patientia, qua toleret ea, quæ ſibi diſplicent, & doctrina, qua alios inſtruat. Et dicit, in omni, vt nulli aduerſitati ſuccumbat, vt nullum documentum neceſſarium prætetmittat.* *Et infra* Vni ergo Præſuli tanta opus eſt tolerantia, vt nulla aduerſitate, vel contradictione concuti, interturbari, aut frangi poſſit, doctrina verò ita exuperans, vt cunctis ſit inſtructa conſilijs, & eruditionis monitis, atque præceptis, quæ ſubditis, pro cuiuſque indigentia vſui eſſe poſſunt. Ratio dictorum eſt, quia, cùm doctrina ſit cibus, & alimentum animæ, decet eam eſſe attemperatam non neceſſitati tantùm, verùm etiam conditioni ſumentis. Quod non inconcinniter nobis confirmat Origenes, qui ſtylo perſequens differentiam veſtium, quibus Sacerdotes antiquæ legis Sacris operantes vti debebant, affirmat per eam nos doceri diuerſitatem documentorum, monitorumque ſalutarium, in quibus tradendis incumbit præconi Sacro ſe conformare auditorum conditionibus, pro argumento ſuo adducit exemplum Diui Pauli, qui verba faciens ad minùs intelligentes, demittebat ſuum ſtylum, & cum ipſis agebat de rebus obuijs, & facilibus, ipſiſque velut infantibus lac pro alimento præbebat. Sermonem verò habens ad alios, qui primis quidem nonnihil grandiores, adhuc tamen debiles erant, & hos paſcebat, quaſi oleribus, per quæ veritatum alimonia deſignatur, quæ licèt non ſit ita facilis ad digeſtionem, vt præcedens, haud tamen ægrè conuerti poteſt in ſubſtantiam aliti. Qui denique ad exerci-

tium

Digitized by Google

tium voluntariæ corporis afflictationis iam iam euaſerant, tantamque fuerant nacti ſcientiam, qua noſſent diſcernere bonum inter, & malum, hos alebat cibo ſolido robuſtorum. Relato ergo hoc Apoſtoli in concionando ſtylo, & modo, vtitur Origenes alia metaphora ſumpta à veſtium Sacerdotalium diuerſitate, & rem eandem talibus proponit, & docet verbis. *Cùm iturus eſt inter perfectos, velut in Sancta Sanctorum alia vtitur ſtola doctrinæ, cum verò exit ad eos, qui incapaces ſunt, mutat ſtolam verbi, & inferiora docet: & alios lacte potat, vt paruulos, alios oleribus nutrit, vt infirmos, alijs verò fortes præparat cibos, ijs ſcilicet, qui pro poſſibilitate ſumendi exercitatos habent ſenſus ad diſcretionem boni, & mali.* Decet itaque Prælatum hac in arte, & ratione docendi alios, apprimè eſſe verſatum, vt norit ſuos, quos regit, ad perfectionem prouehere, talemque vnicuique dare doctrinam, quæ ſtatui eius, & vitæ conditioni, qua viuit, conſentanea ſit, modumque addoceat, quo obligationi, qua ad perfectionem ſe promouere tenetur, ſatisfacere poſſit, & debeat. Et quoniam vnuſquiſque vitæ mancipatus Monaſticæ ad virtutum tam internarum, quàm externarum exercitium ſtrenuè capeſſendum obſtringitur, idcircò vltra ea, quæ diximus, incumbit præterea Prælato ſuos inſtruere virturum notitia, vt nouerint, quid boni ſecum virtutes exercenti eas afferant, quidue vnicuique proſint, qualeſque viæ, & rationes ſibi ſint iucundæ, quibus inſiſtens ad meliora ſemper poſſit proficere. Licèt autem virtutum internarum præſtantia à Prelato magno in pretio ſit habenda, cum in iis potiſſimùm Chriſtiana conſiſtat perfectio, tamen etiam non parui ſunt faciendæ externæ, cùm viam præparent, & vſui ſint ad internas in animam introducendas: iure proinde ſunt, & vocantur internarum effectus, & fructus vltimam ijs conferentes perfectionem. Et quoniam de internis cognoſcitur per externas, hæque ſint cauſa boni, quod alijs datur, exempli, idcircò certa aliqua excellentia his etiam iure merito eſt concedenda. Cùm ergo Prælatus de eo, quod intrinſecùs latet, iudicare non poſſit, niſi per id, quod forinſecùs eſt, ob id non malè infertur, multùm ab eo externas eſſe æſtimandas virtutes, magnoque ſtudio, & accuratione docendas. Vnde non ſine ratione eſt, quod Regius Vates, dum de harum loquitur diſtinctione virtutum primas tribuat internis, earumque actibus, ſimul tamen honorem habeat, & laudibus efferat externas, nuncupando eas fimbrias

Origen. to. 4. in c. 6. Leuit. infra med.

ex

Digitized by Google

ex ornamento auri confectas. *Omnis gloria eius filiæ Regis ab intus in fimbrijs aureis circumamicta varietatibus.* Congruenter ergo ad dicta ſi colligere voluerimus, abſque controuerſia fatendum erit, Prælatum oportere tanta præditum eſſe ſcientia, regendique peritia, vt norit ſubditos ſuos à minima cogitatione, vſque ad ſupremum virtutum exercendarum opus ea ratione dirigere, vt in vno, & altero gloria Dei pro poſſe promoueatur. Quòd vt magis perſpicuum fiat, placet pro certo ſtatuere, dari in quolibet ſubdito microcoſmum à Prælato regendum, imò, ſi Bernardo ſit fides, vnum integrum inſtructorum agminum exercitum, ita quidem, vt in vnoquoque eorum non vnus duntaxat exiſtat miles, ſed integer exercitus è varijs bellatorum conflatus globis, diuerſis & armis, pugnandique modis vtentium contra multimodos potentes, & oculatiſſimos aduerſarios. Pſ. 44. v. 14.

In hanc rem refert idem Sanctus verba primi Canticorum Capituli, quibus Diuinus Sponſus ſuam equeſtri Sponſam comparat exercitui, quam deinde Sanctiſſimi Spiritus comparationem ita Mellitus Doctor ſuis dilucidat verbis. *Nec miraberis vnam animam equitatus multitudini ſimilatam, ſi aduertas, quantæ in ipſa vna, quæ tam Sancta anima eſt, virtutum acies habeantur, quanta in affectionibus ordinatio, quanta in moribus diſciplina, quanta in orationibus armatura, quantum in actionibus robur, quantus in zelo terror, quanta denique ipſi cum hoſte conflictuum aſſiduitas, numeroſitas triumphorum. Denique in conſequentibus legitur, terribilis, vt caſtrorum acies ordinata. Et item. Quid videbis, inquit, in Sunamite, niſi choros Caſtrorum.* Noli in admirationem adduci, ſi audias, vnam animam equeſtribus copijs in campo poſitis comparari, ſi verò huius velut peregrinæ rei, admiratione teneare, pones eam, vbi aduerteris animum ad multiplicia virtutum exercitia, quibus anima incumbens, decertat cogitatibus, verbis & operibus cum mundo, tartaro, ſuiſque cum appetentijs, & effrænatis animi motibus. Quibus in conflictibus (ſi non omnino oculos claudas) tibi intueri licebit, illos ob aſſiduam præliandi exercitationem ſuas appetitiones internas habere more militari ad debitum rationis ordinem reductas, atque compoſitas, religioſaque exercitia ex præſcriptæ diſciplinæ Monaſticæ optimè diſtributa, videbis ad hæc propugnacula, quæ ad ſuos cogitatus in tuto ponendos ſibi præſtruunt in oratione, eiuſque vtuntur opera ad indipiſcendam Dei, ſuique S. Bern. ſerm. 39. in Cant.

Digitized by Google

que ipſius cognitionem. Videbis, quàm heroicos, & accuratos ſe præſtent in externis virtutum operibus exercendis, quantum alij proficiant ex iuſto eorum zelo, quàm continentes ipſorum cum hoſtibus ſint congreſſus, atque certamina, ad quàm magnum pertingant victoriarum numerum, quas ſtrenuis concertationibus reportant ab inimicis. De talibus ergo animabus pronunciat, & affirmat Spiritus Sanctus, eas eſſe terribiles, inſtar agminum vnius ex arte bellica bene inſtructi exercitus, totumque, quod videtur in Sunamitide aliud non eſſe, quàm armatorum copias, munimenta, bellicos apparatus, & quidquid Sacri belli eſt, bene ordinatum, atque diſpoſitum. Prælatus itaque (cui vt Vicario Dei incumbit talem in quolibet ſubditorum ſuorum ordinem prouidere, tueri, atque perficere) poterit ex allatis condoceſieri, quàm magnam oporteat eſſe vigilantiam, curam, laborem, & ſtudium, quæ in hoc tanti momenti negotio in ſe ſuſcipere, atque impendere obligatur, quantumque opus habeat omni Sapientiæ, Sacræque directionis genere, vt norit ſuis omnigenas dare doctrinas, atque inſtructiones, quemadmodum ſupra iam vidimus hæc, & ſimilia Paulum Apoſtolum à ſuo diſcipulo Timotheo requiſiſſe.

§. & Conſilium VII.

Quidnam à Prælato, Regulari præcipuè ſit docendum, vt muneri, cuius præcedente paragrapho facta eſt mentio, faciat ſatis.

Regimini in Sacris admoti Ordinibus proprium munus, & functio eſt, ſuos ſubditos, atque Diſcipulos Euangelicis Scitis, atque dogmatibus erudire.

Opus proinde, & in rem omnino expediens eſt, vt eos quandoque informent veræ Fidei veritatibus merè theoricis, & in ſola rei cognitione ſiſtentibus, atque ad opus non ordinatis, quibus oportet eos eſſe bene inſtructos. Nonnunquam talibus ſunt imbuendi doctrinis, quæ vſui eſſe poſſint ad omnis generis virtutes, charitatem, & eas præcipuè, quæ plus præ cæteris vnionem cum Deo promouent, exercendas. Licèt autem huius loci non ſit, ſpeciatim ſtylo perſequi modum eiuſmodi veritarita-

Digitized by Google

ritates tradendi, huc tamen ſpectat breuiter attingere, ſummatimque referre aliquas regulas à Chriſto Domino conſtitutas, proprioque ipſius ore, dum inter mortales ageret, vulgatas, eruditiſque Sacrorum Doctorum interpretamentis commentatas, atque dilucidatas, quæ ſtudioſo, & exacto Prælato ſectandæ ſunt, ſi cupiat omnes officij explere partes, ſuæque commiſſorum curæ procurare profectum. Status Religioſi perfectio conſiſtit in perfecta Euangelicorum conſiliorum, ac mandatorum obſeruantia, ex quo conficere poſſumus, illum Prælatum vtiliorem, & proficientiorem fore, qui fuerit in via Crucis magis expertus, eiuſdemque, quam prædicare tenetur, maior amator, magiſque præ cæteris transformatus in Dominum Ieſum Chriſtum, & hunc Crucifixum. Doctrina namque Euangelij, abnegationis ſui, & Crucis, quam Chriſtus Dominus Princeps Paſtorum, & Præſulum, fons luminis Diuini, omniſque perfectionis Archetypon tradit, eiuſdem notionis gaudent ſignificatu. Corporata Sapientia, vt maiorem Euangelij ſui partem in Summarium paucis verbis redigeret, ſuoſque diſcipulos breuiter informaret, quid ipſis faciendum, & docendum eſſet, ſi ſe cuperent imitari, hæc ad eos elocuta eſt verba. *Si quis vult venire poſt me, abneget ſemetipſum,* *Matth. 16.* *& tollat Crucem ſuam, & ſequatur me.* Me ſequendi cupidus re- *v. 24.* nunciet ſibi ipſi, propriæ onus Crucis in humeros leuet ſuos, ponèque incedendo ſequatur me. Potior Sacrorum pars Doctorum non abs re affirmat, omnes has tres ad ſui ſequelam à Chriſto requiſitas conditiones eundem prorſus habere ſignificatum, & notionem, ita vt quælibet ſeorſim ſumpta, ſignificet idem, quod reliquæ duæ, & omnes coniunctim acceptæ rem eandem, quam quælibet ſumpta particulatim. Sequi enim Chriſtum, eſt eo modo amplecti Crucem noſtram, quo ipſe amplexatus eſt ſuam. Eius deinde imitari virtutes non eſt aliud, quam Crucem taliter ferre, prout par eſt, & ratio poſtulat, qualiterque ab eis informati ſumus exemplo. Tollere denique Crucem idem valet, quod cunctis renunciare terrenis, & in omnibus abnegare ſeipſum. Ex quo infertur bene intelligentem, capientem, atque implentem ex his vnam conditionibus, intelligere propemodum totum quidquid de perfectione Euangelica opus eſt ſcire. More ſuo ſubtiliter hac ſuper re diſſerit Auguſtinus, & Cruce in duo membra partita ſic inquit. *Crux homini non tantùm illa dicitur, quæ paſſionis tempore*

S. Aug. to. 10. ſerm. 32. de Sanctis in fin. & in feſto S. Laurentij ſerm. 3.

Ligni affixione conſtruitur, ſed illa, quæ totius vitæ curriculo cunctarum diſciplinarum virtutibus coaptatur de qua mihi videtur Saluator dicere, qui vult poſt me venire, tollat Crucem ſuam, & ſequatur me: Nunquid enim omnes Martyres, qui ſecuti ſunt Dominum, Crucifixi ſunt cum Domino: Nunquid omnes Virgines, qui iuxta Apocalypſim ſequuntur Agnum Dei, Crucifixæ ſunt, vt ſequantur? Nunquid Paulus Apoſtolus Crucifixus fuerat, cùm dicebat, mihi autem abſit gloriari, niſi in Cruce Domini noſtri Ieſu Chriſti per quem mihi Mundus Crucifixus eſt, & ego mundo? Hoc autem dicit, vt intelligas, Crucem non ligni eſſe patibulum, ſed vitæ, virtutiſque propoſitum. Per Crucem Seruatoris noſtri non ſolùm intelligenda à nobis eſt Crux corporea, ex qua ipſe pendulus fuit, ſed illa potiùs. quæ in eius vitæ imitatione conſiſtens in cunctis, quæ ſe offerunt, occaſionibus, confert vniuerſis exercitijs, omnigenarumque virtutum operibus, quoad hæc vita degitur, perfectionem. Hæc eſt, teſte Pontifice Hipponenſi, illa Crux, quam Chriſtus volenti ſe ſequi conſulit amplectendam. Hanc omnes Martyres, Virgines, & Apoſtoli ſunt amplexati. Huic ſe cum Chriſto eſſe ſuffixum ſibi Apoſtolus decori ducebat, vt per hanc ſuam non vitio, ſed laudi dandam gloriationem doceremur, Crucem, quæ in hac vita perfertur, non corpoream duntaxat eſſe, ſed bonum propoſitum, firmumque conſilium, quod quis facit, ad perfectam, & ex virtutis præſcripto tranſigendam vitam. Hoc ergo eſt, quod Chriſtus Dominus, & verum Caput, & forma Prælatorum, verbique ſui Miniſtrorum ex vniuerſo Euangelij ſui opere ad modum Epithomæ compilatum nos docere voluit, alijſque ad ſui imitationem, prædicandum, & docendum iniunxit. Paulus Apoſtolus, quem Chriſtus titulo Doctoris, & Magiſtri gentium anthonomaſticè inſigniuit, hanc optimè calluit lectionem, vt videre licet ex eius verbis ad Corinthios ſcriptis, in quibus ſibi gloriæ vertit, ſe aliud non prædicare, quam Chriſtum Dominum in Crucem actum. *Nos autem prædicamus Chriſtum Crucifixum.* Dum Caietanus hunc commento illuſtrat locum, aſſerere non veretur totum, quod in Euangelio continetur, comprehendi in Ieſu Chriſto ſuffixo Cruci, cuius proinde iſta ſunt verba. *Tota enim materia Euangelica in hoc comprehenditur virtualiter.* Nec admirationem alicui moueat, Apoſtolum, omnem ſuam prædicationem, Sacramque inſtitutionem ad hoc referre principium cum apertis fateatur verbis, ſe aliud non ſcire, quàm fixum

1. Cor. 1. v. 23

Caiet. ſuper hunc locum.

Cruci

Digitized by Google

Cruci Chriſtum ſuum, quem deperiebat. *Non enim iudicaui me ſcire aliquid inter vos, niſi Ieſum Chriſtum, & hunc crucifixum.* Si autem quiſpiam eſſet, qui præterito lucernæ Fidei vſu in ſolo horum verborum cortice firmare ſe vellet, miraretur vbique talia Apoſtoli eloqui verba, præſertim ſi ex altera parte ipſum non fugerent dona ſcientiæ à Deo tanto viro conceſſa. Ipſi namque in tertium rapto cœlum, ibique magiſtro renunciato Diuinæ Sapientiæ theſauri ita cumulatè ſunt oſtenſi, & perſpicui dati, vt ea, quæ tum viderat, verbis eloqui promptum ipſi non fuerit. Poſt tantum tamen inde hauſtum cœleſtis Sapientiæ flumen, quis non miretur, ipſum adhuc dicere, ſe aliud non ſcire, quàm Ieſum Chriſtum, Scholæ Crucis præceptiones, perfectamque ſui ipſius renunciationem? profiteri inſuper, nec pro ſe, nec pro alijs vſpiam dari ſcientiam, vel ſapientiam hac vtiliorem. Miretur autem quicunque voluerit, Apoſtolum tam ſublimem in cœlo ſcientiam indeptum hæc dicere, mirandum tamen meo arbitratu non eſt, quia, dum inquit, ſe ſolum Ieſum Chriſtum ſcire, & prædicare, etiam concedit, implicitè ſaltem, ſe ſcire, & prædicare, quod in viſo illo, & mirabili raptu, ac inſtitutione ſibi inibi facta pro ſuo, & noſtro profectu addiſcere, & capere conceſſum fuit, prout hoc docet, & prædicat Coloſſenſibus, certoſque eos reddit, in Ieſu Chriſto Crucifixo, omnes Sapientiæ, diuinęque ſcientiæ theſauros contineri, atque recondi. *In quo ſunt omnes theſauri Sapientiæ, & Scientiæ abſconditi.* Nec hos duntaxat in ſuo Cruci affixo Domino, eiuſdem Cruci, ſuique abnegatione comperit hic occulatiſſimus Secretorum Diuinorum ſpeculator theſauros, verùm etiam potentiam virtutem, vimque effectricem diuinam, quibus cœleſtibus, dum Chriſtum Dominum appellat nomenclaturis, procul dubio ſe ſentire oſtendit, omnes horum notiones vocabulorum eminenter ipſi ineſſe. Poſtremò in eundem etiam refundit, omnem vitæ ſuæ perfectionem, cunctas, quas colebat, & exercebat, virtutes, vniuerſa prætereà bona ſua præterita, præſentia, & futura, idcircò definiebat Chriſtum Dominum vitam ſuam his verbis. *Mihi viuere Chriſtus eſt.* Cauſam autem, propter quam virtute Crucis à Deo tot, & tanta nactus ſit bona, alia aſſeuerat non fuiſſe, niſi quòd vnàcum Chriſto ſuo ſuſpenſus, eius hæſerit Cruci, ita quidem, vt licèt adhuc viueret, ipſe tamen non eſſet, qui viueret, ſed Chriſtus viueret in ipſo, eòque accuratam dederit operam,

1. Cor. 2. v. 2.

Ad Coloſſen. 2. v. 3.

Ad Philipp. 1 v. 21.

Digitized by Google

vt cunctæ à primis ad vltimas vſque quæ in arbitrio ſuo eſſe poterant, actiones, ob partem operandi modum actiones euaderent Ieſu Chriſti. *Chriſto confixus ſum Cruci, viuo ego, iam non ego, viuit verò in me Chriſtus.* Hæc tam parilis in Chriſtum methamorphoſis, doctrinæ eius impletio, eiuſdemque imitamen exempli, cauſa fuere omnis perfectionis perſonalis, qua Apoſtolus claruit, hæc inſuper ſublimarunt ipſum ad vniuerſalis Præfecti, abſolutique Magiſtri omnium fidelium dignitatem non ſine magno ſui ipſius ſacro compendio, totiuſque Eccleſiæ vtilitate. Certum habeo, ſtatum, ad quem perfecta cum Ieſu Chriſto vnio Apoſtolum in tantum euexerat, vt licèt in viuis adhuc ageret, ipſe tamen non viueret: vita namque eius erat Chriſtus (qui diuino ipſum penetratu ſuo, modoque naturam ſupergreſſo in ſe (rationem operandi quod attinet) quaſi conuerterat, & tranſmutauerat) certum inquam, habeo, hunc tam ſublimem tanti Apoſtoli ſtatum meliùs explicari non poſſe, quàm comparatè loquendo ad ignem reſpectu ferri. Ignis namque ita ferrum in ſe commutat, atque transformat, vt ſuum ipſi eſſe quaſi communicet, naturam tamen eius non corrumpat, & ad receptionem ſat comparato adeò ipſi ſuas proprietates impertiat, ac ſi eſſent ei connaturales. Quod amor Crucis effecit in Paulo Apoſtolo, idem effecit, ſemperque efficiet in illis omnibus, qui proprij, & aliorum profectus ergo complectentes eam, ſeipſos, vt Apoſtolus, cum Domino ſuo ſunt crucifixuri.

11 Galat. 2. v. 19.

§. & Conſilium. VIII.

In quo Doctrina antegreſſi paragraphi fusiùs pertractatur, & roboratur.

SAcræ tam veteris, quàm noui inſtrumenti paginæ figuris varijs, tropicis locutionibus, atque collationibus nos erudiunt, quàm neceſſaria ſit doctrina præcedentis paragraphi vniuerſis, ſpeciatim verò Prælatis, Sacriſque animarum inſtructoribus. Ab ijſdem deinde Sacris litteris pariter condocemur, qua ratione ingeniorum diuerſitas differentem etiam poſtulet methodum veritates inibi contentas tradendi,

& de-

Digitized by Google

& declarandi, etenim quod multa vi pollet apud aliquos, quandoque apud alios eſt Iſtmum perfodere, & agere actum. Vt itaque vnuſquiſque ſatisfactionem ſuam haurire poſſit ex doctrina huius paragraphi, operæ prætium eſſe duxi in quoſdam, quos ex Sacra Scriptura in rei confirmationem afferam, textus, illos ſubiungere Eccleſiæ Doctores, qui ſingularem poſuere operam, diuerſis modis, & rationibus ex iiſdem textibus deſumptis declarandi noſtræ fidei veritates. Sapiens Sermonem habens de Sacræ militiæ armis quibus milites ſub Chriſto merentes oportet eſſe inſtructos, probat, & aſtruit omnia virtutum arma figurari per Crucem, idcircò dum ſuæ maris animi ſponſæ pulchritudines laude proſequitur, aſſimilat collum eius turri, ex præſcripto artis militaris conſtructæ, cum propugnaculis in oſtia balliſtaria ad iacienda miſſilia variatim apertis, ad modum illius factæ, quam Dauid in ſui defenſionem extrui curauit, quæ non ſolùm mille clypeis ibi pendulis, verùm etiam vniuerſis reliquis inſtructa erat militaribus ad tutamentum intus exiſtentium armamentis.

Sicut turris Dauid collum tuum, quæ ædificata eſt, cum propugnaculis: mille clypei pendent ex ea omnis armatura fortium. Plerique Patrum conſpirant, hanc turrim typum crucis Chriſti Domini eſſe, in qua fidelibus, interritiſque animi militibus omnigena ſacræ militiæ arma reperire licet, quæ ſunt illa, quorum paragrapho ſexto meminimus, vbi loci oſtendimus, in quolibet homine dari varias militantium turmas, ex quibus integer conflatur exercitus, multifariis armis, congreſſibus, & dimicationibus aduersùs diuerſa inimicorum prælians agmina. Hæc autem alia non ſunt arma, quàm illa, quæ, vt corripiamus, & vtamur, vult Apoſtolus, dum inquit. *Fratres confortamini in Domino, & in potentia virtutis eius. Induite vos armaturam Dei, vt poſſitis ſtare aduersùs inſidias Diaboli.* Fratres, fortes præſtate vos viros, non veſtris, ſed Dei confiſi viribus, eiuſq; vos armis accingite, quibus obſiſtere valeatis Diaboli officiis, atque aggreſſionibus, qui caput eſt, & anteſignanus omniũ globorum inimicorum veſtrorum. Super quæ verba Caietani Gloſſa ſic habet. *Dictio interpretata armaturam, ſignificat non aliquod ſpeciale genus armorum, ſed vniuerſitatem armorum: quod enim dixerat in potentia fortitudinis eius, modo explicat ab effectu vniuerſæ armaturæ.* Per hoc verbum (armorum) omnia armorum genera denotantur. Vnde, quod ante dixerat, in pollentia virtutis

Cant. 4. v. 4.

Ad Epheſ. 6. v. 10.

Caietanus in hunc locum.

Digitized by Google

tutis eius, abſque alterius deinde interiectu per nomen generale *omnium*, declarat, & intelligit quæcunque armamenta, quibus aduersùs cunctos Sacri inimicos belli vtendum eſt. Communis Patrum conſenſus eſt, omnia hæc arma in Cruce eſſe repoſita. Vnus inter illos eſt Timotheus Antiochenus, qui Chryſoſtomi inſiſtens veſtigijs ita hac ſuper re ſuam nobis profert ſententiam *Non multis opus eſt armis ſpirituali militi, qui Cæleſtem regem animosè ſequi velit, tollat tantumodo crucem ſuam.* Qui Sacræ dedit nomen militiæ, ſi ſuum cœleſtem ſequi cupiat Regem, non multa ipſi opus ſunt arma, ſatis eſt, ſi Cruce vtatur: in ea namque cuncta arma inueniet, quibus pro omni euentu indiget ad propugnationem ſui, & dato, quod caſus ſe ferret, in quo pro magno hoſtium ſuorum numero, aſſultuumque, & tentamentorum varietate multiplicibus indigeret, in armamentario tamen, & apparatu bellico Crucis cuncta reperiet. His Sacris præceptionibus ſunt reliqui Sancti imbuti à Diuo Petro Apoſtolo, qui totam tam ſalutaris diſciplinæ materiam complexus eſt paucis verbis, dum dixit: *Chriſto igitur paſſo in carne, & vos eadem cogitatione armamini.* Armemus itaque nos accurata Seruatoris noſtri in Cruce paſſi conſideratione, qua ſi bene vti nouerimus, inueniemus in ea omnem operam, atque ſuppetias, quæ vſui eſſe poſſunt ad referenda de inimicis noſtris victoriam, atque triumphum. Idipſum mox fatus Apoſtolorum Princeps magis confirmat, in hæc verba dum loquitur. *In hoc enim vocati eſtis: quia & Chriſtus paſſus eſt pro nobis, vobis relinquens exemplum, vt ſequamini veſtigia eius.* Cauſa itaque, propter quam Chriſtus paſſus, ſuæque fuit baiulus Crucis non erat alia, quàm vt nos incenderet, ac animaret ad idem præſtandum, & ad eius inſiſtendum veſtigijs. In rem noſtram locutus occurrit opportunè auctor Origenes, quem deinde Diuus Bernardus, aliique plures Sanctorum ſecuti, certos nos reddunt, virtutem Crucis Domini, qui nos in libertatem aſſeruit, tantam exiſtere, vt, ſi oculos noſtros aduertamus in eam, tenacemque mortis Chriſti in animabus noſtris teneamus memoriam, vſpiam dari poſſit, vel concupiſcentia, vel laſciuia, vel furor, aut inuidia, quæ nos valeat debellare. Licèt autem ex multis hæc quatuor ſolùm ſpeciatim nominent vitia, quæ, vt ſæui hoſtes, militant aduerſùs animas noſtras, per ea tamen indicare voluere vniuerſum exercitum nobis bellum mouentium. Sed firmet, quæ dixi, ipſe,

Timotheus Antiochenus Præsb. orat. in crucem & transfigur. Domini.

1. Pet. 4.

1. Pet. 2. v. 21.

Digitized by Google

ipſe, quem citaui, Origenes, hunc in modum locutus.

Origenes lib. 6. in Epiſt. ad Romanos in princip.

Tanta virtus eſt Crucis Chriſti, vt ſi ante oculos ponatur, & in mente fideliter retineatur, ita, vt in ipſam mortem Chriſti intentis oculis mentis aſpiciatur, nulla concupiſcentia, nulla libido, nullus furor, nulla ſuperare poſſit inuidia. Ab hac non diſcors eſt doctrina à Diuo tum data Ambroſio, dum horum loco ex Iſaia verborum à Septuaginta ita lectorum.

D. Ambroſ. tom. 4. lib. 3. de fide c. 4 ad med. vbi illud Iſaiæ. 9. cuius principatus ſuper humerum eius.

Cuius Principatus ſuper humerum eius, ipſe legit hoc modo, *eius principium ſuper humerum eius*. Quibus deinde ſine alterius interiectu ſubiungit: *vt virtutum genera diſceremus filius datus eſt nobis, cuius principium ſuper humerum eius. Principium illud Crux Domini eſt, principium fortitudinis, quo via Sanctis eſt reſerata Martyribus ad ſacri certaminis Paſſionem, vidit hoc principium Iſaias, & ideo ait: Puer natus eſt nobis, filius datus eſt nobis, cuius principium ſuper humerum eius.* Crux itaque Aſſertoris noſtri Ieſu Chriſti eſt totius, quæ in hominibus reperitur, fortitudinis animi principium, ipſa eſt, quæ patefecit viam Martyribus, eiuſque animi firmitudinem, atque conſtantiam contulit, quam toti mundo teſtatam fecere ſua illuſtri, & intrepida paſſione. Videtur Iſaias hoc vidiſſe principium, dum Chriſto Domino Cruce in humeros ſublata onerato, omnis noſtræ virtutis, roboris atque victoriæ adſcripſit primordia. Baiulatæ à Chriſto Crucis typus, & adumbratio fuit, illud haud inſcitum factum Regis Abimelech, qui in oppugnatione vrbis Sichem conſcenſo monte Selmon abſcidit arboris ramum, humeriſque impoſitum præferebat ſuis, quo viſo milites eius, exemplo potiùs, quàm præcepto ducis inducti idem fecere, & præeuntem cum ramo ſecuti ſunt eum, quo ſtratagemate, bellicoque inuento expugnata Sichima retulit ex inimicis victoriam, eoſque igne, & flammis conſumptos in nihilum redegit. Quod factum in libro Iudicum refertur hoc verborum tenore.

Iud. 9. v. 48.

Et Abimelech arrepta ſecuri præcidit arboris ramum, impoſitumque ferens humero, dixit ad ſocios: quod me videtis facere, citò facite. Igitur certatim ramos de arboribus præcidentes ſequebantur ducem, qui circumdantes præſidium ſuccenderunt. Imitentur itaque in hoc Prælati Chriſtum Dominum, ſicut milites iſti ducem ſuum, nec ſatis habeant, ſolo verbo ſuos doctrina Crucis imbuere, ſed curent idipſum, etiam exemplo, vt Abimelech fecit, præſtare, vt hoc imitaminis modo, ſeipſos corroborare, ſuiſque aduerſarijs ſuperiores euadere valeant. Tractat Euthymius illa regij

Digitized by Google

Pſal. 109. prophetæ verba: *Virgam virtutis tuæ emittet Dominus ex Sion*, illaque iuxta myſticum intellectum exponens affirmat, per virgam virtutis Dei Crucem Domini referri. Quæ explanatio adſtipulantibus Auguſtino, & Chryſoſtomo eundem ſuper locum ſcribentibus, ita ſolido nititur fundamento, vt robur ſuum accipiat etiam ab ipſo Paulo Apoſtolo, qui prædicans Crucem, & Chriſtum fixum in ea, vocat ipſam virtutem Dei, virtutem autem Dei, quis omnia poſſe negauerit? Quapropter rationem Euthymius habuit ita loquendi. *Quid enim ea potentius eſt, aut efficacius? cùm tam facilè inimicos omnes in fugam conuertat.* Nihil Cruce Chriſti potentius, aut efficacitate validius inueniri poteſt: Ipſa namque cunctos aduerſarios noſtros ſub iugum mittit, debellat, ſuperat, atque deuincit, quam ſi eo amplectamur, quo Chriſtus, modo, fruemur omnibus bonis per eam nobis à Deo impertitis, ita vt ſit loco medelæ malorum omnium, vniuerſorumque bonorum ſcatebra, atque origo, & tam in vno, quàm altero virtutem, & potentiam Dei cernere liceat manifeſtè. Quamuis autem tam operatoria Crux, ſit vnicum horum reſpectu effectorum (cùm claret) remedium, patrat tamen cuncta illa ſtupenda, & mirabilia, quæ ſunt viſa, dieſque in ſingulos videntur in Apoſtolicis viris. Vbi Origenes ſtupenda facta commemorans, quæ Apoſtoli, & imitati eos virtute prædicatæ, & toleratæ Crucis patrarunt, hoc eius efficacitatem extollit encomio.

Euthymius ſuper hunc Pſalmum.

Orig. tom. 1. hom 4. in Exod. ad med.

Virga ergo, per quam à Moyſe geruntur hæc omnia, per quam Ægyptus ſubijcitur, & Pharao ſuperatur Crux Chriſti eſt, per quam mundus hic vincitur, & Princeps huius mundi cum Principatibus, & Poteſtatibus triumphatur. Huius virtutis, ſiue potentiæ præceſſit vmbra in Virga Moyſis, qua ſubacta fuit Ægyptus, Pharao domitus, & ſuperatus, qui impræſentiarum eſt fallax mundus, totus infernalium deceptorum exercitus, omneſque reliqui cum his fœdere iuncti inimici, & aduerſarij noſtri, contra quos Cruce Domini auſpicatò decernitur, victoria paritur, vires eorum franguntur, & eneruantur. Hac itaque virga Prælatis, ſacriſque Rectoribus vtendum eſt, vbi ſe cunque neceſſaria feret occaſio magna præſtandi; perinde ac Moyſes, magnus populi Dei ductor, & moderator factitare ſolebat, qui virgæ (quæ Crucis figura erat) à Deo ſibi traditæ virtute, & efficacitate vtebatur, non ad dirigendum ſolùm, ſed etiam ad tutandum, & protegendum populum eius. De hac haud

Digitized by Google

haud incelebri figura, & figurato per eam, egregiè in rem noſtram diſſerit Hipponenſis Antiſtes, & cogitatus ſuos in hoc verba profatur. *Nullum Moyſes ſignum ſine ligni Sacramento peregit: vt enim ſigna, & prodigia in Ægypto faceret, virgam accepit à Domino, & ad ſigna quæque Diuinitus audiebat, & dicebatur ei: Eleua virgam tuam. Erigebatur virga, vt ſcire poſſimus, quantum eſſet illud futuri ligni Myſterium, cuius fuerat vmbra figuratum virga illius Sacramentum.* Nullum Moyſes fecit prodigium, vel oſtentum, niſi vſus ſecreta, & potente virtute virgæ. Eam namque adhibuit ad patranda cuncta illa portenta, quæ in Ægypto, & per iter exinde eſt operatus, prout à Domino fuerat inſtructus, qui huic mirificæ virgæ impreſſerat, tam ipſius Sancti Patriarchæ, quàm populi ipſi crediti tutamentum, atque pollentiam. Quod teſte memorato Doctore ideo factum eſt, vt diſceremus magnam, ſtupendamque virtutem Crucis, quæ figurabatur in illa prodigioſa virga, virtute proinde cuius nobis vtendum eſt in cunctis neceſſitatibus noſtris, vt eius per vſum participes facti virtutis, & pollentiæ Dei, victores euadere poſſimus contra omnes aduerſarios noſtros. Doctorum aliqui magis particulatim de hoc argumento ſcripſere, id vt probè intelligatur, ſtatuendum eſt, id verum omnino eſſe, quod Sacri Scriptores tradunt de Cruce, dum inquiunt, eam eſſe imaginem, qua nobis repræſentatur figura Chriſti Domini in Cruce extenſi, quorum dicto Diuus Thomas innixus affirmat, non eam duntaxat Crucem eſſe adorandam cultu latriæ, quæ eiuſdem tetigit membra, Sacroque eſt rubricata, atque conſperſa Sanguine, verùm etiam omnes reliquas ex quacunque materia fabricatas eodem cultu, prout ſunt imagines Chriſti, venerandas. Idcircò quotieſcunque de magnis (de quibus ſupra) fit ſermo effectis; aut iis parilibus, ſemper virtute huius principij facta intelliguntur. Agit Patriarcha Venetus Laurentius Iuſtinianus quodam ſuorum operum loco de amante, & imitante Crucifixum Chriſtum, eiuſque, quibus incumbit, opera recenſens condocefacit nos omnia noſtra bona in Chriſto Crucifixo, eiuſque Cruce repoſita contineri, vtì ex his eius verbis colligere licet. *Tenet ante ſe Redemptoris ſui apertum codicem, in quo legendo aſſiduè, & meditando frequenter, virtutum vniuerſarum reperit diſciplinam. Eſt namque vita Domini Ieſu liber vitæ, exemplar verum, perfectionis exemplum, forma rectè viuendi, perlucida*

D. Auguſt. ſer. 101. de temp. & ſer. 2. & lib. 50. Homil. homil. 27.

D. Thomas 3. p. qu. 25. art. 8.

S. Laur. Iuſt. lib. de humil. c. 21. in princ. ad illa verba 1. Pet. 2. peccata noſtra ipſe pertulit in corpore ſuo ſuper lignum & cæt.

via, Religionis Magiſterium, cunctarumque norma virtutum. Vnum prehendit in manus librum, eumque expandit, vt in eo legere, meditari, atque exinde haurire poſſit omnem verarum virtutum ſapientiam, atque ſcientiam, qui proinde non quomodocunque liber nuncupari meretur, ſed preſsè, præclaroque cum addito liber vitæ verum exemplar, omnis perfectionis ſpeculum, Diuini cultus magiſter, recta virtutum omnium regula, ac diſciplina. Affirmat inſuper alio idem præclarus auctor loco, hoc libro comprehendi omnem rationem, ordinem, atque ſubſtantiam vniuerſæ Redemptionis noſtræ, idcircò ſic loquitur: *Totum humanæ Redemptionis modum, ordinemque in hoc ſui corporis incluſit volumine. Quamobrem cùm ſcribere compleſſet, nihilque supereſſet ſcribendum, inquit conſummatum eſt*. Adſtipulatur Capadox Doctor, Baſilius, & non minus vniuersè in laudem eiuſdem ita loquitur libri. *Ad ipſum iam liberatoris noſtri vitæ inſtitutum pergemus, quod mortali in corpore ab ipſo ſeruatum omnibus, quicunque pietatem in vita colere vellent, virtutis exemplar, ac picturam, veluti probè expreſſam effigiem quandam propoſuit, vnde cunctis lineamentis illius inſpectis, cùm nulla in parte à propoſito ipſius exemplari, imitatione declinarent, ſimile inde pro ſe quiſque in vitam ſuam exemplum transferrent*. Aſſertor libertatis noſtræ eſt vnum Archetypum, & Scriptura affixa in publico pro omnibus pietatem colere volentibus, animæque ſuæ profectum inhiantibus, vnde qui bene hanc omnibus perfectionis formam inſpiciet, totum, quo opus habet, vt ſe ad perfectionem promoueat, inueniet, ſiue in numerum incipientium, ſeu proficientium, vel perfectorum relatus exiſtat. Studeant ergo Prælati perdiligenter hoc in libro, vt ex eo addiſcere poſſint, quid quemlibet ſubditorum ſuorum (quocunque in ſtatu ſit) docere debeant, prout Sanctus conſulit Bernardus, qui tres inter diſtinguens ſtatus pro vnoquoque aſſignat certum ibi addiſcendæ de Cruce doctrinæ, nec non abnegationis ſui inibi exercendæ gradum, quandiu quis eo hæret, & ſubſiſtit in ſtatu. Conficit deinde ſcalam tribus ex Crucis conſtantem gradibus, per quos ſubire quis poſſit, & ad Chriſtianæ culmen perfectionis pertingere, ſi tamen ex animi ſententia eandem abnegationem, & in illa beneplaciti Dei, Sanctiſſimæque voluntatis eius expletionem amet, atque deſideret, ſumma dictorum eius ad hæc verba redigitur. *Triplicem licet conſiderare gradum, incipien-*

Idem c. 20. de triumphali Chriſti agone poſt princip.

D. Baſil. in conſtit. Monaſticis c. 5. ad med.

Digitized by Google

pientium, proficientium, perfectorum, &c. Qui initiatur à timore, Crucem Chriſti ſuſtinet patienter, qui proficit in ſpe, portat libenter: qui verò conſummatur in charitate, amplectitur iam ardenter: ſolus etenim iſte eſt, qui dicere poſſit, quia amator tuus ſemper fui, & deſideraui amplecti te. S. Bernard. ſerm. 1. de S. Andrea ad med.

§. & Conſilium IX.

Agitur de indefeſſo ſtudio à Superioribus impendendo, vt ſubditos ſuos indeſinenter edoceant viam Crucis, & abnegationis ſui ipſius, vbi etiam, quid propriè ſit vniuſcuiuſque Crux, enucleatur.

REdemptor, & Diuinus Præceptor noſter non opere, & exemplo ſolùm nos continuè inſtruxit præceptis tolerandæ Crucis, dum propriam eſt amplexatus ab ipſo vſque natiuitatis ſuæ exordio, ſed vt eius inſiſtentes veſtigijs etiam portaremus noſtram, idemque alijs facere ſuaderemus, crebriùs in ſuo Euangelio, varijſque ſub nominibus nos Crucis commonefecit; interdum ſub nomine abnegationis, quandoque corporis afflictationis, modeſtiæ animi, tolerantiæ, iugi, violentiæ, paupertatis tam internæ, quàm externæ, ſanguinis, gladij &c. Quapropter vt nobis ſeriò inſtantem huius exercitij (quod eſt quaſi ſupremum genus omnium aliorum) inculcaret, & ſuaderet proſecutionem, verbis paragrapho ſeptimo relatis adiungit, Crucem continenter, & in dies ſingulos eſſe ferendam, vti ex his eius verbis propalam eſt. *Si quis vult poſt me venire, abneget ſemetipſum & tollat Crucem ſuam quotidie, & ſequatur me.* Luc. 9. v. 23. Quemadmodum enim nullum tempus eſt, quo homini ex præſcripto Euangelij viuenti non incumbat, ſuos (quoad poteſt) conformare motus, & opera operibus Ieſu Chriſti, ita neceſſum eſt, vt aſſiduè ſit paratus, promptamque, & expeditam habeat voluntatem, eo Crucem, & quaslibet moleſtias ferendi modo, qui ad hanc congruentiam magis ſit conducens, atque expediens. Ita ſentit Diuus Thomas, & hanc ſuam ſententiam eruit ex Græco, dum ſuper verba ex Sancto Luca ſuperiùs allata ſic inquit. *Qui vult*

ſequi

Digitized by Google

D.Tho. ſuper hunc locum in Cat. aur. ex Græco.

ſequi Dominum, primò debet abnegare ſeipſum, & ſic tollere Crucem, vt eius voluntas ſit prompta ad omnem miſeriam ſuſtinendam. Dominum ergo ſequi, & imitari volenti primum opus eſt, vt renunciet ſibi ipſi, huius deinde virtute abnegationis humeros ſubmittat Cruci, vt hac ratione voluntas eius in omnem parata ſit euentum, ad ſe conformandam Diuinæ, & ad perferendas cum integra ſui ſubmiſſione, atque reſponſu, quaſcunque, quæ incident, miſerias, atque afflictiones. Ad meliorem deinde huius doctrinæ captum citat idem mox fatus auctor verba Venerab. Bedæ ita loquentis. *Niſi autem quis à ſemetipſo deficiat, ad eum, qui ſupra ipſum eſt, non appropinquat, vnde dicitur: abneget ſemetipſum.* Nulla ratione fieri poteſt, vt homo indipiſcatur, & ad id euadat, quod ſupra ſe eſt (puta Diuinum) niſi renunciet, miſſumque faciat id, quod ex ſe habet (ideſt humanum) facta inferioris cum ſupra nos poſiti vtili commutatione. Et quoniam nullum eſt tempus, neque temporis punctum, quo ad hoc faciendum non aſtringimur, idcircò non abſque cauſa infertur, inſtitutis Euangelij, ſtudioque abnegationis, Cruciſque ferendæ nos omni tempore indigere.

D.Tho. ibid. ex Beda.

Fiet res clarior comparatione inſtituta ad id, quod experimento docente contingit in conſeruatione vitæ corporeæ: compertum eſt, nullam quantumuis modicam partem temporis eſſe, qua natura operam non det ad procurandum, ſibique ſuppeditandum, quo ſuſtentetur, competens alimentum. Huius rei gratia, quod ſibi non conducit, reſpuit, omnemque difficultatem, quæ in cibo tam conquirendo, quàm ritè parando ſolet occurrere exantlat, his peractis tranſmittit eum in ſtomachum, conuertit in chylum, chylum in ſanguinis maſſam, hanc deinde magis purificat, ad ſpiritus ex ea eliciendos vitales, & ad cor poſtmodum amandandos, ita vt natura indefeſsè inſiſtat vitæ corporis ſuſtentandæ, & conſeruandæ, quærens per huiuſmodi præuios paratus, decoctionis, atque purgationis actus, ſeparare bonum à malo, perfectum ab imperfecto, vt his continuatis ſtudijs, atque induſtrijs ſuæ tandem vitæ nanciſcatur conſeruationem, atque perfectionem.

Nemo in dubium reuocauerit, quin idem in homine ex diſciplina virtutis vitam agente, comparatè ad vitam incorpoream loquendo contingat. Talis namque homo aſſidua cura,

& ſtu-

& ſtudio congruentibus virtuti actionibus ſe impendit, vt inculpatam, & probitati conſonam animæ vitam conſeruet, atque perficiat. In hunc finem, quidquid ad imitationem Chriſti magis facit, & conducens eſt, perficere pro poſſe conatur, vt hac ratione inter perfecta eius membra annumerari, & accenſeri iure mereatur. Vnde,vt ſe in ipſum transformet, curat indeſinenter per calorem charitatis, & amoris Chriſti, perque ſubſidium Spei, & Fidei, necnon abnegationis ſui ipſius, quæ has virtutes neceſſe eſt, antecedat, perfectum ſeparare ab imperfecto. Quemadmodum autem ad protrahendam vitam naturalem plurimæ actiones externæ, & materiales concurrunt; quales ſunt quærere nutrimentum, illud ori imponere, dentibus frangere, fractumque in ſtomachum traijcere; quæ licèt non ſint actiones præcipuæ, & proximè conferentes ad conſeruationem talis vitæ, ita tamen ſunt neceſſariæ, vt eiuſmodi vita ſine illis conſeruari non poſſit. Quemadmodum, inquam, hoc genus actiones dantur in ordine vitæ naturalis, ita his ſimiles inueniuntur in vita, quæ ex virtute agitur: cuiuſmodi ſunt, alios regere, inſtruere, ſana dare conſilia, piorum librorum lectioni incumbere &c. Vnde ſicut de actionibus, & adiumentis externis, quæ naturæ ad ſe conſeruandam, atque perficiendam ancillantur, diximus, eas neceſſarias eſſe, idem dicendum eſt de actionibus externis ad conſeruationem vitæ ſpiritualis adminiſtris. Porrò in ordine vitæ corporalis præter externas iam memoratas dantur actiones aliæ magis internæ, digniores, principaliores, atque proximiùs ad conſeruationem huiuſmodi vitæ ſuam operam conferentes, quales ſunt actiones ſtomachi, caloris, cordis, cerebri &c. quæ alias dignitate præcedunt, proximiùſque ad hanc vitam operam nauant, in cuius bonum, & commodum cunctæ exercentur.

Similibus motibus, & actionibus, etiam vita ſpiritualis nequaquam deficitur: quia præter externas, de quibus ſupra, habet opera magis interna, & incorporea, atque ad conſeruationem eius proximiùs influentia, quales ſunt actiones memoriæ, intellectus, & voluntatis, actus vitæ contemplatiuæ, virtutum Theologicarum, & Cardinalium, quæ omnia ſunt opera interna, ſolida, & robora perfectionis, interuentu quorum, homines ſtudio virtutum addicti, gratiaque diuina adiuti iugiter pro euentu occaſionum deſudant, vt ſuperna-

tura-

Digitized by Google

turalem animæ vitam conſeruent, & ad perfectionem perducant.

Duo in rem noſtram hic ſpecialiter obſeruanda occurrunt, primum eorum eſt, quod ſicut natura indeſinenter occupatur eiuſmodi motibus, atque operibus, magiſque indefeſsè illis incumbit, quæ præ cœteris ad vitam naturalem conducunt, atque proficiunt, ita vt nunquam prætermittat id facere, quod ad hunc finem omnino neceſſarium ſibi eſſe videtur, ita idem virtutis, ſanctæque vitæ ſtudioſo non ſolùm eſt faciendum, ſed pro poſſe etiam continenter eſt proſequendum, eoque omnes ipſi modi, & rationes ſunt ineundæ, quibus talis vita ad perfectionem prouehi poſſit. Ex quo efficitur, teneri Superiores ſubditis, auxilio eſſe, ipſiſque ea omnia præſtare, ad quæ præſtanda ex ſui muneris ratione obſtringuntur, ſubditis verò incumbit hac opera vti, tanquam re magni momenti, & quàm plurimùm neceſſaria.

Alterum, quod locus hic admonet obſeruandum eſt, quòd licèt anteuertentes actiones non ſint in hac occupatione præcipuæ, & ad vitam corporis proximè influentes, non tamen exinde conficitur, eas neceſſarias, & vtiles valde non eſſe, idem dicendum eſt de opera actionum externarum probæ, & perfectæ ancillantibus vitæ, quæ in hoc actionibus externis vitæ naturalis ſunt ſimiles, ad vitam tamen animæ ordinantur, cuiuſmodi ſunt aliorum directio, adminiſtratio, aſſidua, quam Prælatis de abnegatione ſui, & Cruce myſtica, verbis, & operibus facere incumbit, inſtructio, quæ ad Sacrum ſubditorum profectum ſunt adminicula extra modum valentia. Vnde quemadmodùm ille multùm confert ad vitam corporis, qui illi præparat, atque miniſtrat magis ſolidum, eiuſque habitudini magis conueniens alimentum, ſuaque induſtria taliter comparatum, & ſapidum factum, vt ipſi proſit, atque conducat, abſque omni per hunc paratum corpori illato incommodo.

Eodem modo de Prælatis Sacrum ſuæ diſciplinæ addictorum, & ſubditorum animabus alimentum parantibus ratiocinandum eſt. Doctor gentium huius paragraphi doctrinæ robur adiunxit, dum ad hanc ſimilitudinem, & id, quod Sacri animarum inſtructores ex ſua parte hoc in negotio præſtare tenentur reſpiciens, nonnullis ſuæ inſtitutionis ſequacibus, & ſubditis celatum eſſe non voluit, ſe illis, in rebus ad pietatem

Digitized by Google

tem, & ſanctimoniam vitæ ſpectantibus, ſeu adhuc paruulis, alimentum doctrinæ Euangelicæ (qua inſtanter agebatur de abnegatione, & cruce) in lac conuerſum dediſſe, quod eſt nutrimentum in ſubſtantiam capientis, & inde aliti, facilè tranſmittendum, & vitæ producendæ multùm attemperatum. Do vobis ipſa verba Apoſtoli hæc aſſerentis. *Tanquam paruulis in Chriſto lac vobis potum dedi, non eſcam: nondum enim poteratis.* Qui ergo arte ſua, labore, induſtria, abſque proſpicientia hanc in docendo auditoribus facilitatem capiendi, & vires confert, ille eſt verè Sacer animarum inſtructor. Omnes, quotquot Deus in ſuæ Eccleſiæ luminaria, Magiſtros, ſuorumque fidelium legit, & conſtituit moderatores, hunc in docendo tenuere modum, & rationem, quam in Schola Ieſu Chriſti, & didicerunt, & executioni mandarunt. Et quoniam in hoc ſumma rei conſiſtit, aliquas hic auctoritates eorum adducam, qui per eas voluere probare frequentem, imò iugem de abnegatione, & cruce tractatum omnino neceſſarium eſſe, vt ſenſim huius exercitij habitus comparetur, & contrahatur.

Pelaſgæ facundiæ toti per ſua aurea ſcripta notus Orbi Concionator, vt nos erudiat, in quo propriè, & ſpeciatim crux conſiſtat, affirmat per vocem crucis denotari præparationem animi vnius hominis, prouidi, armati, & ad pugnam ſemper accincti, ac de ſuis inimicis reportare victoriam, ſibique mori cupientis, nec vllas inducias paciſcentis, aut vllum leuamen quærentis. Vnde ſuis ſic loquitur verbis. *Crux enim animi, eſt ad aciem inſtructi, & mortificati, nihilque remiſſius quærentis.* In cuius deinde proſecutione materiæ hæc magis infra adiungit. *Si crucem dilexiſſem, vitam ſtuduiſſem viuere crucifixam.* Si crucem cordi habuiſſem, omnis mea cura fuiſſet, vt vita mea vitæ crucifixi congrueret, per quæ verba ſatis clarè nobis continuationem inſinuat, qua ſtudebat huic exercitio ſe totum impendere.

Chryſoſtomum excipit Auguſtinus, qui pariter nos inſtituit, quem ſignificatum crux noſtra habeat, memorat proinde, qualiter Apoſtolus totam ſuam gloriam, & proſperitatem in eo poſuerit, vt per contemptum mundi, & deſiderium, quo cupiebat ſperni à mundo, crucifixus iugiter foret cum Domino ſuo Ieſu Chriſto, quò autem ſciretur cui cruci, ſubnectit, crucem, cui erat affixus Apoſtolus, non fuiſſe materialem, ſed incorpoream, quæ alia non erat, quàm firmum

T pro-

propoſitum, continenſque voluntas, virtutis regulis congruentem, & perfectam agendi vitam, quod ex his eius licet colligere verbis. *Numquid Paulus Apoſtolus crucifixus fuerat, cùm dicebat: mihi autem abſit gloriari, niſi in Cruce Domini Noſtri Ieſu Chriſti, per quem mihi mundus crucifixus eſt, & ego mundo; hoc autem dicit, vt intelligat, crucem non eſſe ligni patibulum, ſed vitæ, virtutiſque propoſitum.*

S. Auguſt. to. 10. ſer. 32. de Sanct. infr. & in Appen. 61.

Tandem in confirmationem eius, quod proſequimur, ſuorum pro concluſione dictorum infert totam vnius Chriſtiani vitam (ſi ex præſcripto Euangelij, & eo, quo Paulus ſe viuere non inaniter gloriabatur) viuere velit modo, aliud non eſſe, quam crucem, & iuge martyrium. Hoc itaque documentum aſſiduè dandum eſt ab eo, cui ex officio alios docere incumbit. Verba autem Africani Doctoris hoc aſſerentis ſic ſonant. *Tota igitur vita Chriſtiani hominis, ſi ſecundùm Euangelium viuat, crux eſt, atque martyrium.* His ſuo etiam accedit ſuffragio Stridone in Dalmatia oriundus, & ab Eccleſia vocatus maximus Doctor, qui à nobis hactenus dicta ad compendium reducens aſtruit, in Ieſum Chriſtum credentem, vt par eſt, ipſum per abnegationem ſui ipſius, cruciſque geſtationem; eumdem Chriſtum omni tempore ſequi. Hac autem de re vir tantus in hæc pauca loquitur verba. *Quotidie credens in Chriſtum tollit crucem ſuam, & negat ſeipſum.* Tandem magis infra concludit, quòd nos hanc veritatem callentes teneamur per amplexum crucis nos metipſos non perſecutionis, & martyrij tempore ſolùm, verùm etiam omni in conuerſatione, in quacumque cum alijs colloquendi occaſione, cogitatibus, verbis, & operibus; hanc autem ſuam concluſionem his proprijs complectitur verbis. *Quod ſcientes non ſolùm perſecutionis tempore, & neceſſitate martyrij, ſed in omni conuerſatione, opere, cogitatione, & ſermone negamus nos metipſos.* Per quod aſſertum huius paragraphi deſtinatio optimè declaratur, confirmatur ſupra adducta ſimilitudo, magiſque comprobatur obligatio, quam ſolliciti, prouidique habent Prælati, hanc ſuos veritatem diſcipulos conſtanter docendi, & inculcandi.

S. Hier. to. 3. epiſt. 151. ad Aglaſiã Nob. fœminam.

Infra.

Reſumamus iam, & recapitulemus Sanctorum ſuperiùs adductorum Patrum ſententias, loquendique modos (fiat licet cum aliqua repetitione) vt meliùs percipi poſſit, quid imprimis ſit Crucem ſupra ſe ſumere. Deinde quid ſit ad imitationem Chriſti Domini indeſinenter, dieſque in ſingulos,

horaſ-

Digitized by Google

horaſque abnegare ſeipſum. Poſtremò quo ſenſu intelligenda verba Pauli Apoſtoli, quibus honori ſibi ducebat, quòd ſine vlla temporis intermiſſione ſuam amplexus ſit Crucem. Incipiendo itaque à verbis Diui Ioannis Chryſoſtomi, certum eſt, per ea optimè explicari, qua ratione in abnegatione noſtri ipſorum ſedulos, & indefeſſos nos eſſe oporteat: Per eam namque id graphicè depingitur, quod cum ſuis inimicis (potiſſimùm ſi potentes ſint) reapſe dimicanti vſu venit.

Talis enim homo totam ſuam animi intentionem, omnem curam, atque induſtriam, totam ſuam mentem, & robur, vireſque impendit, vt ſuos offendendo hoſtes ſe ab eis defendat, tranſmiſſo quocumque ad alia diuerticulo, atque auocamento. Ex iiſdem præterea relati Sacri Doctoris verbis diſcere licet, qualiter inimici animarum noſtrarum cupiditatibus, effrænisque, quos in nobis aduertunt, animi motibus vtantur ad mouendum contra nos bellum, quo nos præcipuè petant. Quocirca non iniuria Sanctus Hieronymus inquit, nos obtinere victoriam, ſi abnegemus nos metipſos, noſtroſque illicitos cogitatus, verba, & opera figamus iugiter Cruci, talemque crucem eſſe arma, & ictus, quibus ignaui conficiuntur inimici noſtri, & cuncta eorum, quæ erigunt contra animas noſtras, euertuntur machinamenta, fraudumque architecturæ. Vt autem clariùs perſpiceremus hanc victoriam ab aſſiduo, quod per coercitionem appetentiarum noſtrarum nobis inferimus, pendere bello, idcircò conſtituit hic Sanctus Doctor perfectum Ieſu Chriſti imitamentum in hac forma Crucis, & abnegationis ſui ipſius. Per eiuſmodi enim ſtudium, atque exercitationem noſtri cogitatus, verba, & opera à vitijs, quo corruptela naturæ, & immoderata libertas, vitæque licentia identidem nobis ſufficiunt, expurgantur, atque ſimilia euadunt operibus noui hominis, qui eſt aſſertor libertatis noſtræ Chriſtus Ieſus. Idcircò poſtquam Hipponenſis Antiſtes dixerat, priuatam cuiuſque Crucem non materialem, ſed incorpoream eſſe, quæ aliud non eſt, quàm firmum propoſitum, conſtanſque voluntas, vitam omneſque eius actiones conformandi vitæ, & operibus Præceptoris noſtri Ieſu Chriſti; his inquam priùs dictis (vt meminimus) demum concludit, totam perfecti hominis vitam, ſi Euangelio, eiuſque auctori conformetur, iugem Crucem, atque Martyrium eſſe. Tandem Doctor Mellifluus ſigillum imprimit ijs, quæ præmiſimus,

Digitized by Google

noſque paternè exhortatur, vt non ceſſemus toto vitæ noſtræ curriculo ferre Crucem noſtram, ſed in ea ferenda inſtar Chriſti perſeuerantes, aures deſcenſum ſuadentibus non præbeamus: nam vt cautè hoc in tanti momenti negotio nos geramus, opus eſt cum perſeuerantia amplecti eam vſque ad mortem.

De Cœlo demiſſus mortalium inſtructor, Chriſtus Dominus ſummam eorum, quæ frequenter de Cruce, & abnegatione ſui docuerat, initurus, hanc ex pluribus dictis ſuis excerpſit, & ſtatuit regulam, qua decernebat, Crucem ab vnoquoque (prout oportet) iugiter eſſe ferendam, quæ eſt id, quod vnuſquiſque ex inſtituti ratione, in quo viuit, & pro habitudine, in qua ſe comperit, magis neceſſum habet, magiſque ad animæ ſuæ profectum conferre poteſt. Hoc ſtatuto, ipſi etiam Sacri Inſtructores, atque Prælati inſtituuntur, quid ipſis facto opus ſit, & eſt, vt in regimine ſuo ad maius vniuſcuiuſque in particulari bonum reſpicientes, eorumque animę neceſſitatibus admouentes remedium, ſimul tamen non negligant oculos aduertere ad bonum commune, ad decorem, & perfectionem Eccleſiæ, quæ dependet ex decore, & perfectione partium, variorumque membrorum, ex quibus ipſa componitur, atque conflatur.

Conficitur proinde, prudentibus, accuratiſque Prælatis in executione huius conſilij primum Paſtorum Archetypum, perlectoſque eiuſdem æmulatores eſſe imitandos, pro certa tenentibus regula, Prælatum, qui in traditione doctrinæ, ſuoque regimine communiter reſpicit ad obligationes, & ad finem proprij inſtituti, necnon ad obſeruantiam Regulæ, & Conſtitutionum ad litteram, curamque gerit, vt quilibet ſubditorum ſuorum indeſinenter ſuam, quæ legibus continetur, baiulet Crucem, Prælatum, inquam, hæc non ſegnitet exequentem eſſe illum, qui meliùs omnibus ſuo ſatisfacit muneri, omneſque boni Paſtoris explet partes, vitamque monaſticam ad perfectionem promouet tam ſuæ, quàm animæ ſubditorum ſuorum. Tale conſilium dedit Chriſtus Dominus legis perito, qui, cùm rogaret ab eo, quid faciendum ſibi foret, vt vitam conſequeretur æternam, tale ab ipſo tulit reſponſum. *In lege quid ſcriptum eſt? quomodo legis? &c. Hoc fac, & viues.* Intento animo, qua teneris, perlege legem, ſenſumque verborum eius, & quæ præcipit, percipe bene, cuius iuſſa bene

intel-

intellecta, ſi feceris, eorumque obſeruatu abnegaueris temetipſum, tum ſatisfacies debito tuo, & vitam aſſequeris æternam. Vt obſeruemus, hic nos admonet locus, Chriſtum Dominum legis perito dicentem, quid facere deberet, eumdem pariter inſtruxiſſe, quid ab eo diſcipuli paribus obligationibus obſtricti, eſſent docendi, quibuſque conſilijs impertiendi, vt per hoc nobis inſinuaretur, quod, quidquid Prælati proprijs legibus obſequentes lucrantur, id etiam cedat in bonum, & vtilitatem diſcipulorum, & ſubditorum ſuorum. Ah Deus bone! quàm ſæpe in vertendo rotam regiminis magni committuntur errores ex defectu, quòd oculi non bene aduertantur ad hoc tam indubitatum pronunciatum, quod eſt, vt vnuſquiſque iuxta vocationem ſuam per amplexum Crucis, & abnegationem ſui ipſius, omnem nauet operam, curamque ſingularem intendat leges exactè ſeruandi, ſuique inſtituti partes omnes explendi.

§. & Conſilium X.

De efficacitate, & fructibus, qui ex doctrina, quæ de Cruce, & abnegatione ſui traditur, percipiuntur.

PRælatis non ita facile, & promptum eſt, conſtanter operam dare doctrinæ de Cruce, & abnegatione tradenda, vti hoc ipſum non parum operoſum fuit ipſimet Seruatori noſtro & Apoſtolis eius, quibus hæc occupatio, haud leui ſtetit labore. Ex quibus Paulus Apoſtolus non victus hac difficultate laudi ſibi vertebat, ſe aliud non docuiſſe, quàm Ieſum Chriſtum, eiuſque Crucem, & quidem non verbis tantùm, ſed etiam, quæ paſſim ab alijs in ipſo videbantur, operibus, & quæ in varijs epiſtolarum locis memorat ſuis pro exemplo diſcipulis. Huius rei gratia denudabat ipſis etiam ſuos animi affectus, motùſque internos, quibus opera Crucis vniebatur Domino ſuo, ſimilis ei factus, totuſque transformatus in ipſum: ad hoc autem faciendum ea cauſa adducebatur, quia perfectè expediebat efficaciam, præſtanteſque huius doctrinæ fructus, nec fugiebat ipſum, hac omnes alias, quæ vſui eſſe poſ-

Digitized by Google

poſſunt, complecti Doctrinas, ipſamque in alijs oportere eſſe incluſam, vt fructuoſæ euadant. Et quoniam in comperto eſt, hunc in Eccleſia Apoſtolum à Deo animarum Paſtoribus, Sacriſue Rectoribus eſſe propoſitum, & conſtitutum in prototypum, normam, & exemplum, idcircò Rectores eiuſmodi meliùs facere non poſſunt, quàm ſi ſe ipſi in modo regendi conforment, & actiones eius pro poſſe æmulari conentur. Inter cætera verò, quæ in eius perfecto agendi modo digna ſunt obſeruatu, hoc vnum eſt, ipſum non multùm curaſſe, aut hac de cauſa malè eum habuiſſe, quòd frequentiùs eamdem inculcarit doctrinam. Et licèt hoc ſatis conſtet ex omnibus eius ſcriptis, in quibus videre licet id, de quo potiſſimùm loquitur, aliud non eſſe, quàm Crucem, & abnegationem ſui ipſius; hoc tamen luculentiùs patet ex eius epiſtola data ad Philippenſes, vbi non ſolùm decorum, ſed etiam volupe ſibi ducit, quod varijs in occaſionibus, Scriptura, & verbo eandem iteratis vicibus repetat ipſis Doctrinam, conteſtando, ſe idcircò hoc facere, quia cenſet, hoc ipſis omnino neceſſarium eſſe ad eorum animarum profectum, vnde ſic inquit. *Ad Philip. 3. v. 1.* *Eadem vobis ſcribere, mihi quidem non pigrum, vobis autem neceſſarium*. Ad ingenerandam deinde ipſorum animis maiorem adhuc de doctrina Crucis, & exercitio abnegationis ſui ipſorum æſtimationem, ſuadet magis infra ijſdem, ſibi caueant ab illis, qui, cùm non ſint, Magiſtros tamen Euangelicos ſe eſſe gloriantur, certum autem, & indubitatum, ex quo eorum falſitas deprehendi poteſt, ſignum hoc eſſe aſſignat, quòd ſint inimici Crucis Chriſti, adeòque doctrinæ Crucis, & Euangelicæ abnegationis, hoc eius ſignum his conſtat verbis. *Ibid. v. 18.* *Multi enim ambulant, quos ſæpe dicebam vobis (nunc autem & flens dico) inimicos Crucis Chriſti*. E contra veri Apoſtoli doctrinam Crucis, & ſemper habuere, & in ore habere, ac opere exercere ſemper tenentur. Prælati itaque huius ſtudio tradendæ Sancto Zelo doctrinæ incumbentes firmiter credant, ſibique certò perſuadeant, ſenſus repugnantiam, atque dolorem, quam illis (quibus conſulent, ſe iugo Ieſu Chriſti ſubmittant) in principio creabunt, cum tempore vertendam eſſe in iucundum animi ſenſum, ſatisfactionem, verumque ſolamen. Et hac de re Miniſtros Euangelicos dubitare non ſinit illa affectu plena Reparatoris noſtri vocatio, quo ad ſe vocat operi incumbentes, & onere graues, ipſiſque paternè offert, veram ani-

mæ

mæ pacem, & quietem ea tamen conditione, qua ſe iugo Crucis ſubijcere, & Dominum ſuum in lenitate, & modeſtia animi imitari velint ex corde. Hanc autem ſuam perofficioſam delationem facit his verbis. *Venite ad me omnes qui laboratis, & onerati eſtis, & ego reficiam vos. Tollite iugum meum ſuper vos, & diſcite à me, quia mitis ſum, & humilis corde, & inuenietis requiem animabus veſtris: iugum enim meum ſuaue eſt, & onus meum leue.* Super quæ verba Diuus Bernardus non inſcitè ſic inquit. *Tu ergo times deficere, vbi ſe veritas reficere te promittit.* *Matth. 11. v. 28.* *S. Bern. epiſt. 106.*

Multùm ergo falluntur illi, qui ſub huius Sancti exercitij onere cadere timent, cui ſubſtantibus prima, & infallibilis veritas fultura ſuæ opis, & gratiæ veram pollicetur requiem. Bizantij aureæ facundiæ Præſul (Diuo referente Thoma) eundem explanans textum ſolerter aduertit, Chriſtum non nudè dixiſſe, ſeruabo vos, ſed quod amplius eſt, refocillabo vos, & in omni tranquillitate, ac pace vos conſtitutam, atque firmabo. Hoc claret ex his tanti Oratoris verbis. *Non dixit: Saluabo ſolùm, ſed quod multò ampliùs erat, reficiam vos, id eſt, in omni quiete conſtituam.* Potiſſimus ergo huius conſilij ſcopus, & deſtinatio eſt, planum facere, qua ratione hæc duo, quæ Diuinus Præceptor in ſuo nos Euangelio docet, rectè valeant cohærere: vno namque in loco inquit, ad ſui ſequelam opus eſſe, noſtram tollere Crucem, & aſſiduè abnegare nosipſos, ſtrictamque viam eſſe, quæ ducit ad vitam. In alio verò loco affirmat, iugum ſuum ſuaue eſſe, & onus leue. Hæc ergo duo ſimul non impatibilia eſſe, mens eſt, hoc loco perſpicuum facere, vt Magiſtri Sacrique Moderatores ſanè intelligentes hæc ad ſpeciem paradoxa, non cadant animo, ſi quandoque ſuos diſcipulos propter doctrinam, carnis commoda non probantem, aduertant indoleſcere, & affici tædio, ſed firma animi confiſione præſtolentur fructum, quem cœleſtis Magiſter ipſis promittit, ſi ad ſui imitationem perſeueranter inſiſtant huic fructuoſæ doctrinæ, & prædicandæ, & opere exercendæ. *D. Th. in cat. aurea ſuper hunc locum ex Diu. Chryſoſt.*

Mouit olim Rabanus hac ſuper difficultate quæſtionem, motamque breuiter, & ſententioſè ſibi ipſi his verbis reſoluit. *Sed quomodo iugum Chriſti ſuaue, cùm ſupra dicatur: arcta eſt via, quæ ducit ad vitam? ſed quod anguſto initio incipitur, proceſſu temporis ineffabili dilectionis dulcedine dilatatur.* Qua ratione iugum Chriſti eſt leue, atque ſuaue, cùm tamen idem libertatis noſtræ vindex in Euangelio ſuo edicat, id eſſe durum, & graue. Vim *Rabanus, vt in cat. aurea D. Thomæ ſuper 11. Matth.*

verò

Digitized by Google

verò huius obiectionis cenſet eneruari mox fatus auctor, ſi dicatur, id, quod initio videtur actum, cum tempore ampliari, & largius fieri, ac dulce euadere, propter amoris Dei dulcedinem, qui arctæ inſiſtendo viæ acquiritur, cui proprium eſt, omne operoſum reddere leue, & facile, & quidquid amarum, & inſipidum eſt, indulcorare. Cur iugum mortalium ſit graue, accuratè expendit Gregorius, & ſuam hac ſuper re mentem his nobis facit perſpicuam verbis. *Aſperum quippe iugum, & duræ, ſicut diximus, ſeruitutis pondus eſt, ſubeſſe temporalibus, ambire terrena, retinere labentia, velle ſtare in non ſtantibus, appetere quidem tranſeuntia, & cum tranſeuntibus nolle tranſire. Dum enim contra votum cuncta fugiunt, quæ priùs mentem ex deſiderio adeptionis afflixerant, poſt ex pauore amiſſionis premunt.* Oneroſum (vult Sanctus dicere) iugum eſt, & dura velut mancipiorum conditio, varietatibus, viciſſitudinibus, & diſparitatibus huius vitæ ſubiectum eſſe, anguſtiæque, ac perturbationes, & inquietudines ambitionis terreſtria anhelantis ſunt oppidò magnæ; in promptu cauſa eſt; quia nos miſeri mortales volumus firmare, ſtabileque efficere, quod ex ſe fluxum, & inſtabile eſt. Cupimus propterea, vt non deſtituamur firmitudine, atque conſtantia, vniti interim, & connaturales quaſi facti rebus ambarum expertibus. Sumus denique corde affixi cum tempore tranſeuntibus, & tamen cum illis tranſire non volumus. Illud pro certo tenendum eſt, quod de temporalibus magiſtra nos docet experientia ſcilicet, illa dilabi, & diſparere nobis nolentibus, & quæ needum habita ob impotentem ea habendi cupidinem nos afflixerant, habita deinde, æquè ex timore nos cruciant, quo iacturam eorum facere formidamus. Ex quibus promptum colligere eſt, quantus cruciatus vſui rerum temporalium ſit annexus, quibus cum miſera vita noſtra æquè tranſit, atque producitur, quàmque res operoſa ſit, eorum via ordinaria effugere, & declinare faſtidia, quoadvſque hanc trahimus vitam. Idem onus, & modum, quo Chriſtus ſe offert ad illud facile, & leue reddendum Diuus Bernardus pertractat, & ſuper ijs ſic loquitur. *Laborantes ad refectionem inuitat, ad requiem prouocat oneratos, non tamen interim onus ſubtrahit, aut laborem, magis autem onere alio laborem commutat, ſed onere leui, ſuaui iugo, in quibus requies, ac refectio, etſi minùs appareat, tamen inuenitur.* Aduocat opere incumbentes ad conferendum ipſis refectionis ſuæ leuamen, viamque monſtrat, qua valeant inuenire

D.Greg. 30. Moral. c. 12.

Bernard. ſuper Pſ. Qui habitat. Ser. 15. in princip.

uenire

Digitized by Google

uenire quietem. Monet autem hic Sanctus, vti accerſiti non indiligenter aduertant, eos hoc inuitatu non omni eximi onere, atque labore, ſed pondus, atque laborem in alia permutari: differentia autem, vel melioratio in hoc conſiſtit, quod huiuſmodi onus mutetur in leuius, minùſque durabile, cauſa huius eſt, quia iugum, cui per Euangelicorum ſequelam documentorum noſipſos ſubmittimus, eſt dulce, & ea non ingratum ratione, quia fertur non in conſortio carnis, mundi,& Diaboli, ſed in comitatu Redemptoris noſtri Ieſu Chriſti,operam ſuam conſociantis nobis, qui fons, & origo eſt omnis ſatisfactionis, veræque quietis. Et quamuis alleuiatio hæc quandoque non videatur, vel appareat, nec ita ſubitò ſentiatur, foris præcipuè, diſcimus tamen experimento eos, qui illi nanciſcendæ perſeueranter inſiſtunt, illam hac via conſequi tandem, & bona cuncta cum illa.

Diſcrimen ergo, quod inter pondus, & onus eorum, qui Mundum, & ſenſibilia, materialiaque, quæ in eo ſunt, bona eo fine ſequuntur, vt inde aliquod hauriant leuamentum, & inter onus iugi Ieſu Chriſti, cauſaque, quibus dulce, & facile redditur, intercedit, conſiſtit in hoc, quod in primo, cùm totum materiale, & ſenſibile ſit, aliud non inueniatur alleuamentum, quàm quale ſenſus, & pars ſectantur inferior, quod, cum purè externum, & ad intra ſe non extendens quid ſit, idcircò res modicæ durationis eſt, & exiguam conferens ſatisfactionem. Pondus verò fugi liberatoris noſtri, cum ab intus ſe teneat,& vſque ad fundum animæ (vbi præcipuum afflictionum, malorumque noſtrorum radices hærent) penetret, ea propter magno opus eſt animo, & heroico corde, vt quis digna ſatisfactione, & quiete potiri valeat, quæ opera iugi Ieſu Chriſti debitè *baiulati* concedi ſolent. Hic enim tam pretioſus confertur nobis in interiori hominis parte, & ſuprema animæ portione theſaurus, quæ ægriùs expleri, & in ſatisfactione conſtitui poteſt.

Hanc, quam perſequimur inter ſequaces Mundi, & Chriſti, amborumque labores, atque leuamina differentiam, non parcè nobis ob oculos ponit Apoſtolus Paulus, dum magnam inter miſerias apparentes, & veraces mortalium diſparitatem faciens, mentis eſt, iuſtos quaſi ſemper triſtes videri, cum nullo non tempore circumſtentur rebus, cauſiſque mundanis mæſtitudinem afferentibus, re tamen ipſa eos ſemper lætos, &

 hilares

Digitized by Google

2.Cor.6.v.10 hilares eſſe. *Quaſi triſtes, ſemper autem gaudentes*, prout erant Apoſtoli inter offenſiones, atque iniurias, quas hilari animo Chriſti tolerabant amore. Affirmat inſuper, eoſdem pauperes eſſe, ſi temporalia, diuites verò, ſi bona ſpectes interna, & ad alios his bonis ditandos admodum validos. *Sicut egentes, multos autem locupletantes*. Hac de cauſa (eodem teſte) omnia poſſidebant, vt magis infra fuſiùs oſtendetur, *tanquam nihil habentes, & omnia poſſidentes.* Per hæc verba Apoſtolicorum opes virorum denotantia potior pars Doctorum, & Patrum diuitias animæ duntaxat denotari exiſtimant; Alij tamen cum Ioanne Chryſoſtomo volunt per ea intelligendas etiam eſſe diuitias temporales, cuius hanc rationem aſſignant, quia Apoſtoli, & Apoſtolici viri poterant de terrena aliorum ſubſtantia quandoque diſponere, & in varijs, quibus ſi premebantur, neceſſitatibus, diſponebant, idque non coactam, ſed vltroneam ſubmiſſionem, atque reſpectum, quo ipſis opulenti deferebant. Gregorius Magnus, vt lumen nobis ſufficeret, quo capere poſſemus, qua ratione hoc paradoxum, rerumque ſpecie tenus ita contrariarum, & diametro repugnantium conciliatio fieri poſſit, (quod nec ipſi idololatræ vllatenus aſſequi potuere) quale illud eſt, vt vnus gaudeat inter deſpectus, videatur mortuus, & ſit viuus, pauper exiſtat, & tamen totum vnà poſſideat, vt, inquam hæc peregrina mens noſtra perciperet, hac verborum lampade nobis lumen proferre voluit citatus moraliſſimus Doctor. *Super ſe interiùs rapti, in alto animum figunt: & quæcunque in hac vita patiuntur, quaſi longè infra labentia, atque à ſe aliena conſpiciunt, atque, vt ita dixerim: dum mente extra carnem fieri decertant, penè ipſa, quæ tolerant, ignorant*. Vult ergo hic Sanctus, hos, qui tales ſunt, viros hæc ideo poſſe, quia dum intrinſecùs ſupra ſe ſublimati cor rebus ſe altioribus, atque ſupernis admouent, inibique affixum tenent, hoc, quod in mundo ſufferunt, quaſi à longè, & inſtar rei citò tranſeuntis, & externa in apparentia propemodum euaneſcentis reſpiciunt, ipſos enim in eo, quod caput eſt, non contingit. Idcircò excelſitate animi, & luce cæleſti illud reſpicientes, quaſi damnum ad ſe non pertinens deſpicatui habent, & nihili faciunt, verbo, vt eloquar, dum toti intenti ſunt, vt victoriam ſtrenuè dimicando reportent, carniſque effrenatis appetentijs ſuperiores euadant, de ijs, quoad his occupatis, atque immerſis, non ex vano aſſeri poteſt, eos propemodum ignorare, & illius neſcios eſſe,

S. Greg. 7. moral. c. 15. in princ.

ſe, quod ab infra poſitis tolerant. Hic Diui Gregorij arbitratus firmari poteſt ex eo, quod iis vſuuenit, qui indignatione abrepti inter ſe actu decertant. Eiuſmodi enim homines tametſi cruenta vulnera, ictuſque mortales recipiant, pro tunc tamen ea non ſentiunt, quia anima eorum tota defixa eſt primariæ deſtinationi, quæ eſt vitam tueri. Quod ergo hoc in euentu naturalis poteſt affectio, negari non debet, quin Dei propriæque beatitatis amor id potiore ratione præualeat. Ad meliorem huius rei, quæ non leuis momenti eſt, captum non parum iuuat Caietani doctrina, qui ſuper vltima loci ex Sancto Paulo citati verba, quæ ſunt: *Nihil habentes, & omnia poſſidentes,* affirmat, rerum Superioris, & altioris ordinis poſſeſſores poſſidere pariter omnes alias ad inferiorem ordinem pertinentes, illiſque ſubiectas; Hæc eius aſſertio his conſtat verbis. *Poſſidentes ſumus omnia temporalia in ſe ipſis quidem ſpe &c. in eminentioribus verò actu: quoniam poſſidemus actu omnia ſpiritualia, quibus ſubijciuntur omnia temporalia.* Viri proinde Apoſtolici, dum naturam ſupergreſſa, & diuina poſſident bona, quæ corporea, & temporalia multùm tranſcendunt, poſſident in ipſis eminenti modo omnia, atque adeò in rebus altioris ordinis potiuntur, & percipiunt omnes rerum temporalium fructus, atque effectus. Idem deinde auctor vt meliùs ſe explicet, affert exemplum de intellectu comparatè loquendo adſenſus corporeos, & hoc philoſophatur modo. *Sicut enim habens intellectum, habet quidquid eſt viſus, auditus, odoratus, guſtus, & tactus, ita poſſeſſor Spiritualium eſt poſſeſſor omnium corporalium. Teſtatur quoque experientia, quod poſſeſſoribus ſpiritualium ſubijciuntur Principes, & quæcunque ſunt corporalia, vt patet legenti geſta Sanctorum.* Quidquid ſenſus externi præſtant materialiter, totum hoc operatur, & aſſequitur intelligentia eminenter, propter certum quendam, quem per ſenſus internos, & à materia abſtractos habet agendi, & operandi modum, ita vt ſenſus interni reſpondentes externis de horum iudicent obiectis, hoſque propter illorum obiectum bonum vſum omnimodè excedentes conferunt principali hominis parti ſatisfactionem magis eminentem, magiſque perfectam: totum enim, quod in externis eſt ſparſum, & imperfectum ſenſibus, in intellectu eſt collectum, & adunatum, & quidem cum fœnore eminentioris perfectionis. Hoc exemplum multùm in rem eſt, & ad illius captum non parum conducit, quod comparatè ad res materiales, ac tempora-

Caietan. ſup. c. 6. 2. Cor. ad illa verba & omnia poſſidentes.

Ibidem.

Digitized by Google

porales loquendo vniuersè contingit in incorporeis, rebuſque partis ſuperioris reſpectu inferioris. Quod Caietanus per allatum exemplum dixit de intellectu, idem intelligendum etiam eſt de voluntate, cuius actiones eumdem exceſſum, & eminentiam obtinent ſuper motus, & affectiones facultatis appetendi inferioris: quia ſublimioribus, quæ materiæ expertes ſunt, regulis gubernantur. Et per hæc fit captu facile illud centeſimum pro vno, quod Deus propter oblectamenta, ſolamina, bonaque præſentia, quæ amore eius neglectui habentur, in hac vita concedit. Notetur autem nos hic non agere de primore illo, principali, pretioſoque theſauro, qui eſt charitatis, & gratiæ in anima, cuius præmium eſt clara Dei in ſua beatitate viſio, ſed fructus, & effectus ſolummodo temporales perſequimur, quibus iuſti intuitu charitatis, & gratiæ, ac ſequelæ doctrinæ de Cruce, & abnegatione in hac vita potiuntur, & perfruuntur. Hæc veritas in varijs Sacræ Scripturæ, & Hiſtorijs, & Textibus nobis adumbratur. Auguſtini ex hæreſi ad frugem reductor Ambroſius auctor eſt, eiuſmodi Crucem, vnà miris cum fructibus doctrinæ, qua de loquimur, eſſe figuratam in ligno à Moyſe aquis immiſſo, quas filij Iſrael in Mara guſtui ſenſerunt inſipidas, atque amaras, quarum ergo cùm populus murmuraſſet de Moyſe, ipſe recurſum ad Deum habens, efflagitauit ab eo huius mali remedium, datum non fuit aliud, quàm oſtenſio partis cuiuſdam ligni, quod aquis immiſſum non ſolùm omnem ademit amaritudinem, verùm etiam aquas in dulciſſimas, ſapidiſſimaſq; conuertit. Non dixit ergo malè in hæc verba locutus Ambroſius. *Aquam amaram in Mara legem eſſe arbitror veteris teſtamenti, quæ lex priuſquam Cruce temperaretur Domini, erat immitis: iubebat enim oculum pro oculo, dentem pro dente dari, & velut auſtera nullum miſericordiæ refrigerium porrigebat. At verò vbi ligno Euangelicæ Paſſionis eſt temperata ſtatim amaritudinem ſuam commutans, dulcem ſe cunctis præſtitit ad potandum.* Pulmentum illud, quod (referente Regum hyſtoria) ex colocinthide coctum præ amaritudine mandi non poterant, dulce reddidit magnus ille Propheta Eliſeus non immiſſo ligno, vt Moyſes, ſed intrita iuſſu eius farina. Huius farinæ in ſenſu allegorico ſumptæ vim declarat nobis Doctor Mellifluus in hæc verba. *Nulla eſt tanta amaritudo, quam non prophetica farina dulcoret, quam non ſapidam reddat ſapientia lignum vitæ.* Nulla datur tanta amaritudo

S. Ambr. to. 5. ſer. 32. qui eſt 5. Dominicæ 1. Quadrag. ex 15. Exod. 23.

S. Bern. ſer. de conuerſ. a. Cleric. c. 30

Digitized by Google

do in orbe, quam ſapientia, claritaſque Diuina in arbore vitæ incluſa, non reddat ſuauem, & guſtui placitam. Idem deinde melleus Doctor à nobis ſupra firmata paucis complectens, & approbans, hæc pulchra, præ oculis nobis ſemper habenda, ex dulci mentis ſuæ alueario depromit verba. *Sit tibi Ieſus, ſemper in corde, & nunquam imago Crucifixi ab animo tuo recedat. Hic tibi ſit cibus, & potus, dulcedo, & conſolatio tua, mel tuum, & deſiderium tuum, lectio tua, & meditatio tua, oratio tua, & contemplatio tua, mors, reſurrectio tua.* De magnitudine huius occultæ dulcedinis, & de ſatisfactione interna, quæ in iuſti cum Chriſto Crucifixi, & Euangelici pauperis corde percipitur; de magna præterea conſolationis in anima exuperantia, quæ non niſi per doctrinam Euangelicam, per firmam fidem, & per experientiam Crucis, & abnegationis ſui ipſius pernoſcitur locutus Propheta regius, admirans dixit. *Quàm magna multitudo dulcedinis tuæ Domine, quam abſcondiſti timentibus te.* Hoc pariter eſt manna abſconditum, quod nemo plenè perſpectum habet, niſi qui accipit, prout Chriſti Diſcipulus in ſua Apocalypſi his teſtatur verbis. *Vincenti dabo manna abſconditum &c. quod nemo ſcit, niſi qui accipit.* Hic etiam vnus callet, eiuſmodi dulcedinem plerumque augeri, vel minui pro modo perpeſſi cruciamenti parui, vel magni, vt auctor eſt Pſaltes regius. *Secundum multitudinem dolorum meorum in corde meo conſolationes tuæ lætificauerunt animam meam.* Pro clauſula huius paragraphi non abs re eſſe videtur, ſi duas per claras, captuque faciles ſimilitudines planum faciamus, qua ratione in abnegatione noſtri ipſorum, Crucíſque amplexu ſitum eſſe poſſit proprium quoddam commodum, ſacrumque animæ, compendium, verùm etiam magnum ſolatium, animique expletio, vti hic ſupra meminimus. Deinde qualiter moleſtia abnegationis ſui ipſius, ad quam Prælati ſuam forInſecùs operam conferunt, modici eſſet profectus, ſi ſubditus cui infertur, ea tanquam inſtrumento cauſtico vti non vellet ad ſacram ſibi inurendam cauterij plagam, eiuſque opera valetudinem comparandam.

Idem in formula honeſtæ vitæ in princip.

Pſal. 30. v. 20

Apocal. 2. v. 17.

Pſalt. 93. v. 19.

Aloe medicamentum catharticum (quo veteres paſſim vti ſolebant) talis conditionis eſt, vt quandiu in ore vel ſtomacho retinetur, nauſeam, non rarò etiam reiectionem prouocet, poſtmodum verò non ſolùm malum, qui in ore ægri aſſuetum creat faſtidium, humorem adimat, verùm etiam morbo, qui ægrum turbat, inquietat, varijſque moleſtijs, & do-

lori-

loribus afficit, nonnunquam etiam mortem accerſit, liberet, atque expediat, perfectam denique, quam ſecum portat, ſanitatem reſtituat, quin imò etiam ſatisfactionem, & guſtum conferat, non pro tempore ſolùm, quo amaritudo durat in ore, & ſtomacho, verùm etiam per longum ſubſequens temporis ſpatium. Crux Euangelica, vitæque rigor parit etiam in homine Apoſtolicè viuente multiplices ijs, quos aloe producit in corporibus, haud diſſimiles effectus: quia licèt modico tempore repugnet ſenſui, poſtea tamen mirificos veræ conſolationis, & ſatisfactionis, longo durantes tempore, primiſque longè excellentiores poſt ſe relinquit effectus. Altera ſimilitudo vſui erit ad explicandum, veram pacem, tranquillitatem, perfectamque, quæ intus percipitur, ſatisfactionem ab homine baberi non poſſe, niſi ſibi continuum indicat, & inferat bellum, totumque hominis bonum præſens, & futurum ab hoc pendere bello. Et hocce documentum à Prælatis, & Sacris Magiſtris recipiendum, magni faciendum, alijſque tradendum eſt, ſi qua ex parte frui cupiant fælicitate, quoad eius in hac adhuc vita frui poſſunt. Hæc comparatio ſufficienter manifeſtat, repuguantiam ſenſuum, affectum, & propenſionum vnius eiuſdemque hominis, partes quaſdam in ſe ſibi inuicem aduerſantes habentis; & qualiter huic malo remedium admouere, & curationem adhibere oporteat, non ſine id patientis aliquo Cruciatu, & dolore: omnes namque, quibus patiens conſtat, partes ſunt ipſi intimæ, aut coniunctæ. Et hoc manifeſtè videre licet, in vnius corporis apoſtemate, quod ex eadem ſubſtantia, atque humoribus gignitur, quibus pars læſa ſuſtentatur. Eiuſmodi autem humores ipſi proprij, & intimi ab intemperantia, & exceſſu procreati, euadunt demum iurati corporis inimici, & niſi tempeſtiuè admoueatur remedium, illud demum penitus deſtruunt, atque conficiunt. Compertum verò eſt, partem læſam hoc in caſu à ſuo domeſtico aduerſario vindicari non poſſe abſque dolore, & inciſionis, vel cauterij tam patienti contrarij, & non modicum ſecum afferentis Cruciatum incommodo, ita vt idem cauterium, quod ipſum dolore afficit, & offendit, demum ſit, quod ipſum à ſuo inimico domeſtico liberat, ſanitatemque reſtituit. Quapropter modica cum moleſtia, breuiſque durationis dolore illud magnis moleſtijs, grauiſſimiſque doloribus eximit, taliter quidem, vt propter hanc exiguam vexationem

cor-

Digitized by Google

corpus magna, & longa potiatur incolumitate, imò quandoque etiam ipſam vitam redimat tam parui tolerantia Cruciatus, vt quotidiana nos docet experientia. Ex quibus videre licet, quàm neceſſarium ſit cor noſtrum exlex, & ſenſus appetentijs, contrarijſque animi refertum affectionibus per abnegationem ſui, quaſi per cauterium incidere, vt ab omni ſeruetur intactum & læſione, & corruptione. Deinde ex præmiſſis pariter inclaret, ſanitatem vitamque Spiritus acquiri, & conſeruari in homine non poſſe, niſi opera huius materiæ exortis cauterij, harumque tolerantia moleſtiarum, atque dolorum. Exinde vltra compertum eſt, quàm neceſſarium ſit, vt his ictibus homo ſe feriat, ſibique has tamen ſalubres plagas infligat, facta ſuppoſitione, quòd ex partibus ita ſibi inuicem contrarijs conſtet. Poſtremò in aperto etiam eſt, fieri non poſſe, vt quis præcipuum conſeruet, niſi patiatur in eo, quod inferioris momenti eſt. Conſit tandem ex omnibus, vſum & continuum huius doctrinæ exercitium permagni referre, ſacriſque Rectoribus, atque Magiſtris perneceſſarium eſſe, eoſdemque proinde docere, vt commiſerationis ſenſu tangantur, ſeque conſortes moleſtiarum ſubditorum per leuamentum præſtent, dum querimonias, & dolores illorum aduertunt, quibus prædicatione, & correctione hæc inurunt cauteria.

§. & Conſilium XI.

Agitur de modo, quo à Prælatis inter bona, & mala ſubditorum opera diſtinctio facienda eſt, vt norint bonos iuſto afficere prœmio, malos verò condigna pœna.

NEc bona regendi ratio, nec ſacra de abnegatione interiore doctrina magnum operari poſſunt profectum, niſi pariter doceatur, pluris faciendum, maioreque in pretio habendum eſſe exercitium, vel culturam virtutum ſolidiorum quàm aliarum ſolidarum minùs, magiſque interiorum, quàm in ſummo patentium, & externarum, ne committatur defectus in dando vnicuique ſuum, qui ipſi debetur, meriti, & prœmij gradum pro modo maioris perfectionis ex parte merentis,

rentis, maioris verò ex parte regentis, ſtrictioriſque obligationis. Inſeruit hæc regula, vel menſura ad bonum tenendum ordinem, iuſtamque inter defectus, ac culpas proportionem ſeruandam, qui contra obligationes ritè inductas committuntur; quod tamen Prælatus implere neutiquam poſſet, niſi pœnæ ſubijceret malos, præmioque afficeret bonos, ſeruata tamen in vtroque iuſta ſemper, debitaque proportione, vt magis infra patebit. Nullus inficiatum poterit ire, quin mala, & damna, quæ ex defectu huius ſedulæ, exactæque curæ ſolent oriri, ſint magna, multoque in numero. Per huiuſmodi enim defectum rumpitur, atque diſſoluitur vinculum, beneque ordinata, quam virtutes inter ſe habent, commiſſura, atque connexio, & à qua ſuam ſortiuntur prrfectionem. Quod planum vt faciam, è re erit, ſi ponam exemplum in binis, vel ternis virtutibus, aut obligationibus, quibus viri Euangelicæ ſtudioſi perfectionis præ cæteris, & magis tenentur. Inter virtutes morales Modeſtia animi eſt illa, quæ noſtræ corruptæ naturæ appetentias imprimis componit, cuius muneris ratione radix obedientiæ eſt: Ipſa enim (Auguſtino teſte) nos proprio, quod obedientiam deſtruit, ſpoliat iudicio; per obedientiam verò perficitur deinde animi moderatio. Ex hoc autem mutuo, quem inter ſe habent, viciſſimque iuuantur, reſponſu conſequitur, vt vnà ambæ præcipuæ perfectionis, & animarum profectus cauſæ euadant. Ponamus itaque caſum, quod harum exercitium virtutum ſimul cum aliarum, tametſi bonarum, externarum tamen obſeruationum executione occurrat; exempli ergo, cum exercendo ſilentio, ieiunio, geſtatione cilicij, &c. Tum hoc in caſu certum eſt, quod bonus inter eas non ſeruaretur ordo, ſi haberetur maior æſtimatio harum, quàm illarum, vel ſi exercitium ſecundarum præferretur obſeruationi primarum. Hoc enim eſſet de virtutibus minùs ſolidis, minùſque præſtantibus maiorem facere æſtimationem, quàm de excellentioribus, eſſetque pluris facere virtutes externas, quàm internas, cùm tamen hæ plures valentiæ habeant, in refrænandis præcipuis animi motibus, ſintque radices, & cauſæ ampliorum bonorum. Ex quo conficitur, quòd foret notabiliter damnoſa in vno Superiore inuerſio, ſi in hac facienda differentia ſuos ſubditos non inſtanter inſtrueret, & ipſemet hunc bonum ordinem in cunctis occaſionibus non ſeruaret, & cuſtodiret.

Pono

Pono aliud exemplum. Si qua daretur religio, cuius finis, & Princeps obligatio, eſſet orationis, & contemplationis ſtudium, animique vteretur collectione, aſpero vitæ genere, pœnitentiæque rigore, vt hac viuendi ratione ad perfectam obſeruantiam, & exactam trium votorum, abnegationis ſui, veræ animi modeſtiæ, perfectæque charitatis, ſiue amoris Dei, & proximi impletionem pertingeret, negligeret tamen hunc bonum, tamque bene implexum, & ad comparandas ſolidiores, magiſque hoc inſtitutum ſequentibus conuenientes virtutes, ita aptum, ac proprium cuſtodire ordinem, neque curaret in danda doctrina, in præmiorum largitione, pænarumque inflictione, tenere dignam, quam tale inſtitutum poſtulat, proportionem, ſi, inquam, hoc faceret, clarum eſt, quod ſatis non foret, ad tale inſtitutum in ſua debita, ſolida, propriaque perfectione conſeruandum, tametſi ex altera parte conſeruaret nuditatem pedum, ieiuniorum leges, accuratamque ceremoniarum, aliorumque ex præſcripto virtutis factorum, externorum tamen operum exercitationem. Quod vt captu, & intellectu fiat facilius, notare oportet, habere orationem, & contemplationi ſtudere, non in eo tantùm verti, atque conſiſtere, quod ſit ſtatutum tempus faciendi orationem tacitam, vel ore prolatam, ſed in quo hoc ſtudium potiſſimùm conſiſtit, eſt, quod tam Prælati quàm ſubditi, perinde theoricè ſint admodum ſolliciti ad in hoc exercitio proficiendum, efficaciter remouentes, quidquid hoc ſtudium impedire, vel imminuere poteſt, omneſque ineuntes rationes, quæ ad hoc ipſum vſui eſſe poſſunt, hac tamen conditione, vt totum ordinetur ad acquirendas veras, ſolidas, internaſque magnæ abnegationis, modeſtiæ animi, perfectæ obedientiæ, charitatiſque bene ordinatæ virtutes, ita, vt quamuis multò æſtimanda, magnoque in pretio ſint habenda, alia bona opera Religioſo ſtatui vtilia,& condecentia, potiſſimùm tamen omnibus, quoad fieri poteſt, modis curandum, & promouendum eſt eorum operum exercitium, quæ magis conferunt ad bonum ordinem, & internam animæ harmoniam, Chriſtianæque, perfectioni magis conuenientia ſunt, & cuiuſque ſtatui propria magis. Omnes Sancti Patres, & Doctores huius momentum doctrinæ exactiſſima trutina ponderarunt, magni fecerunt, & ingentia mala, atque inconuenientia, quæ eo oriuntur caſu, ſi talis neglectui habeatur doctrina, vel ad opus

Digitized by Google

non deducatur, poſteris prodidere, quin imò iure merito non exiguo doloris ſenſu defleuere miſerias, quæ tali ex neglectu ſuo ortas tempore conſpexere. Diuum Bernardum in teſtem accerſo ita grauiter hac ſuper re elocutum. *Quidquid autem ab ijs diuerſum eſt, quamuis magis videatur, ſicut Corporis caſtigatio, ieiunium, vel vigiliæ, & ſimilia virtutis exercitia, quaſi ſecundaria, & inferriora iudicanda ſunt, tantùm expedientia, quantùm ad cordis proficiunt puritatem. Inde eſt, quod pauciſſimi iam ad veram perfectionem perueniunt, quia in medijs non multùm proficuis tempus, & vires expendunt.* Quidquid ergo (teſte hoc Sancto de interna animæ puritate agente) à digna huius generis æſtimatione abducit, tametſi maius ad ſpeciem videatur opus, & maiorem deforis apparentiam faciat, vtì ſunt corporis afflictatio, ieiunia, vigiliæ, & cætera eiuſmodi opera, & exercitia, comparatè tamen ad interiores virtutes, primo neutiquam ponenda ſunt nec loco, nec ordine, ſed iudicanda inferiora, & eatenus æſtimanda ſolummodo, quatenus conferunt ad puritatem internam. Subnectit deinde ſuis clauſulam dictis, & aſſerit, idcircò pauciſſimos, qui ad veram perfectionem perueniunt, eſſe quia neſciunt bene diſcernere, rectumque iudicium bona inter opera facere, terendo, perdendoque tempus, ac vires inſumendo in rebus modicum afferentibus fructum, eas verò, quæ maioris conſiderantiæ ſunt, relinquendo à tergo. Notetur autem bene, Sanctum non dicere, pauciſſimos hoc labi errore, ſed errorem huiuſmodi cauſam exiſtere, quòd pauciſſimi ſint perfecti, & tamen de ſuo loquitur ſeculo, quod ſpectatiſſimis Sanctimonia viris fœcundum, & conſpicuum, eaque de cauſa aureum erat.

S. Bernard. in fine operum, vbi ponit 8. puncta quibus mediantibus perueniatur ad perfectionem vitæ ſpiritualis.

Hæc fuit communis Sanctorum Patrum doctrina, quam hauſerunt ex limpidiſſimo Diuinæ Sapientiæ fonte, qui ſalutis humanæ Sator, Chriſtus Dominus eſt. Hic verò eam propoſito noſtro optimè congruentem tradidit cap. 25. Matthæi, inibique eandem varijs ſententijs, exemplis, atque parabolis fuſiùs explicat ſcribis, & Phariſæis, qui ſuo tempore Moyſi in cathedra, ſuaque in lege docenda debebant ſuccedere, cuius ratione muneris ab illo habebantur populo pro magis perfectis. Hoc Matthæi caput confertum doctrina eſt, Religioſis quà ſubditis, quà Prælatis propria & admodum neceſſaria, quod hi, & illi, Rectores maximè, vt ſæpiùs, & non perfunctoriè legant, omnino conſultum eſt, vt per talem lectionem

ſe

Digitized by Google

ſe expediant ab erroribus, impoſturis, & cæcitatibus, quas ibi patefacit à Spiritu Sancto conceptum, & corporatum verbum. Plura ex documentis ibi contentis tranſmittam ſilentio, & ea duntaxat attingam, quæ plus præ cæteris ad noſtrum faciunt propoſitum. Seruator itaque noſter inibi deplorat, in medio ponit, atque condemnat omnes coniunctim, in quibus Scribæ, Phariſæi verſabantur, errores, & cæcitates cum annexis malis, & damnis, quæ per hæc ſuis inferebant Diſcipulis. Eos proinde his actibus alloquitur atque perſtringit verbis. *Væ vobis Scribæ, & Phariſæi Hypocritæ, qui decimatis mentham, & anetum, & cyminum, & reliquiſtis quæ grauiora ſunt legis, iudicium, & miſericordiam, & fidem, hæc oportuit facere, & illa non omittere. Duces cæci excolantes culicem, camelum autem glutientes.* O infelices vos (inquit) ſcribæ, & Phariſæi correpti, & infecti hyperoſi, qui tantam geritis curam, vt decima detur pars ex mentha, aneto, & cymino, haſque tam modicas tanti facitis obligationes, neglectis interim ijs, quæ maioris momenti ſunt, & à lege ſtrictiùs imperantur, qualia ſunt, probè adminiſtrare iuſtitiam, miſericordiam facere, fidem exſoluere, &c. Hæc vobis exequenda, primituſque docenda eſſent, remunenerando hæc obſeruantes, & corrigendo hæc non præſtantes, ita tamen, vt neutiquam deficeretis in his etiam modicis, queis tempus inſumitis. *Matth. 23. v. 23.*

Vos imitamini fatuum, qui multùm laboris ponit in colando vino, ne glutiat culicem, poſtea tamen glutit camelum. Hæc infelicitas quibuſdam contingit (faxit Deus, ne magno ſint numero) quia magni faciunt res externas, parui verò internas, modicoque habent in pretio res maioris obligationis, magis ſolidas, & internas, quibus tamen adoratur Deus in ſpiritu, & veritate, magnique è contra pendunt illas, quibus minor annexa eſt obligatio, minor ſoliditas, minor abdicatio ſui, & mundi, tamen per eas Deus non ita glorificetur, nec anima prouehatur. Totum hoc prouenit inde, quòd Rectores Diuino lumine orbi, parumque conſulti ſuos ſubditos non inſtruant bene, vt opera bona norint à melioribus ſeparare, atque diſtinguere. Pergit deinde porrò è Cœlo ad nos ablegatus Magiſter, verbiſque ſequentibus magis ſe explicans, denuo miſeratur Scribas, & Phariſæos, omneſque illos, qui cùm intra Eccleſiam ſint poſiti animarum Magiſtri, & duces, in hoc tamen agendi modo ſunt imitatores Phariſæorum. Hæc

 autem

autem Diuini Præceptoris inuectio his conſtat ex verbis. *Væ*
Ibidem v.25. *vobis ſcribæ, & Phariſæi hypocritæ, qui mundatis, quod deforis eſt Calicis, & parvpſidis, intus autem pleni eſtis rapina, & immunditia. Phariſæe cæce, munda priùs, quod intus eſt Calicis, & paropſidis, vt fiat id, quod deforis eſt, mundum.* O infortunati Scribæ, & Phariſæi ſimulatores, qui ſeduli eſtis in mundanda externa Calicis parte, ab intus verò eſtis referti iniquis rerum contrectationibus, & multiplicibus purgamentis. Pro concluſione deinde ita ſubnectit. O oculis capte Phariſæe, munda priùs internam Calicis, & patinæ, id eſt, Spiritus, vel animæ tuæ partem, vt interna tua munditiес poſſit comparere ab extra, Ah Deus bone, quàm ſæpe peccatorum noſtrorum ergo id, quod Dominus hic carpit, Prælatis, & ſubditis accidit. Ah quàm frequenter id, quod minoris eſt obligationis, præfertur imponenti maiorem, externum interno, & nucleo cortex. Hypocritas nominat illos Dominus, qui hoc errore labuntur, & in rebus maioribus, magiſque ad profectum animæ facientibus deficientes, iactant ſe exactos obſeruatores minorum, & foris parentium.

Quamuis autem non multùm in rem eſſe, & parumper referre, vel obeſſe videatur, quòd quis quàm inaniter, & ſine ratione æſtimari ab hominibus velit, qui incurius in maioribus, contentus eſt in ſummo patentibus, & externis. Verùm enim verò, ſi verba à Chriſto Domino in Scribas, & Phariſæos prolata propiùs inſpiciantur, & penitiùs expendantur, comperientur Diuina eruditione, & ſuperno lumine grauida, eique conformia eſſe, quod homines internis deditos, quotidiana docet experientia. Primum, quod facit hypocriſis, eſt, taliter excæcare hypocritam, vt mentis lumine careat, ad latebras animæ ſuæ ex puræ intentionis defectu oculis captæ conſpiciendas, vt inclaret ex verbis Saluatoris noſtri compellan-
Matth.7.v.5 tis hypocritas cœcos, & vnum ex illis ſic alloquentis. *Hypocrita eijce primùm trabem de tuo oculo, & tunc videbis eijcere feſtucam de oculo Fratris tui.* Simulator exige primùm de oculo tuo trabem excæcantem te, viſumque tibi adimentem, hacque ratione remoto viſionis obſtaculo lumen recipe priùs, quo videre poſſis, quatenus feſtucam auferas, quam oculis Fratris tui ſomnias inhærere. Hæc cæcitas cauſa eſt, vt hypocritæ virtutum opera bene ordine non norint, ſibique perſuadeant, quòd omnes alij, perinde ac ipſi faciunt, ſiniſtrum ferant iudicium.

Cur

Digitized by Google

Cur tales homines in numerum cæcorum ſint recenſendi, Cauſam aſſignat Origenes, dum in cap. 23. Matthæi ſic ſcribit. *Quomodo autem non exiſtimentur cæci, quos latet magnitudo, & tortuoſitas camelorum, id eſt, actuum peruerſorum, nec vident, quoniam nihil prodeſt liquare, & cautum eſſe diſcuſſorem in rebus minimis, cùm principalia, & verè ad gloriam Dei pertinentia negliguntur? quoniam ergo multi ſunt, & in nobis, qui circa res leues cautè viuere exiſtimantur, circa res autem neceſſarias contemnunt ſeipſos, huiuſmodi homines ſermo præſens confundit, non quidem leuia illa prohibens obſeruare, ſed principalia, & magis ſalutaria præcipiens cautiùs cuſtodire.* In rei veritate obcæcati dicendi ſunt illi, qui non diſcernentes monſtruoſam camelorum magnitudinem (per quos magnæ culpæ deſignantur) exiguum non cernunt profectum, quem ex magna cura, & æſtimatione percipiunt, quam de rebus modicis habent, & interim negligunt principales, maioremque Dei gloriam concernentes. Dolet deinde hic Doctor, quòd multi ſuo tempore eſſent, qui in hoc verſabantur errore, quos cupit aduertere, Domini mentem non eſſe, vt modica, quibus operam dabant, relinquant, ſed vt maiore accuratione, & ſtudio animum ei impendant, & exequantur, quod principale, magiſque ſalutare eſt animæ. *Quoniam omnis, qui de ſalute ſua ſollicitus eſt, quod eſt ab intus, & de opinione ſollicitus eſt, à foris: non autem omnis, qui de opinione ſollicitus eſt à foris, etiam de ſalute ſua ſollicitus eſt ab intus.* Differentia inter cæcutientes huiuſmodi, & bene oculatos in eo conſiſtit, quod hi poſtremi habentes curam de internis, maioriſque momenti rebus, eandem etiam gerant de bono dando proximis exemplo ſuique boni nominis exiſtimatione, externis, quæ ad hunc finem conducere poſſunt, bene vtendo. Si verò, qui de rebus externis, quæ ab bonum exemplum, ſuorumque probationem morum faciunt, curam habent, non ſimiliter eam gerunt de internis, à quibus illæ ſuam deberent inclinare originem.

Origenes in. ſiue tract. 25. in cap. 23. Matth. poſt med.

Et infra.

Inter damna animæ, quæ hoc genus Magiſtri, Rectoreſque Hypocritæ inferunt, vnum eſt, quòd non meliores, ſed moribus ſibi ſimiles educent diſcipulos: quia, vt ipſa veritas incarnata pronuntiat: *Non eſt diſcipulus ſuper Magiſtrum: ſufficit diſcipulo, vt ſit ſicut Magiſter eius.* Ex quo fit, vt communitates, & inſtituta, quorum ſunt Patres, & Capita, ſenſim perditum eant: eiuſdem enim Diuinæ Veritatis de Phariſæis, eorumque imitato-

Matt. 10. v. 24.

tato-

Digitized by Google

tatoribus agentis effatum eſt, ſi cæcus, pariter cæcum ducat, ambos neceſſariò in foueam cadere. *Cæcus ſi cæco ducatum præſtet, ambo in foueam cadunt.* Huiuſmodi autem damna eò longiùs à remedio abſunt, quo patientes eorum, minùs eadem perſentiſcunt: De hac cæcorum, malèque conſultorum ſorte, atque progenie locutus eſt Sapiens, quando dixit, nonnullos Patres, & filios, qui ſe autumant puros, atque perfectos, intus ſordibus, atque ſpurcitijs eſſe refertos. *Generatio, quæ ſibi munda videtur, & tamen non eſt tota à ſordibus ſuis.* Dantur certi Superiores, qui magni faciunt ceremonias, opera gratuita, valde modicarum obſeruantiam rerum, externam corporis afflictationem, quæ fieri ſolent ex more in ordinibus, habentque ſimilia pro magni momenti rebus, ſunt ad hæc perquam ſolliciti, & accurati in corrigendis negligentijs, atque defectibus, qui hoc in genere committuntur, eosè contra, qui hæc præſtant magno habent in pretio, & cæteris reputant perfectiores. Ex alia verò parte ad interna oculos, & animum non aduertunt, parumque curant, verbi cauſa, exercitium orationis, paupertatis religioſæ, abnegationis ſui, modeſtiæ animi, Charitatis non fictæ, contentique cum externo, ac pro ſecuro habentes totum, quod oculos paſcit, & reliquum parui pendunt. Sunt præterea prompti in ſuis facienda ſubditis poteſtate frequenter non ſine caſtimoniæ periculo exeundi foras, & implicandi ſe in negotijs ſecularibus conſanguineorum non neceſſarijs, immemores miſeri obligationis ſuæ, quam habent eos ab occaſionibus abſtrahendi, & impediendi damnum animarum ipſorum. Ex quo conſequitur, quod dum ſuos ſubditos non benè erudiunt, vt res æſtiment, ſicut merentur, dum opera ex virtutis præſcripto facta, præmioque digna non remunerant, religiones relaxentur in eo, quod maioris ſoliditatis, atque ſubſtantiæ eſt. Hæc deinde indiligentia, atque neglectio, bonæque moderationis ſupina incuria cauſa eſt, quod communitates ſenſim inducantur ad vnam præcipuarum obligationum obliuionem, cenſuramque Chriſti Domini perinde, ac illi incurrant, qui decimas anethi, & cymini inculcant, parti verò, qua præcipuè tenentur, non ſatisfaciunt. inſtar glutientium camelum, ne culicem glutiant, ſibique tantò magis ſatisfeciſſe videntur, quò minùs ſuum aſſequuntur errorem, & excitationem.

Matth. 15. v. 14.

Prou. 30. v. 12.

Dictis adſtipulatur Sanctimonia, eruditione, & purpura ſpectatiſ-

ctatiſſimus, & Seraphicus Doctor Bonauentura, qui in commentario ſuper ſui Ordinis Regulam ad Religioſos cœtus appoſitè diſſerens dat multas ſapientiæ ſuæ luce, longæque experientiæ ſplendore in conſpectum cauſas, propter quas Religiones inquietantur, relaxantur, ſuumque primitiuum perdunt feruorem; in relatu proinde tertiæ cauſæ ita philoſophatur. *Tertia cauſa eſt, quod quilibet ea, quæ non didicit, neſcit docere; ideo, cum Regimen Ordinis deuoluitur ad iſtos iuuenes, tales nutriunt, quales ipſi ſunt, ita, quòd iam Prior Fratrum in fabulam vertitur, non trahitur in exemplum, Imò ſe tantum reputant illis prioribus meliores, quò minùs agnoſcunt, quæ ſint perfectorum virtutes. Et dum exempla quædam exteriore diſciplina conſeruant in Choro, vel Proceſſionali ingreſſu, & ſimilibus, audent aſſerere, quòd ſtatus Ordinis nunquam fuerit ita bonus.*

S. Bonau. tom. 7. p. 4. opuſc. q. 19. in determ. circa regul. S. Franc.

Nemo docere poteſt, quod didicit nunquam, qui ergo ex competentis, quam nunquam habuere, inſtructionis defectu à ſua iuuentute non didicerunt dignam de virtutibus facere æſtimationem, tum in caſu, quod ordo relaxari inciperet, talibus nulla ratione integrum foret, vt poſt nouos, quos habuere, magiſtros, aliquid meliùs ſuos docere ſubditos poſſent, cum id à ſuis Superioribus ſibi ſimilibus nunquam didicerint. Quapropter ſi ſemel ſint docti, totos ſe dare externis, minoriſque momenti rebus, tum totum ſtudium ſuum ibi impendunt, totoſque reapſe ſe mancipant. Ex quo ſequitur, quòd ſiqui ſeniorum bona dictata, & ſana ſenſa retinentium ipſis incorruptam dare velint doctrinam, ac dicere, quid primores Ordinis Patres fecerint, tantùm abeſt, vt ipſis fidem habere, eorumque dictum ſequi, vel eoſdem imitari velint, quin potiùs è contrario contemptim de ijs loquuntur, imprudentiæ damnant, tenentque pro imperfectis, ipſiſque præhabent ſemetipſos. Hoc verò totum oritur ex defectu cognitionis, ratione cuius non expediunt, quæ ſint nobiliores, & magis propriæ hominis verè perfecti virtutes. Dumque viget accurata in Choro, Monaſticiſque ceremonijs obſeruatio, quibus bono ordine fiunt ſupplicationes, ac reliqua opera externarum virtutum, tum ipſis regularis diſciplina paret eſſe in maiore vigore, atque perfectione, quàm Superioribus vnquam temporibus. Fons autem, atque origo huius allucinationis eſt, quòd omnem ſuam poſuerint æſtimationem in rebus externis, quæ licèt multum proſint ſolidis comitatæ virtutibus, ijs tamen

non

non comitatæ tum vanæ gloriæ ratione oculis offundunt caliginem, & cæcitatem inducunt potiùs, quam quod ratione veræ modeſtiæ animi aliquem operentur profectum, prout ſupra citati tam raræ experientiæ Doctoris magiſterio erudimur. Accedit ad hæc omnia confirmatio notæ pietatis viri Thomæ Kempenſis, in hunc modum loquentis. *Si tantum in iſtis exterioribus obſeruantijs profectum religionis ponimus, citò finem habebit deuotio noſtra, ſed ad radicem ſecurim ponamus, vt purgati à paſſionibus pacificam mentem poſſideamus.* Si omnis religionis cura, atque profectus conſtituatur in externis obſeruantiæ punctis, citò finem ſortietur noſtra deuotio. Quapropter, vt tantum nobis bene cedat negotium, oportet malum, quo laboramus, ſolidas per virtutes radicitus euellere, vt immoderatis animi motibus expurgati pacem in anima noſtra conſeruare poſſimus. Per hæc tamen, quæ de æſtimatione tam theorica, quam practica, quæ de exercitijs virtutum habenda eſt, hoc loco dicimus, non volumus externorum, ſi bona ſunt, operum, debitique in ceremonijs obſeruatus, aliorumque ſimilium exercitiorum ingenerare contemptum; cupimus ſolummodo lectori talem eorundem ſuadere æſtimationem, quâ ita æſtimet modo dicta exercitia, vt interim non negligat præſtantiora, neque his illa tanquam meliora anteponat, ſi caſus ſe ferret, quo vna occurrerent, neque mens noſtra eſt, vt vires animæ in exercitijs minoris momenti taliter impendantur, quò huius ratione ſtudij anima deinde reddatur inhabilis ad exercitijs magis neceſſarijs, vt par eſt, vacandum.

Thom. à Kempis lib. 1. de imitatione Chriſti c. 11. nu. 4.

Mens mea meliùs innoteſcet, ſi verba referam, quæ Diuus Bernardus in quadam huic noſtræ non abſimili occaſione protulit, ex quibus faciliùs capi poterit, quid hic, & alibi intenderimus, vbi proſecuti ſumus æſtimationem magnam, quam iure promerentur virtutum opera externa. Hic itaque Mellifluus Doctor metuens, ne quis de ſe ſiniſtrè opinaretur, quaſi modicam faceret æſtimationem de virtutum externarum exercitijs, atque operibus, doctrina, quam tunc dabat, anſam forſan præbente, idcircò quomodo intelligendus eſſet, his ſuam verbis denudare voluit mentem; *Neque hoc dico, quia hæc exteriora negligenda ſint, aut, qui ſe in illis non exercuerit, mox ideo ſpiritualis efficiatur, cùm potiùs ſpiritualia (quamquam meliora) niſi per iſta, aut vix, aut nullatenus vel acquirantur, vel obtineantur, ſicut ſcriptum eſt. Non priùs quod ſpirituale, ſed quod animale, deinde quod*

S. Bern. in Apolog. ad Gulielm. Abbatem ad med.

quod ſpirituale. Vnde in Pſalmo 80. Sumite Pſalmum, & date tympanum. Quod eſt dicere, ſumite ſpiritualia, ſed priùs date corporalia. Optimus autem ille, qui diſcretè, & congruè hæc, & illa operatur. Nullo modo eò hoc dico, vt externa (ſi debita moderatione fiant) pœnitentiæ opera, laudeque dignæ ceremoniæ modicè æſtimentur, nec porrò mens mea eſt, vt quis cogitet, idcircò iam perfectum ſe eſſe, ſi in his externis ſe non exerceat, imò potiùs iudico, opera his digniora, & meliora fieri non poſſe ſine interuentu illorum,& ſine ope ab eis collata. Ad hoc etiam illud Pſalmiſtæ facit, quo inquit. *Sumite Pſalmum, & date tympanum,* quod eſt dicere: ſi vultis accipere ſpirituale, priùs tribuite corporale. Concludit tandem Claraualleñſis Præſul, illum perfectum eſſe, qui ita facit vnum, vt non negligat alterum. Hoc itaque eſt, quod hactenus ex Euangelio Matthæi non fallente conſecutione deduximus.

§. & Conſilium XII.

Pars muneris Prælati eſt, ſuis ſubditis ſiue bene, ſiue malè habentibus temporalia prouidere.

SEdulus, curæque ſuæ intentus Prælatus ſatis non habeat, ſi ſupra memoratæ (quæ ex iure tenetur) obligationi ſatisfaciat, quæ eſt, ſubditos ſuos Sacræ Doctrinæ pabulo (de quo etiam ſupra) paſcere, & nutricare, ſed tenetur inſuper ſpecialem intendere curam prouidendi ipſis, quibus indigent, omnia, ſiue valeant, ſiue malè ſe habeant, vt per hoc verum ſe præſtet ipſorum Patrem. Ita à Diuo Paulo imbuimur, qui cum Romanis de partibus corporis myſtici, mutuiſque earum obligationibus agens affirmat eum, qui capitis munere alia huius corporis membra regit, ſollicitudine, & accuratione præſtare oportere. Quod aſſertum Sacri Doctores hunc exponentes locum, ad illud omne extendunt, quidquid tam ad corpus, quàm ad animam ſpectat: ſine alterius deinde interpoſitu adiungit, à datore, quæ dat, cum hilaritate eſſe impertienda, vti hæc eius verba teſtantur. *Qui præeſt in ſollicitudine, qui tribuit in hilaritate.* Quidquid enim Præſul ſuis ſiue ægris, ſiue bene habentibus tribuit ſubditis, optima voluntate, paterno *Ad Rom. 12. v. 8.*

 amore

Digitized by Google

amore, læto animo comitatum eſſe oportet, & ad hoc præſtandum, ex obligatione, quam vt caput habet, tenetur. Semper ergo Prælato timendum, ne illi ſe cenſuræ obnoxium faciat, quam Apòſtolus ſuo interminatur Timotheo, dum ipſum inſtruens, qualitateſque vnius Patrisfamilias indicans aſtruit, non habentem curam id ſuis, quo indigent, dandi domeſticis, fidem à parte rei negare, peioremque infideli exiſtere, quod ex his eius proprijs clarum eſt verbis. *Siquis autem ſuorum, & maximè domeſticorum curam non habet, fidem negauit, & eſt infideli deterior*. Affert Aquinas hunc ſuper ſcribens locum Diui Auguſtini doctrinam, illique inſiſtens affirmat, æquum eſſe, vt ad nos modo (de quo ſupra) ſpectantes, vnumque nobiſcum corpus tanquam membra conſlantes eiſdem fruantur vt nos bonis, adeoque de ipſis eadem ſit cura habenda, quam habemus de nobis ipſis. Do vobis ipſa Angelici verba ita ſonantia. *Illi qui ſunt nobis coniuncti, æſtimantur quaſi quædam ſors*.

1. ad Timoth. 5. v. 8.

D. Th. ex Auguſtino.

Gregorius Magnus hanc Sacræ Præfecturæ partem diſcutiens, primariæque in antegreſſis paragraphis ab nobis expenſæ annectens, ſic inquit. *Sit rector internorum curam in exteriorum occupatione non minuens, exteriorum prouidentiam in internorum occupatione non relinquens, ne aut exterioribus deditus, ab intimis corruat, aut ſolis interioribus occupatus, quæ foris debet proximis, non impendat*. Internorum, & externorum cura à Prælato ita eſt temperanda, vt hæc non impediat illam, nec propter occupationem, quà internis intenditur, negligatur proſpicientia, quam habere tenetur de externis; hæc porrò curans, in principalem curam incumbere non omittat, vt vnicuique myſtici corporis partium, quod ipſi debetur, tribuat, interim illud etiam, quod tam ſuum, quàm ſubditorum ſuorum ſiue ad animam, ſiue ad corpus ſpectans bonum poſtulat, ac pro conſeruatione partis præcipuæ neceſſarium eſt, curare non intermittat, vt hac ratione, & modo agendi, ſuæ curæ commiſſis omni ex parte, & pro ſui muneris ratione ſatisfaciat. Idem denique ob inſignia in Eccleſiam Dei merita, raram ſapientiam, copioſamque Sanctitatem iure Magnus vocatus Doctor vltra progreditur, & eodem in capite ſuper eodem argumento differens ſic inquit. *At contra ſunt nonnulli, qui gregis quidem curam ſuſcipiunt, ſed ſic ſibimet vacare ad ſpiritualia appetunt, vt rebus exterioribus nullatenus occupentur. Qui cum curare corporalia funditus negligunt, ſubditorum neceſſitatibus minimè concurrunt; quorum nimirum*

S. Greg. to. 3. par. 2. Paſtor. c. 7. in ipſo princip.

Et infra.

rum

rum prædicatio plerumque deſpicitur: quia dum delinquentium facta corripiunt, ſed tamen eis neceſſaria vitæ præſentis non tribuunt, nequaquam libenter audiuntur. Egentis etenim mentem doctrinæ ſermo non penetrat, ſi hunc apud eius animum manus miſericordiæ non commendat. Tunc autem verbi ſemen facilè germinat, quando hoc in audientis pectore pietas prædicantis rigat. Inueniuntur aliqui, qui Sacram capeſſunt Præfecturam animo, ita priuatis animæ ſuæ compendijs incumbendi, interiorique proprij ſpiritus ſatisfactioni intendendi, vt obliuioni tradant omnem occupationem externam, quam dum negligunt, pari ratione curam ſubditorum neceſſitatibus conſulendi tranſmittunt. Ex quo plerumque ſequitur, quòd ſubditi inſtitutiones, & hortamenta eorum non magni faciant, faxit Deus, ne contemnant; quia ſicut ipſi ad ſuſtentandum neceſſaria ſubditis impertiri negligunt, ita ſubditi diſciplinam eorum inuito recipiunt animo, & malo ſunt apud eos loco admonitiones ipſorum. Ex quo adductus infert Doctor, quòd doctrina bona in animum neceſſitatem patientis non penetret: ſi facilis ad dandum manus Prælati ei fidem non conciliet. Tum verò (eodem teſte) ſemen verbi maturum producit fructum, quando docentis magiſtri pietas illud in corde recipientis rigat, atque fomentat. Non leuem ſenſit hic Magnus Doctor difficultatem, aliquod adinueniendi, & præſcribendi medium, quo duo euitarentur extrema, in quæ duplicis generis Prælati ſolent non rarò incidere. Sunt enim ex ipſis aliqui, qui ſe totos dedunt rebus internis, & ad animæ ſuæ moderationem, atque culturam ſpectantibus, immemores corporearum neceſſitatum, quas pauperes ſubditi patiuntur. E contra alij totos ſe addicunt externis, & non niſi temporalia curant cum magno animarum diſpendio, quarum tamen potiſſimùm, & ante omnia curam habere deberent; cùm autem damnum ex neglectione profectus animæ tam propriæ quàm alienæ ſit maius, atque communius, idcircò vt hoc euitetur extremum, & per immoderatam animæ ad externa effuſionem, non contraueniatur parti præcipuæ, neue charitas, ſinceruſque amor refrigeſcat, inuenit, & cenſuit hic Sanctus bonum eſſe, ſi Rectores curam temporalium prudenter moderarentur, cùm in comperto ſit, eos ad animarum potiſſimum regimen eſſe admotos. Quatenus ergo huic, quæ præcipua eſt, parti ſatisfacere valeant, conſultum, & in rem expediens eſſe iudicat, quòd pro cura, adminiſtratione, &

Digitized by Google

diſtributione rerum temporalium eorum vtantur opera ſubditorum, quos ad ſe in hoc iuuandos negotio, onereque nonnihil leuandos, aptos, fidoſque perſpexerint, quo fiet, vt neque in attentione interna, neque cura externa, quam de corporalibus ſubditorum ſuorum neceſſitatibus habere tenentur, defectum aliquem committere poſſint. Hoc autem Diui Gregorij conſilium his conſtat ex verbis. *Inter hæc itaque metuendum ſemper eſt, & vigilanter intuendum. ne dum cura ab eis exterior agitur, ab interna intentione mergantur. Plerumque enim, vt prædiximus, corda Rectorum, dum temporali ſollicitudini incautè deſeruiunt, ab intimo amore refrigeſcunt, & foras fuſa obliuiſci non metuunt, qui animarum regimina ſuſceperunt. Sollicitudo ergo, quæ ſubditis exteriùs impenditur, ſub certa, neceſſe eſt, menſura teneatur. A ſubditis ergo inferiora gerenda ſunt, à Rectoribus ſumma cogitanda, vt ſcilicet oculum, qui prouidendis greſſibus præeminet, cura pulueris non obſcuret.* Vt autem huius doctrina paragraphi, & damna à Diuo Gregorio hac in materia perquam experto, animaduerſa, quæ ex ſupra dictis inferuntur extremis, probiùs cognoſcantur, in rem erit, in conſpectum dare mala quotidiano comperta experimento, quorum Prælati cauſa exiſtunt, dum ſuis ea ſubditis, quibus, ſiue ſani, ſiue ægroti ſint, indigent, non proſpiciunt. Hæc negligentia, prouidentiæque paternæ defectus in cauſa eſt, vt modus, quem pro acquirenda religioſa perfectione Chriſtus Dominus præſcripſit, inuertatur, & imperfectis in obſtaculum ſit adeptionis eiuſdem, quia, Magiſtro Angelico teſte, finis paupertatis voluntariæ eſt, anxietatem, mentiſque euagationes à ſe abigere, quas rerum ſollicitudo temporalium iis inijcit, qui inhiant, & perſequuntur eas. Hæc pariter cauſa eſt, quòd ſemen Doctrinæ Euangelicæ in agro animæ ſuffocetur. Eapropter quando Superiores. Subditorum ſuorum, bene, ſiue malè valentium neceſſitatibus ſollicitè prouidere non curant, tum neceſſaria ſequela conſequitur, vt eadem paupertas conſtringat ipſos plus curæ ſumere, plureſque mentis euagationes, admittere, quàm ſi vale ſeculo nunquam dixiſſent. Ex quo prouenit, vt religioſi ſubeuntes tantam difficultatem, curam, atque moleſtiam in ijs, quibus indigent, conquirendis, metuenteſque, nequid ſibi ex neceſſarijs deſit, ea præuertere ſoleant, magnaque cum adhæſione, ac proprietate tueri, ſeque non parum turbare, atque inquietare, ſiquis ipſis ea attentaret ſurripere. Vt ergo omni eo, quod ipſis

Ibidem ante iſtas duas auctoritates hic vltimò citatas.

Digitized by Google

ipſis opus eſt, ſint inſtructi, quærunt habere commercium, atque familiaritatem ijs cum ſecularibus, à quibus ea poſſunt,& ſperant dono accipere. Ex hoc malò demum enaſcitur ipſius etiam dignitatis ambitio, ac poſtremò totius religioſi ſtatus ruina. Prælatis itaque in dignitate conſtitutis maiore, dum viſitant, omnis intendenda eſt cura, vt tempeſtiuè tanto malo admoueatur remedium, nullæque ſint excuſationes admittendæ, quas Rectores locales ſolent plerumque obtendere, aſſerentes, conuentum premi neceſſitate, maximè ſi ex altera parte animaduertant, magnos fieri ſumptus, atque impenſas ſuperfluas in fabricis, Sacris pro Sacerdote, & Leuitis veſtimentis, alijſque magni pretij pro Eccleſia ornamentis, quæ magis condecent locupletes, & Cathedrales Eccleſias, quàm eos, qui paupertatem à Chriſto Domino in Euangelio commendatam ſunt amplexati, atque profeſſi. Quid autem tandem lucrantur eiuſmodi vanè ſibi ſapientes viri, niſi quod Deum prouocent, & in talis erroris iuſtam pænam ipſos priuet fidelium eleemoſynis, dum eas in rebus ſuperfluis, & ab ipſorum profeſſione alienis impendunt, quas Deus ex ſpeciali ſua prouidentia à fidelibus erogatas voluit pro diuino ſuo ſeruitio, ipſorumque competente alimento, ac neceſſaria ſuſtentatione.

DISCVR-

Digitized by Google

DISCVRSVS OCTAVVS.

Eſt de præcipua iuſtitiæ parte, quam dialecto Scholaſtica diſtributiuam vocant, cuius ratione competit Prælatis officiorum, & præmiorum collatio, ac quarumcumque rerum diſtributio, quibus ipſi, vt capita membris ſuæ communitatis ſuccurrere tenentur, prout bono communi, vel priuato expedit, excitato omnium partium ſtudio, & quacunque ad hunc vel illum peculiari propenſione, vitioſaque affectione.

§. & Conſilium I.

De poteſtate, quam Deus nonnullis ſuper alios conceſſit hominibus ad illos pro modo meriti, vel iuſta pæna, vel condigno afficiendos præmio, quod ſi fiat, tum mundus debito nodo adminiſtratur.

D.Th.1.par. q.21.ar.1.

ANGELICVS licèt aſtruat Doctor, iuſtitiam, quam commutatiuam vocant, ſi ſtrictè ſumatur in Deo dari non poſſe: hæc enim anteponit in dante rem præacceptam, quæ æquiualeat rei, quæ è contra datur ab ipſo, quod in Deo comparatè ad creaturas locum habere non poteſt, prout Teſtis Apoſtolus eſt. Deus namque eſt primum principium, à quo dona cuncta procedunt, adeòque quis nuſquam gentium eſt, qui poſſit ipſi

ipſi priùs aliquid dare, ratione cuius ipſum ſibi habeat iuſtæ refuſionis debitorem. *Quis prior dedit illi, & retribuetur ei? quoniam ex ipſo, & per ipſum, & in ipſo ſunt omnia.* Licèt, inquam, ob rationem allatam in Deo dari non poſſit iuſtitia in rerum commutatione conſiſtens, diſtributiua tamen, (vt vocant) propriè ſumpta reperitur in eo, cuius munus eſt, partiri bona, communiaque officia, pro modo meriti, atque habilitatis eorum, in quos par, & æquum eſt ipſa conferre. Huius ratione iuſtitiæ (vt Scriptor Pſalmorum affirmat). Deus non ſolùm dicitur iuſtus, verùm etiam vſque adeò gloriæ ſibi vertit, talem ſe eſſe, vt vniuerſa opera eius ſint effectus iuſtitiæ, eaque ratione cuncta ordinantur ab eo, vt exinde inclareſcat iuſtum ſe eſſe, ſint hæc verba Regij Pſaltis pro teſte. *Iuſtus Dominus, & iuſtitiam dilexit, æquitatem vidit vultus eius.* Quemadmodum enim concordia, & bonus in aliqua domo, vel Congregatione ritè adminiſtrata ordo, eſt effectus, ex quo prudentia, atque iuſtitia moderatoris arguitur; pari modo (vt Diuus Thomas, Dionyſium ſecutus, eſt Teſtis) bonus totius vniuerſi ordo eſt præcipuus index ſupereminentis in Deo iuſtitiæ, qua omnibus creaturis (perinde illis, queis eſſe tantùm naturale indulſit, ac alijs, quas libertate donauit) certas impertit habilitates conſonas excellentiæ, atque perfectioni, quas habent, vel à natura, vel à gratia ſuperadditas accepere. Qua de re hunc differit in modum princeps Theologorum. *Sicut ordo congruus familiæ, vel cuiuſcumque multitudinis gubernatæ, demonſtrat huiuſmodi iuſtitiam in gubernante, ita ordo vniuerſi, qui apparet tam in rebus naturalibus, quàm in voluntarijs demonſtrat Dei iuſtitiam.* Vnde dicit Dionyſius de Diuinis Nominibus cap. 8. *Oportet videre in hoc veram Dei etiam iuſtitiam, quòd omnibus tribuat propria ſecundùm vniuſcuiuſque exiſtentium dignitatem, & vniuſcuiuſque naturam in proprio ſaluat ordine, & virtute.*

ad Rom. 11. v. 35. · *Pſalm. 10.* · *D. Tho. 1. p. q. 21. ar. 1. in Corp.*

Ex quo inclaret, diuinam iuſtitiam omnes res ſuo ordine ponere, hic verò ordo eſt effectus, & index eiuſdem iuſtitiæ. Quo fit, & inter res omnino æquales, ſeque inuicem in nullo excedentes ordo dari non poſſit, qui, teſte Hipponenſi Antiſtite eſt norma, qua omnes res diſponuntur, ſuoque proprio collocantur in loco, habita ratione de perfectionis æqualitate, vel inæqualitate, qua inter ſe potiuntur. Sic ſonant verba, quibus hoc aſſerit: *Ordo eſt parium, diſpariumque rerum ſua cuique tribuens diſpoſitio.* Quocirca vt nulla creatura ſine ordine eſſet,

S. Aug. 19. de Ciu. Dei c. 13

Digitized by Google

eſſet, diuinaque mortalium oculis non incognita foret iuſtitia, eas condidit Deus inæquales perfectione, ſiue earum eſſe, ſiue operari conſideres, plus verò perfectas (quales ſunt Angelicæ mentes) magis inæquales produxit: nullus enim Angelorum eſt eiuſdem naturæ cum altero. Licet autem homines eiuſdem naturæ exiſtant, ipſis tamen Deus contulit diuerſas dotes, dona, atque officia, vt inter eos aliqui forent, qui præeſſent, & regerent, alij, qui ſubeſſent, & regerentur, vt hac ratione vna ex parte tam in ſeipſis, quàm cæteris creaturis iuſtam Dei diſtributionem aduerterent, ex altera verò parte diuinam hanc diſpoſitionem pro exemplari, ac norma haberent, cui ſe conformantes perdiſcerent, qua ratione tanquam Vicarij Dei gerere ſe deberent in partitione præmiorum, pœnarum, atque officiorum communium, non ſe dirigendo per affectiones, & priuata emolumenta, ſed habita ratione meritorum, & habilitatum eorum, quibus ea ſunt conferenda, in quo genuina ratio iuſtitiæ diſtributiuæ conſiſtit.

D. Tho. 1. p. q. 10. art. 4. in c.

§. & Conſilium II.

Quod Deus dignetur vti opera aliquorum hominum ad alios gubernandos, in ipſo liberalitati, ex parte verò hominum neceſſitati eſt adſcribendum, & par regendi ratio fuiſſet etiam in ſtatu innocentiæ introducta in morem.

Diui Thomæ ſententia eſt, Prouidentiam, vel gubernium vniuerſale Dei, quod ſuper ſuas tam naturales, quàm liberas obtinet creaturas, duo complecti. Primum eſt cognitio, qua omnium rationes, ac differentias rerum penitiſſimè comprehendens, eas per conſentanea diſponit, & ordinat media ad aſſecutionem, & ſimilitudinem termini boni, in quo ipſarum propria, & vltima conſiſtit perfectio. Secundum eſt executio, qua ad praxim redigitur, & ad opus deducitur diſpoſitus à Diuina Sapientia ordo; hac de cauſa nomen gubernatio-

nationis diuinæ iure ad huiuſmodi executionem reducitur. Et quamuis loquendo de primo (quod eſt ordo, & diſpoſitio) Deus in prouidendo non indigeat opis latore, & medio: quia, cùm ipſe omnes in ſuo habeat intellectu rationes rerum, eas omnes ſe ſolo, & ſine alterius cuiuſcumque interuentu ad ſuum ordinat finem: ad huiuſmodi tamen ordinis executionem, cauſarum ſecundarum opera per modum inſtrumentorum vtitur, quod tamen prouidentiæ, & gubernationis diuinæ nil derogat perfectioni; cùm hoc non proueniat ex defectu virtutis, atque potentiæ eius, ſed ex abundantia bonitatis diuinæ, qua tantam ipſis perfectionem impertit, vt per eam non ſolùm ipſæ efficiantur perfectæ, ſed alias etiam perfectas reddere valeant creaturas. Hæc Diuum Thomam ſentire fidem faciunt verba ipſius ſub hac forma concepta. *Ad prouidentiam duo pertinent, ſcilicet ratio ordinis rerum prouiſarum in finem, & executio huius ordinis, quæ gubernatio dicitur. Quantum igitur ad primum horum, Deus immediatè omnibus prouidet, qui in ſuo intellectu habet rationem omnium etiam minimorum. Quantum autem ad ſecundum ſunt aliqua media Diuinæ Prouidentiæ: quia inferiora gubernat per Superiora, non propter defectum ſuæ virtutis, ſed propter abundantiam ſuæ bonitatis.* *D.Tho. 1. p. q.22.ar.3.*

Sicut enim in maiorem cederet vnius Magiſtri honorem, ſi ita ſcitè ſuos erudiret diſcipulos, vt euaderent Magiſtri, quàm ſi inferiorem Magiſtris nanciſcerentur ſcientiam, pari modo hoc (teſte Doctore) arguit maiorem in Deo perfectionem, quod ijs, quos regit, tantam virtutem, & vires tribuat, vt Rectores aliorum euadant, quàm ſi in ſtatu gubernandorum remaneant, qua de re eius hæc ſunt propria verba. *Tantò erit melior gubernatio, quantò maior perfectio à gubernante rebus gubernatis communicatur. Maior autem perfectio eſt, quòd aliquid in ſe ſit bonum, & etiam ſit alijs cauſa bonitatis, quàm ſi eſſet ſolummodo in ſe bonum. Sicut ſi aliquis Magiſter diſcipulos ſuos non ſolùm ſcientes faceret, ſed etiam aliorum Doctores.* *D.Tho. 1. p. q.103. art.6.*

Et quoniam, quæ à creaturis tribuenda ſunt Deo, ipſi in omni eminentiore, quoad nobis imaginari poſſumus, attribuenda ſunt gradu, non malè infertur inde, eam eſſe pro Prouidentia Dei, eiuſque regimine maiorem perfectionem, quæ tali homines modo ad vltimum ſuum perducit finem, vt huius rei gratia vtatur opera aliquorum tanquam inſtrumentorum ad alios moderandos, atque regendos, Hic autem

Digitized by Google

modus regendi licèt in Deo ſit effectus liberalitatis, & bonitatis ipſius, in hominibus tamen eſt puræ neceſſitatis, ſi quando aliquos opera aliorum gubernant: cùm enim Sapientia hominum ſit admodum limitata, & pollentia per quam exigua, hac de cauſa per ſeipſos totum facere, & exequi non poſſunt, opus proinde habent inferioribus adminiſtris, qui taliter ſint comparati, primò, vt eorum reddere valeant rationem, quæ inibi fiunt, vbi ipſimet Superiores intereſſe non poſſunt. Deinde, vt in occaſionibus dare ſciant ſanum conſilium, quid hìc, & nunc fieri deceat. Poſtremò, vt operam conferre poſſint ad exequendum conſilium. Si ſecus fieret, tum ille, qui plures ſub ſe haberet regendos, gubernij ſuccumberet oneri, ſuis impari viribus (vt Ietro dicebat Moyſi) *Exod. 18. v. 14.* rectique propter procraſtinationes, & tractas moras ſe mutuò conſumerent.

Ex quibus infertur, quo etiam in ſtatu innocentiæ idem fuiſſet exercitatus gubernij modus, & ratio, fuiſſentque in eo aliqui in dignitate conſtituti, & alij ipſorum regimini ſubiecti. Cùm enim ex vna parte vti opera creaturarum pro executione ordinis Prouidentiæ Diuinæ non ſit in Deo vlla neceſſitas, ſed mera liberalitas, atque dignatio, ex altera verò parte eadem in hoc ſtatu militaſſet ratio, & par cauſa fuiſſet, idem neceſſariò ſequi debebat effectus. Tum etiam, quia Ariſtotele teſte, vbi ſunt plures vnum Reipublicæ, vel Communitatis corpus conſtituentes, ibi vnus ſit, neceſſe eſt, qui alios, vt caput, gubernet, vtì ex his eius verbis perſpicere licet. *Quandocumque multa ordinantur ad vnum, ſemper inuenitur vnum, vt principale, & dirigens.* *Ariſt. in princip. Politicor.* Ex quo Angelicus colligit Doctor, quod, cùm homo ſit naturaliter animal ſociale, vita, quam in ſtatu duxiſſet innocentiæ, huic ſimilis fuiſſet, vita autem plurium ſocialis duci non poteſt, niſi inter eos ſit aliquis aliorum Superior, cuius ſit munus boni communis gerere curam, & ad hoc referre bonum aliorum priuatum. Sic ergo loquitur, qui inter Doctores Angelicus dicitur. *D. Tho. 1. p. q. 96. ar. 4.* *Quia homo eſt naturaliter animal ſociale, homines in ſtatu innocentiæ ſocialiter vixiſſent, ſocialis autem vita multorum eſſe non poſſet, niſi aliquis præſideret, qui ad bonum commune intenderet.* Qui verò hoc habuiſſent officium, fuiſſent Sapientia, & Sanctimonia cæteris magis conſpicui: licèt enim attenta huius ſtatus perfectione cuncti fuiſſent ſapientes, & Sancti, non tamen id omnes in gradu æquali habuiſ-

buiſſent, ſed ſufficiens fuiſſet diſparitas ad ponendos inibi Rectores, & nullum officium obtinentes.

§. & Conſilium III.

De magna habilitate, qua præſtent, neceſſe eſt, aliorum Rectores, vt muneris ſui partibus exactè ſatisfacere poſſint, præſertim ſi ipſorum regimen annexam habeat curam animas gubernandi.

DVplici ex capite magnam colligere licet aptitudinem, quam Sacra Præfectura requirit, ſi quis, vt par eſt, illi ſatisfacere velit. Primum eſt, quia in omnibus cauſis proportio neceſſe eſt, intercedat inter modum agendi, atque (vt Philoſophica phraſe vtar) eſſendi. Cùm autem alijs imperantes perinde, ac cæteri, homines exiſtant, & tamen in ſuo miniſterio Dei officium obeant, eiuſque ſuppleant vices, hac de cauſa fieri non poteſt, vt bene ſuo fungantur officio, niſi ſingulari inſtructi ſint munere gratiæ Dei. Ex quo infertur, nil vſpiam eſſe, quod magis certum, atque ſecurum, humanum regimen reddere poſſit, quàm aſſidua in mentem regentis ſupernæ lucis irradiatio, & beneficium adiumenti diuini. Huius rei rationem Diuus Thomas aſſignat his vtens verbis. *Quæcunque creatura exequitur Diuinæ Prouidentiæ ordinem, hoc habet, in quantum participat aliquid de virtute ſibi prouidentis; ſicut inſtrumentum non mouet, niſi in quantum per motum participat aliquid de virtute principalis agentis.* Nulla creatura Diuinæ Prouidentiæ ordinem exequi poteſt, niſi, vt inſtrumentum ſibi impreſſam habeat eius virtutem. Cùm ergo Prælatus ſit animatum inſtrumentum Dei, interuentu cuius Diuinæ Prouidentiæ ordo executioni mandatur, & ad praxim reducitur, dum Deus ipſum in inſtrumentum aſſumit, quo ſubditos præparet ad ſuam in ipſos introducendam ſimilitudinem, atque perfectionem; inſtumentum autem id, quod perfici debet, mouere non poſſit, niſi moueatur, & eleuetur à principali agente, huiuſque opera motionis eiuſdem nanciſcatur virtutem, idcircò non

D.Th.3.contra gentium c.78.

Digitized by Google

ex vano infertur, Prælatum fructuosè regere non poſſe, niſi ita ſit comparatus, vt nullo ex parte ſua obſtaculo poſito, quouis tempore moueri poſſit à Deo, huiuſque ratione motionis in ſe recipere influxum lucis, perfectioniſque diuinæ, vt deinde omnes etiam ſubditi fieri illius poſſint participes, quod ipſe ſuperno influxu eſt nactus à Deo.

Licèt illæ myſterijs grauidæ, & à Deo vati Ezechieli in viſo oſtenſæ notæ haberent in ſe ſpiritum vitæ, in ſua tamen motione, & eleuatione à ſpiritu animalia mouente ita dependebant, vt incedentibus animalibus etiam rotæ prouoluerentur, & eleuantibus ſe à terra animalibus, rotæ pariter eleuarentur, ſequentes ſpiritum, quo agebantur, atque propellebantur, vt patet ex huiuſmodi viſi facta ab ipſo propheta deſcriptione: *Dum ambularent animalia, ambulabant pariter & rotæ iuxta ea, & cùm eleuarentur animalia à terra, eleuabantur ſimul & rotæ. Quocunque ibat ſpiritus, illuc euntc ſpiritu, & rotæ pariter eleuabantur ſequentes eum; ſpiritus enim vitæ erat in rotis.* Hoc viſo erudimur, quòd quamuis Diuinus Spiritus in ſtatu ſubiectionis poſitos (qui teſte Gregorio denotantur per totas) ſua directione, & prouidentia dignetur, motio tamen eorum, & eleuatio ad Sanctimoniam, vitæque perfectionem ita connexa, & vnita eſt motioni Superiorum, vt ſi hi non ſe permittant moueri à Spiritu Dei, qui ipſos pro inſtrumento aſſumpſit, quo notum prouidentiæ ſuæ faceret ordinem, tum tales Superiores nulla pollebunt virtute, & efficacia ad alios ſuis verbis mouendos, imò inſtar miraculi erit, vt gubernati per ipſos eleuari poſſint de terrenis ad bona ſuperna. Alterum, ex quo patenter infertur magna habilitas, quam poſtulat ars regendi, eſt, quòd aliorum admoti regimini ſint ex hominum maſſa, & genere, & mutabilitati æquè obnoxij, ac ille, à quo ſupereſt natura humana. Iſtam proinde cauſam Gregorius Nazianzenus dicendi habuit, quòd regere homines eſſet ars artium, & ſcientia ſcientiarum, prout hæc eius verba valent pro teſte. *Profectò ars quædam artium, & ſcientia ſcientiarum mihi eſſe videtur hominem regere, animal omnium maximè varium, & multiplex.* Vnus namque Antiſtes à ſibi ſubditis certas, & infallibiles regulas, quibus in regendo ſe dirigat ſumere non poteſt; cauſa eſt, quia inter ſe ſunt perinde mutabiles, & diſcrepantes, ac circumſtantiæ, proprietates, atque conditiones indiuiduorum, ex quibus conſtat communitas, multa differentia ab inuicem

Ezech. 1. v. 19.

S.Gregor.lib. 19.mor.c.14.

D.Greg.Naz. tom.1.orat.1. apolog. col.4.

Digitized by Google

nicem ſeparantur, de quibus Ariſtoteles inquit, quòd non poſſint eædem conditiones reperiri in vno, quæ inueniuntur in alio. Hanc ob rem prudentia, humanaque induſtria nequaquam ſatis eſt, ad veram gubernij rationem nec conſequendam, nec debitè exercendam, vt in alijs contingit artibus, atque ſcientijs, ſed eius normæ, & regulæ à ſapientia Diuina ſunt deſumendæ, taliſque artis exercitatio pendeat, neceſſe eſt, à continenti motione, & iuuamento Spiritus Sancti, ſine quibus non ſolùm difficile eſt gubernare bene, ſed prorſus non integrum. Quod idem Nazianzenus orator hac nobis ſimititudine perſcienter declarat. *Quemadmodum igitur, ſiquis variam quandam, & multiplicem belluam ex multis belluis magnis, paruiſque, feris, ac mitibus compactam cicurare, & ducere aggrediatur, huic in natura adeò præpoſtera, & prodigioſa gubernanda maximus procul dubio labor ſubeundus ſit, maximaque dimicatio, quippe cùm noc vocibus ijſdem, nec alimentis, nec manuum blanditijs, ac ſibilis, nec reliquis denique inſtitutionis modis belluæ omnes delectentur, ſed aliæ alijs pro ſua quæque natuta, & conſuetudine vel gaudeant, vel offendantur &c. Eodem modo, cùm commune hoc Eccleſiæ corpus inſtar compoſitæ cuiuſdam, & inæqualis belluæ ex pluribus, varijſque moribus, & rationibus conſtitutum ſit, ſummopere quoque neceſſe eſt, Antiſtitem ſimul, & ſimplicem eſſe, quantum ad eam, quam ad res omnes adhibere debet, rectitudinem, & rurſum quam maximè varium, ac multiplicem, quantum ad id attinet, vt vniuſcuiuſque animum ſibi adiungant, aptèque, & poſitè omnes alloquatur.* Ibidem col. 9

Ponamus caſum (rationi memorati Sancti inſiſtimus) dari aliquod monſtrum varietate, & multitudine partium ita peregrinum, inſuetum, atque inſolitum, vt innumeris conſtaret ex animalibus, quorum aliqua magna, parua nonnulla, pars placida, pars truculenta, quædam tarda, quædam velocia, robuſta aliqua, nonnulla eneruia. Poſito, inquam, caſu, quòd tale daretur monſtrum, ille reuera, qui tam varias in eo incurare, inuicem componere, & regere beſtias vellet, abſque dubio ſentiret, atque ſubiret magnam difficultatem, atque laborem propter diuerſitatem naturalium proprietatum, ita diſcrepantium, atque exodicarum, magnaque in tali regente requireretur ſolertia, atque induſtria, cùm huiuſmodi monſtrum nec eadem voce, nec vno, eodemque pabulo, nec blandimentis ijſdem, vel ſibilis, aut aliqua vniformi re componi, atque placari poſſet. Nullum ergo dubium eſt, quin illum,

qui

Digitized by Google

qui tale monſtrum ſcitè regere poſſet, magna, raraque ſapientia dotatum, & in ratione regendi ita dextrum eſſe oporteret, vt vnicuique huius monſtri parti id, quod pro modo ſuæ naturæ poſtulat, dare noſſet abſque vllo nocumento partis alterius, quæ eſt res ita difficilis, vt omnem facultatem humanam excedere videatur. Idem contingit, inquit fatus Doctor in hominum regimine propter partes non minùs ſibi inuicem contrarias, diuerſoſque humores. Si ergo hoc in regimine hominum ſingulorum contingit, potior militat ratio in corpore vnius integræ communitatis inſtar monſtri ſibi inæqualis compoſitæ, vbi non vnius, ſed plurium hominum varietas eſt in proprietatibus naturalibus, propenſionibus, moribus, formiſque loquendi. Idcircò extra diſceptationem neceſſarium eſt, vt Prælatus ſit inuariabilis, æquanimis, intrepidus, rectus, boniquc propoſiti retinens, quoties res agitur de maiore gloria Dei, & totius inſtituti ſono communi. Cæterùm ſit iuxta ingenio verſatili, & translatitio, vt doctrina accommoda, bonaque tractandi animos ratione norit vnumquemque ita dirigere, & moderari, prout natura ipſius, & præſens animi, corporiſque affectio, & habitudo requirit, ac poſtulat, ita vt non obſtante multiplicitate, & varietate conditionum adeò repugnantium, ſibique inuicem oppoſitarum, ſciat tamen lucrari omnes, ſuamque per ſolertiam, bonumque inſtructionis modum inducere, & promouere omnes ad perfectionem, ac vniformem obligationum, quas habent, pro poſſe impletionem. Si autem propter tactam Superiùs rationem vniuerſis communem tanta ſit difficultas, & muneris obligatio in omni humani gubernij genere, quantò maior erit in Sacrarum Regimine perſonarum, quæ in reformatis viuunt religionibus, quarum ſcopus multùm eminens, & ſublimis eſt, vti eſt omnes vnà ſubditos concordes reddere, vinculoque charitatis cum Deo vnire, qui Sacræ præfecturæ eſt vltimus finis. Ea propter quo ſtatus eſt Sacratior, atque perfectior, eò excellentioribus illi opus eſt dotibus tam naturæ, quam gratiæ, cui ipſum gubernare contigit.

Probaturus Apoſtolus, quantũ Prælati, & legis miniſtri Euangelicæ ſapientia, atque perfectione Magiſtros legis antiquæ excedere deberent, vt ſuo debitè, quod Deus ipſis impoſuit, ſatisfacere poſſent officio, pro argumento aſſumpſit inæqualitatem finium proximorum, ad quos ordinatæ ſunt ambæ leges:

ges:

ges: Miniſtri enim legis antiquæ ſe firmabant in cortice litteræ, quæ præbebat mortis occaſionem potiùs, quàm vitæ. Nos autem, (de ſe, & ſui ſimilibus Apoſtolus loquitur) ad Spiritus medullã vſque in littera incluſam pertingimus, & penetramus, Quaſi dicere vellet (prout Caietanus ex Hebraico transfert) nos Magiſtri ſumus non litteram ſolũmodo attendentes, ſed vſque ad ſpiritum peruadentes; in quem finem Deus nos impertiuit iis naturæ, & gratiæ dotibus, quibus dignè fungi poſſimus officio ſeruorum, & miniſtrorum eius, vtì ex his eius propalam eſt verbis. *Idoneos nos fecit miniſtros noui teſtamenti non littera ſed ſpiritu* (vbi Caietanus legit non litteræ, ſed ſpiritus) *littera enim occidit, ſpiritus autem viuificat.* Ex hac itaque differentia, quæ inter noui, & veteris teſtamenti intercedit miniſtros, format Apoſtolus argumentum, quod Logici vocant à minori ad maius, & ſic inquit. *Quod ſi miniſtratio mortis litteris deformata in Lapidibus fuit in gloria, ita vt non poſſent intendere filij Iſrael in faciem Möyſi propter gloriam vultus eius, quæ euacuatur, quomodo non magis miniſtratio Spiritus erit in gloria?* Si Moyſem, à quo non alia lex, quam ſolam attendens litteram, & in tabulis exarata lapideis publicanda erat, quæ verans malum, & eius non ſanans, vel arcens cupidinem, occaſio erat mortis animæ accipientibus, & non obſeruantibus eam, vſque adeò ſuper alios eminere decebat, vt Deus voluerit faciem eius (quò maior à populo ipſi haberetur honor, & veneratio) tanto ſpendore, & luminis claritate implere, vt in eam filij Iſrael obtutum figere non auderent, quantò magis cultu, & honore dignos, atque eximios decet eſſe miniſtros Euangelicæ legis, quæ ſacra eſt, & vitam conferens animabus, nec ſcripta duro in lapide, ſed intimis penetralibus cordis? Quantum itaque lumen puritatis, & ſanctimoniæ par eſt, reſplendeat in ſermone, & actionibus ipſorum, ratione cuius magnam ſui venerationem, atque ſuſpectum iis, qui intuentur ipſos, imprimant, & ad ſui imitationem inflamment, vt hoc agendi modo perfectio, quam ipſi in ſchola Ieſu Chriſti aliis communicandam, & participandam hauſerunt, in ſubditis appareat, & effulgeſcat.

2. Cor. 3. v. 6.

§. Et

Digitized by Google

§. & Conſilium IV.

Fit mentio de præclaris naturæ, & gratiæ dotibus, ſingularique ſuper cæteros prærogatiua, quæ in ijs requiruntur Rectoribus, qui Sacrarum perſonarum, & vitæ contemplatiuæ operam dantium regimini ſunt admoti.

LIcèt doctrina antegreſſi paragraphi ſit vniuersè vera pro quolibet hominum gubernio, præſertim Religiosè viuentiũ, ſingulari tamen ratione conformis eſt vero ſi loquamur de ijs, qui regere, atque inſtruere tenentur perſonas vitam contemplatiuã profeſſas. Sicut enim talis viuendi modus tranſcendit modum vitæ communis, ad quam natura, & prudentia carnis propendet, ita neceſſe eſt, vt Rectores, & inſtructores talem vitam ducentium, ſint admodum verſati in rebus ad vitam Religioſam ſpectantibus, & nequaquam aliter ſe duci permittant, niſi à Spiritu Dei in cunctis animi motibus, & actionibus ſuis. Hac ratione adductus Doctor Angelicus inconcuſſa tenet pro veritate, quòd licèt inter omnes res, quas Deo humana offerre poteſt paupertas, illud eius oculis magis gratum ſit ſacrificium, quo vnà noſtram, & proximi ipſi offerimus animam, & proinde ſit etiam faſſus Gregorius, non eſſe Maieſtati Diuinæ gratius ſacrificium, quàm Zelum animarum; licèt, inquam, hoc perinde mortalis, ac Angelicus ſentiat Doctor, poſterior tamen vltra affirmat, plus meritorium eſſe, maioriſque perfectionis, ſiquis per exercitia vitæ contemplatiuæ potiùs quàm actuoſæ animas ad amorem Dei promoueat, atque conducat: contemplatio enim eſt expeditior via ad vnionem Dei, qui vltimus eſt hominis finis, ad quem omnis aliorum inſtructio, & ſacrum animarum regimen ſunt referenda, & dirigenda. Actio autem eſt præparatio tantùm ad contemplationem, per quam animæ à noxis, & imperfectionibus ſuis expurgantur, atque emaculantur. Suam hac in re mentem his ſuis Sanctus Doctor aperit verbis. *Inter omnia bona hominis Deus maximè acceptat bonum humanæ, vt*

hoc

Digitized by Google

hoc ſibi in ſacrificium offeratur, &c. Quantò autem homo animam ſuam, vel alterius propinquiùs Deo coniungit, tantò ſacrificium eſt Deo magis acceptum. Vnde magis acceptum eſt Deo, quòd aliquis animam ſuam, & aliorum applicet contemplationi, quàm actioni. Per hoc ergo, quod dicitur, quod nullum ſacrificium eſt Deo magis acceptum, quàm Zelus animarum, non præfertur meritum vitæ actiuæ merito vitæ contemplatiuæ: Sed oſtenditur magis eſſe meritorium, ſiquis offerat Deo animam ſuam, & aliorum, quàm quæcunque alia exteriora dona. Ex quo ſequitur, moderari animas inſtitutum vitæ contemplatiuæ ſectantes eſſe magiſterium, quo ipſæ perfectioni proximè admouentur, & ratione quidem, ac pacto cæteris præcellentiore, naturam ſupergreſſo, magiſque difficili, ad quem oportet natura humana ſpeciali Dei fauore, & gratia eleuetur. Ex quo arguitur, ſingulariſſimas, & præter modum conſuetum excellentes in ijs requiri naturæ, & gratiæ dotes, qui regimini eiuſmodi inſtituta ſequentium ſunt impoſiti, atque præfecti. *D. T 2. 2. q. 182. art. 2. ad 3.*

Huius rei rationem facilè capiemus, ſi conſiderare velimus, quòd non ſolùm in operibus naturæ, ſed etiam in cunctis artibus, atque ſcientijs, quò effectus eſt perfectior, & expolitior, eò maiorem in ſua cauſa à qua producendus eſt, requirit perfectionem, & ſi quando effectus eſt talis conditionis, vt ad perfectionis ſummitatem pertingat, tum cauſa, à qua pendet, ex omni pollentia ſua agere debet, & quouſque virtus, & facultas eius ſe extendere poteſt, ita vt minor illa nequaquam ſufficeret. Quod clarè in ſole videre licet, quem nuncupat Rupertus *Cor Cæli, mentem, & temperamentum mundi*. Licèt enim hic planetarum, & cæterarum ſtellarum Princeps mirum in modum ſuam, quam Deus indidit ipſi, perſpicuam faciat præcellentem virtutem in productione omnium rerum materia conſtantium, inter omnes tamen eius effectus nullus præſtantior eſt, quàm effectus ipſius eſſe humani, ſicut inter omnia, quæ operatur in homine, excellit productio ſpecierum Phantaſiæ ſeu facultatis imaginum formatricis: quia magis accedit ad eſſe incorporeum, quo aſſimilamur Angelis, & eſſe Diuino. Quod cauſæ eſt, quòd ſoli in productione ſpecierum ſit impendenda omnis ſua facultas viſque agendi, ita vt modus, virtuſque producendi conſueta, qua producit res alias nequaquam ad productionem ſpecierum par eſſe poſſet. Cùm enim ſpecies certo quodam modo aſſimilentur, & *Rupert. lib. 1. geneſ. c. 14.*

Digitized by Google

D. Thom. q. 5. de pot. art. 8. vide Banez ſuper 1. p. D. Thom. qu. 78. art. 3. ſub. 2. in reſp. ad 1. arg. dub. 3. concl. 3.

ad res incorporeas ſpectent, idcircò virtus materialis Cœlorum eas ſe ſola producere non poteſt (vt teſtis eſt Doctor Angelicus) Si non eleuetur, & vniatur motrici Intelligentiæ. Eodem prorſus modo philophari oportet de præſenti materia: tanta namque, ad quam in inſtitutis vitæ contemplatiuæ aſpiratur, eſt perfectio, & in eo, cui ipſam conſeruare, & promouere incumbit tam eminentes interriti animi, boni exempli, prudentiæ, ac Cœleſtis ſapientiæ requirit partes, vt excultiſſimus quiſque, omnique experientia elimitatus, Dei etiam adiutus gratia, Diuinoque eius ſpiritui adunatas omnes ſuas vires, & dotes impendere debeat, ſi tanto ſuo munere ritè perfungi velit. Ex hoc fonte, & capite ſuam trahit originem illa tam ſtricta obligatio, qua ius ſuffragij habentes in denominatione, pro his inſtitutis eligendorum tenentur omnino omnium meliorem, digniorem, & aptiorem eligere, per quem talia inſtituta in ſuo poſſint conſeruari vigore, & ad ampliora prouehi incrementa, ita vt regimini huiuſmodi communitatum admouendos omni eo excellenter dotatos eſſe oporteat, propter quod cæteris Superiores habentur: ſi enim hoc deficiantur exceſſu, minùs fieri non poteſt, quin ea ex parte talium perfectio, & ſplendor cœtuum flaceſcat, & labefactetur, quo inſufficiens Prælati ſpiritus, atque habilitas pertingere nequit. Quin imò hoc ipſum quandoque in cauſa eſt, vt tales cœtus paulatim omnino labaſcant, & relaxentur, vtì de nonnullis hoc genus regentibus in comperto eſt, qui multa cum perfectione orditi ſunt, & pro tunc ad plantandam, & conſeruandam religionem habiti fuere pro Prælatis valentibus, atque præferuidis.

§. & Conſilium V.

Quàm parui numero ſint: qui ijs polleant naturæ, & gratiæ dotibus, quæ ad bene regendum deſiderantur.

Ex doctrina in præmiſſis tradita paragraphis, quæ in comperto, & confeſſo eſt apud vniuerſos Sanctos Patres, & Magiſtros aſceticos, clarè infertur, per paucos eſſe, qui ad mu-

munus Sacræ præfecturæ dignè obeundum neceſſarijs inſignes ſint dotibus, atque habilitatibus, in illis potiſſimùm cœtibus, qui magnam profitentur perfectionem: quia (vt Diuinè Doctor Angelicus docet) bonum communi naturæ ſtatui æque commenſum in pluribus facilè reperitur, & vix ſunt aliqui, qui eo deſtituantur. Idcirò videre licet, pleroſque homines vſu rationis ſufficienti valere, vt congruenter ad ordinarium, quem natura eorum petit, modum in peculiaribus regere ſe actionibus norint, & hoc ſe regendi modo omnes ferme homines potiuntur, ſolis exceptis ſimplicibus, atque hebetibus; plures verò laborant defectu boni, atque perfectionis curſum, modumque naturæ humanæ communem excedentis, & ſuperantis, qui verò ea præditi ſunt, modico comprehenſi ſunt numero. Exinde conficitur, opus eſſe, vt vires, prudentia, rerumque Diuinarum notitia, inſtituta præſertim multùm perfecta, & reformata regentibus neceſſariæ, modum excedant communem, & ordinarium, quibus dignè muneri ſuo ſatisfacere valeant, quod cauſæ eſt, admodum paucos eſſe ijs præditos, perplures numero ijs defectos. Quæ omnia his Diui Thomæ verbis confirmo. *Bonum proportionatum communi ſtatui naturæ accidit, vt in pluribus, & deficit ab hoc bono vt in paucioribus. Sed bonum, quod excedit communem naturæ ſtatum, inuenitur vt in paucioribus, & deficit ab hoc bono vt in pluribus. Sicut patet, quòd plures homines ſunt, qui habent ſufficientem ſcientiam ad regimen vitæ ſuæ, pauciores autem, qui hac ſcientia carent, qui moriones, vt ſtulti dicuntur, ſed pauciſſimi ſunt reſpectu aliorum, qui attingunt ad habendam profundam ſcientiam intelligibilium rerum.* *D. Thom. 1. p. q. 23. art. 7. ad 3.*

Habebat quondam Chriſtus Dominus (vt Euangelica refert Hiſtoria) de electione Præfectorum, & Eccleſiæ ſuæ Rectorum ad tum temporis præſentes ſermonem, cuius facit mentionem Doctor Mellifluus in epiſtola ad Archiepiſcopum Senonenſem ſcripta, & his cum verbis expendit. *Quærens denique cui ſe credere debeat, cui tutò ſua committat diſpenſanda myſteria, & quaſi difficilè inueniens ſub admiratione interrogat. Quis putas fidelis ſeruus, & prudens, quem conſtituit Dominus ſuper familiam ſuam?* *S. Bernard. Epiſt. 42. ad Archiep. Senonenſem c. 2.*

Perdifficile eſt, vnum comperire virum, qui fidelitate, prudentia, cæteriſque pro gubernio requiſitis ita excellat virtutibus, vt ei omni cum ſecuritate demandari poſſit Sacræ Præfecturæ officium, & ſperari ab eo in adminiſtratione omnimodam dandam fore ſatisfactionem. Quapropter res admiratio-

Digitized by Google

ne digna eſt, ſi poſt longum, & accuratè factum examen vnus duntaxat, qui talis conditionis ſit, offendatur. Quod clarè colligi poteſt ex illo Chriſti Domini rogatu, quo quaſi neſcius quærebat, vbi arbitratu veſtro inuenietur prudens, & fidelis ſeruus, cui Dominus eius concredere poſſit domus, & familiæ ſuæ dignam adminiſtrationem? Iuſtiſſima ergo ex cauſa miſeratur Diuus Bernardus in citata epiſtola amaro animo paupertatem, & facultatis hac in materia inopiam filiorum Adam

Ibidem. in hæc verba prorumpens. *Væ noſtro generi ab imperfectione ſua. Vix in multitudine hominum vnum reperio in vtraque gratia conſummatum. Haud facilè ſiquidem vel prudenti beneuolentiam, vel fideli ineſſe prudentiam deprehendas, ſine numero autem ſunt, quos vtriuſque muneris expertes eſſe conſtiterit*. Proh dolor (vult dicere Mellifluus Scriptor) quanta eſt noſtra miſeria, quàm magna ad res bene gerendas noſtræ facultatis egeſtas: vix enim vnus inter plurimos reperitur, qui prudentiam, aliaque virtutum decora habeat, quæ ad bene regendum requiruntur, infinitus autem eorum numerus eſt, quos his omnibus cernas defectos. Et tamen hos poſtremos non rarò contingit alijs dominari, vt ve-

Eccleſiaſt.8. rum ſit illud Eccleſiaſtæ. *Interdum dominatur homo homini in malum ſuum*, vtique in pænam peccatorum miſerorum mortalium. Talem animaduerſionem ſuper populum Dei inducendam ſemel prædixit, & interminatus eſt vates Iſaias his verbis.

Iſ.3. *Ecce enim dominator Dominus exercituum auferet à Ieruſalem, & à Iuda validum, & fortem, &c. Virum bellatorem, Iudicem, & Prophetam, & Ariolum, & Senem: Principem ſuper quinquaginta, & honorabilem vultu, & Conſiliarium, & Sapientem de Architectis, & prudentem eloquij myſtici. Et dabo pueros Principes eorum, & effæminati dominabuntur eis.* Spoliabit eos Rectoribus, qui ad fructuosè regendum digni, & apti eſſent, eorumq; loco moderatores ſubſtituet, ſapientia, & prudentia perinde vacuos, acſi pueritiam nondum eſſent egreſſi, & non plus animi haberent, quàm mulierculæ. Vbi perdignum obſeruatu eſt, quod, quando vates loquitur de indignis, in numero loquatur (vt cũ Macrobio loquar) pluratiuo; dũ verò de dignis, & habilibus eius ſermo eſt, vtatur numero ſingulari, quaſi horum non niſi vnicus eſſet. Teſte ergo prefato vate. Remouebit Deus à Ieruſalem, & Iuda viribus validum, & intrepidi pectoris virum, qui pro cauſa Dei animo decertet inuicto, peritumque boni, & prudentis dandi conſilijs, cœleſti pariter dotatum doctrina ad alijs explicanda abſtru-

ſiora

Digitized by Google

ſiora, ſecretioraque Dei myſteria. Horum verò modo memoratorum loco pueros; id eſt, nulla experientia, & ſenio elimatos, ſed adhuc molles, flaccidos, & nulla rerum peritia induratos ſufficiet, vt eorum ſint Principatum tenentes, & regiminis clauum verſantes. Compertum autem, & exploratum eſt, quòd in vna Republica tam magna, ac Iudæorum fuit, antequam Deus hanc ipſi inflixerat pœnam, vno plures fuerint, in quibus reperiri poterat fortitudo, heroicus animus, & ſapientiæ decus ad bene gubernandum deſiderata. Quia tamen Spiritus Sanctus manifeſtum facere voluit, quàm modico eſſent numero his qualitatibus cum neceſſario perfectionis gradu inſtructi comparatè loquendo ad eos, qui ijs ſunt deſtituti; idcircò primos ad tam exiguum reduxit numerum; Secundos verò ad tam magnum. Inde eruitur magna eorum allucinatio, qui tempore faciendarum electionum tam facilè putant ſe ſatisfeciſſe ſuæ conſcientiæ, dum ſibi perſuadent, plures eſſe, qui eligi mereantur, cùm tamen (vt vidimus) tam ſit res ardua inter plures vnius integræ communitatis, vel fortaſſe prouinciæ vnum ſolummodo inuenire ijs clarum dotibus, quæ requiruntur ad perfectè obeundum munus Prælati, præſertim ſi communitas talis ſit, vbi perquam tenuia de perfectione fila ducuntur.

§. & Conſilium VI.

De ſingulari Dei auxilio ſummè neceſſario ad faciendam bonam eorum electionem, qui apti ſint pro gubernio, quod ſtylo proſequimur.

POſt bene intellectam hic ſupra relatam doctrinam faciliùs erit capere eam, quam hicce tradit paragraphus; cùm enim alios regere res admodum operoſa ſit, multùmque circumſpectionis, atque prudentiæ, vt debitè exerceatur, requirens, & illi, in quibus ad tantum opus neceſſariæ dotes inueniuntur, perrarè ſint ſati, non dubium, quin facilis viſu difficultas ſit eiuſmodi dotes diſcernendi in ijs, quos conuenit eſſe electos, præſertim ſi tales ſint, qui his in officijs nunquam exercitati fuere. Patet hoc ex Abulenſis effato his verbis

bis

Digitized by Google

Abul. q. 37. ſuper c. 11. Num. bis conſtante. *Difficile enim eſt, periculoſum, incognitum aſſumi in principatum*. Operoſum, obnoxiumque periculo eſt, ad gubernandum perſonas eligere, de quarum prudentia, & omnimoda habilitate plena non habetur notitia, cùm etiam illi ipſiſſimi electores, qui iam aliquam ſibi hoc in negotio comparauere experientiam, ſpeciali (ne aliquem in eligendo committant errorem) lumine, & auxilio Dei indigeant, electi verò ſpiritu ſuprahumano, vt ſuo debitè ſatisfacere poſſint officio, ad quod fuere aſſumpti.

Huius rei veritatem bene perſpectam habebat magnus ille populi Dei Rector, Patriarcha Moyſes, qui cum ſub ſua cura tantam multitudinem haberet regendam, & tam magnam in regendo, & inſtituendo difficultatem ſentiret, à Deo petere fuit conſtrictus, vt ſe vel ex hac vita eriperet, vel tanto pondere, ſi placeret, deonerraret. Hæc eius ſupplex petitio his verbis erat concepta. Num. 11. v. 14. *Non poſſum ſolus ſuſtinere omnem hunc populum, quia grauis eſt mihi, ſin aliter tibi videtur, obſecro, vt interficias me, & inueniam gratiam in oculis tuis*. Quamuis, inquam, Moyſes tam peritus eſſet tanti populi Rector, quoſdam tamen, qui Sacro in gubernio, maioriſque momenti rebus operam ſuam conſociarent, ſeque iuuarent, eligere ſibi vni nequaquam fidebat, donec à Deo in mandatis accepit, vt ſeptuaginta viros ex filijs Iſrael, de quibus ſibi prudentiores præ cæteris, & ſapientiores in populo eſſe conſtaret eligeret. Quinimmò hoc præcepto iam habito etiamnum neceſſe fuit, vt ipſum redderet Deus ſecurum, & iam electis, ad loquendum ſibi in eorum præſentia deſcenderet, talemque ipſis gubernij ſpiritum impertiret, quali ipſe fuerat muneratus, vti hæc libri numerorum verba demonſtrant. Et dixit Dominus ad Moyſen: Ibidem. *Congrega mihi ſeptuaginta viros de ſenioribus Iſrael, quos tu noſti, quòd ſenes populi ſint, ac Magiſtri, & duces eos ad oſtium tabernaculi fœderis, facieſque ibi ſtare tecum, vt deſcendam, & loquar tibi, & auferam de ſpiritu tuo, tradamque eis, vt ſuſtentent tecum onus populi*. Opus eſt hoc loco bene notetur, quòd, poſtquam Deus in hac tam numeroſa Republica iam inuenerat aliquos, quibus tutò Gubernium, & Magiſtratum concredere poſſet, eorum tamen electionem non niſi ſoli Moyſi confiderit, vtpote viro, qui ſecum indeſinenter agebat, & hac via magnam, & raram ſibi prudentiam comparauerat, ad dotes, & qualitates eligendis neceſſarias cognoſcendas, vt ſecuritati electionis eſſet ritè

proſpe-

Digitized by Google

proſpectum, atque conſultum. Prouidentia enim, cuius offi-cium eſt, apta ad finem intentum perueniendi præſcribere media, eſt, teſte Doctore Angelico, præcipua prudentiæ pars, vti ex his verbis perſpicuum eſt. *Ratio ordinandorum in finem propriè prouidentia eſt: eſt enim principalis pars prudentiæ.* Quapropter, quò hæc virtus magis in altum proiectum, magiſque vniuerſalem, atque communem reſpicit finem, eò ſublimiorem, & magiſterium condecentem tranſcendit in ordinem, & prout huic ſubſtat conſiderationi, vocat eam citatus Doctor cum Ariſtotele ſuum calculum dante, architectonicam. Hæc eſt illa prudentia, quam par eſt, habeant electores rectorum, vt tuta ſit eorum electio, & ex ſententia fluat, atque ſuccedat: Sicut enim vnius architecti templum aliquod extruere, vel ichnographiam ſuam, ſiue formam mente præconceptam, & deſignatam ad praxim reducere cupientis officium eſt, peritos operis deputare magiſtros, cùm ipſe regulas artis excelſiore, & eminentiore poſſideat gradu, adeoque perfectiùs internoſcat conditiones, & qualitates, quas inferiores operis magiſtri, vt ad ſuum pertingant ſcopum, habere oportet. Ita neceſſe eſt, vt ij prudentia limitatiore, & architectonica inſtructi ſint, quorum intereſt Prælatos eligere, doteſque examinare, atque expendere, quæ in eligendis requiruntur, vt ritè muneri ſuo ſatisfacere poſſint, ſine hac verò prudentia integrum non eſt erroris expers ferre iudicium, & habilitatem, atque prudentiam in eligendis neceſſariam ſatis habere exploratam, imò etiam hæc ſola non ſufficit ſine conſortio luminis, & adiumenti à Deo ſubminiſtrati, qui ſolus reddit prudentiam humanam ſecuram. Cuius rei præclarè dat rationem Doctor Angelicus per hæc verba: *Quia humana ratio non poteſt comprehendere ſingularia, & contingentia, quæ occurrere poſſunt, fit, quòd cogitationes mortalium ſint timidæ, & incertæ prouidentiæ noſtræ, vt dicitur Sapientiæ 9. Ideo indiget homo in inquiſitione conſilij dirigi à Deo, qui omnia comprehendit, quod fit per donum conſilij, quo homo dirigitur, quaſi conſilio à Deo accepto. Et articulo 2. Donum conſilij correſpondet prudentiæ, ſicut ipſam adiuuans, & perficiens.* Ex verbis itaque Doctoris Angelici diſcimus Prouidentiam veſtram ex mente Sapientis ſemper comitatam eſſe ſuſpicione, atque formidine, niſi eleuetur ſupra ſphæram humanarum induſtriarum, & hoc prouenit ex noſtræ impotentia rationis, quæ varietates rerum, caſuumque ſingularium, & fortuitorum perſæpe ſe ſe offerentium

D. Th. 1. p. q. 22. art. 1. Ariſtot. 6. Ethicor. Item D. Th. 22. q. 59. art. 2. ad 2.

D. Th. 22. q. 52. art. 1. ad 1.

Digitized by Google

tium comprehendere nequit mutationes, in mediorum, proinde inquiſitione, & de agendis conſultatione opus habet regi à Deo per donum conſilij, quod inſtar formæ perficit, & roborat rationem humanam, cuius opera homo ſecurè, atque fidenter procedit, & operatur, ad modum illius, qui conſilio ſapientiæ, prudentiæque diuinæ, quæ omnes res comprehendens nulli ſubiacet defectui, eſt impertitus. Ex rationibus ſupra iam ſtabilitis pariter conficitur, & infertur, quàm ſtricta ſit obligatio, qua electores in perfectis inſtitutis tenentur ad viros ſemper meliores, magiſque conſummatos eligendos: nam ſi ſemel ſpectet ad iam electos nouorum facere Prælatorum delectum, qui ipſis ſuccedant, tam ipſi nec maioris prudentiæ, nec maioris aptitudinis, quàm ipſi habent, ſolent habere rationem.

Imò plerumque, & maiore ex parte non multùm æſtimant, paruique pendunt prudentiores ſe, zeloque obſeruantiæ regularis magis conſpicuos, minimaque curantes, & quia iudicium electionem neceſſariò antecedat, oportet, ſequitur inde, electionem bonam eſſe non poſſe, ſi rectum non præcedat iudicium, quod vulgò, & communitèr cauſa eſt, propter quam Reformatæ Religiones ſuum primum deperdunt feruorem.

§. & Conſilium. VII.

De magnis naturæ, & gratiæ donis, ac meritis, quibus præcellant, neceſſe eſt, qui ad Sacras Præfecturas ſunt aſſumendi.

CVm ex dictis perſpicuum ſit, inſtitutione, & conſilio Dei humanam perfici prudentiam, conſultum proinde erit, vt electores Rectorum, potiſſimè regularium (ne error iuſtitiæ diſtributiuæ aduerſans committatur) animum aduertant ad conſilium à Deo Moyſi per Ietro eius ſocerum datum, quo docebat ipſum dotes, & virtutes, quæ in ijs requirebantur, quos aſſumere cogitabat pro temporali populi ſui adminiſtratione. His verò conſilium conſtabat ex verbis. *Proinde autem de omni plebe viros ſapientes, & timentes Deum, in quibus ſit veritas,*

Exod. 18. v. 21

Digitized by Google

tas, & qui oderint auaritiam, & conſtitue ex eis tribunos, & centuriones, & quinquagenarios, & decanos. Vbi loco verbi. *Auaritia*, ſupponit Auguſtinus quæſt.68. in Exod. hæc alia: *Qui oderint ſuperbiam*. Verùm hic obiter nota, eum non loqui de ſuperbia vniuersè, ſed de arrogantia ſuperbiæ ſpecie, per quam vnus plus ſibi vanè attribuit, quàm à Deo, & natura datum accepit, vti ex infra dicendis patebit. In hoc à Deo Moyſi dato conſilio, modoque, quo dedit, electoribus conſideranda ſunt duo. Primum eſt præparatio animi, qua ex parte ſua conentur, ita ſint comparati, vt à Deo conſilium, & illuminationem accipere facilè poſſint, licèt enim Moyſes linguam vulgarem Ægyptiacam apprimè calleret, haberetque intellectum diuinæ luce Sapientiæ oppidò illuſtratum, conuerſationemque cum Deo perquam familiarem; Deus tamen hoc conſilium ipſi dare per ſeipſum non voluit, ſed interuentu hominis idololatræ, atque gentilis ad publicam per hoc faciendam lenitatem, ac manſuetudinem, quacum Moyſes datum ſuſcepit conſilium, non habita ratione, quòd ipſe ad populum Dei regendum à Suprema eius Prouidentia eſſet allectus ob dignas ad hoc munus qualitates in ipſo perſpectas, quibus in futurum eligendos decebat eſſe ornatos, cuiuſmodi ſunt, eſſe veritatis amicum, oſoremque temeritatis, & arrogantiæ. Has ob rationes fuit Moyſes à Deo propoſitus pro forma, & exemplari omnium incorrupta fide eligentium, ſuo eos docendo exemplo, ipſis, ne committant aliquem hac in cauſa defectum, teſte Auguſtino ſuper hunc textum, incumbere, habere tam ſeriam, rem bene faciendi, acuque tangendi, voluntatem, tamque ſincerum veritatem cognoſcendi affectum, vt, quando Deus ipſos docet (quocunque demum id fiat modo) parati ſint ad doctrinam eius ſummiſſa mente, docilique corde ſuſcipiendam. Vti videre licet ex his allegati Doctoris verbis. *In quo ſcriptura nos admonet, per quemlibet detur conſilium, non debere contemni*. Arrogantia enim eſt nouerca omnis boni hoc in negotio euentus, atque proceſſus. Meritò ergo affirmat Origenes, Moyſem facta ſibi quæſtione de ſucceſſore deligendo, hoc facere timuiſſe, atque rem eò vſque prorogaſſe, donec ſibi certò conſtaret de mente, & conſilio Dei. *Quis, ita, inquit, potuit eligere Principem populi, vt Moyſes poterat? Sed hoc non facit, non eligit, non audet.. Cur non audet? Ne poſteris præſumptionis relinquat exemplum.*

S. Aug. vbi ſupra.

Origen. ho. 21. in cap. 27. Num.

Digitized by Google

Quis meliùs pro populo Dei deſignare Principem poterat, quàm Moyſes, id tamen facere non eſt auſus, nec etiam fecit, vt ſucceſſoribus ſuis malum temeritatis, atque inconſiderantiæ non relinqueret poſt ſe exemplum, & vt omnem arrogantiæ ſpeciem ab eorum exigeret cordibus, qualis eſt, inferiorum non admittere conſilium, tamque parùm veritatem, quam bono corde dicunt, gratam habere, vt non niſi vi poculi, in quo ipſis ad bibendum porrigitur, admittere velint eam.

Alterum ab electoribus in hoc conſiderandum conſilio eſt, vt oculum, & animos aduertant ad qualitates, & dotes perinde gratiæ, ac naturæ, quas in eligendis exigit Deus. Per illas enim oſtendit, atque deſignat, qui ſint illi, quos ipſe penes ſe iam elegit, iiſque præditos præ cæteris dignos eſſe decreuit, vt à Vicarijs ſuis attollantur ad muneris dignitatem. Quod ſi fecerint, implebunt conſilium à Deo Prophetæ Samueli datum, quando miſit eum vnctum Dauid in Regem, 1. Reg. 19. quod tale fuit. *Vnges Regem, quem monſtrauero tibi*. Quæ verba tali ſuo illuſtrat commento Papa Gregorius. *Vt nullus promoueatur, niſi qui dignus tanto ordine Scripturarum Sacrarum laude decernitur. Et parum antea. Qui ſunt, qui vngunt, quos non monſtrat Deus, niſi, qui carnali affectu ad Eccleſiarum culmen ordinandos ducunt, qui non merita diſcernunt, ſed perſonas accipiunt? Quod ſuum eſt, faciunt, quod Dei eſt, tollunt. Dei quidem eſt, perſonam monſtrare, ordinatoris præbere vnctionem. Dum ergo ipſi ſibi monſtrant, quos vngunt, habere Deum cooperatorem nolunt. Vnde per Prophetam Oſeam de talibus electis Dominus queritur dicens: Ipſi regnauerunt, & non ex me: Principes extiterunt, & non agnoui*. Conſecrare, & vngere illum, quem Deus præmonſtrat, atque deſignat, non eſt aliud, quàm ſuum nulli alteri dare ſuffragium, vel ad regiminis dignitatem euehere, niſi illum, qui præſtat dotibus ad tale officium neceſſarijs, & à Deo nobis in Sacra Pagina indicatis. Quando verò nulla ad iſtas habita ratione, quis vngit, vel conſecrat aliquem, in quem ſola ſua propendet inconſulta affectione, illique præfert, quem Deus ob ſua merita, quæ ab extra apparent, denotat, & ſpeciatim demonſtrat, tum talis delectus eſt totus humanus, & de diuino nil habet: quia in eo homines faciunt, quod hominum eſt, & non permittunt Deum facere, quod ipſe ſibi ſoli reſeruat. Ad electorem non ſpectat, niſi

S. Greg. in 1. Reg. lib. 6. c. 3

elige-

Digitized by Google

eligere, ad Deum verò deſignare. Quapropter ſi homines eligunt, quos volunt, tum Deus in eiuſmodi electione nullam habens partem iniquè excluditur.

Meritò ergo de hoc eligendi modo per vatem Oſeam his verbis conqueritur, *Ipſi regnauerunt, ſed non ex me; Principes extiterunt, & non cognoui*. Quod eſt dicere, Superiores inaugurati, & renunciati ſunt, & neſciui, eorum enim electionem ratam non habui. Vt itaque ſuffragatores tam iuſtam, multùmque pertimeſcendam Dei declinare poſſint querelam, in faciendorum cauſa Rectorum, nullo modo ſuum calculum ponant, niſi pro ſignatis, & à Deo neceſſarijs dotibus prænotatis. Et quoniam hæc ſigna, & teſſeræ in conſilio per Ietro Moyſi dato ſunt complexa, videamus ſi placet, quatuor illarum virtutum inibi requiſitarum decora, quæ ſi Rectoribus adſint, tum illorum cœtuum, vbi tales gubernant, proſperitati, bonoque publico ritè proſperum eſſe, mentis eſt Caietanus, vti ex his eius clarum eſt verbis. *Libra prudens lector has quatuor conditiones virorum: qui aſſumendi ſunt ad regimen aliorum, & perſpicies, beatam eſſe rempublicam, in qua tales eliguntur*. Vbi ſingulari dignum eſt obſeruatu, quòd ſi Deus has virtutes requirebat in illis, qui Moyſi ſubſidio eſſe debebant in gubernio ſolummodo temporali, cauſiſque, & litibus ciuilibus, in quanto ſublimiore, & excellentiore eaſdem requiret gradu in illis, qui in Vicarios, & Adminiſtros pro ſacro animarum gubernio cooptantur ad eas in viam ſalutis dirigendas, & ad perfectionem amoris ſui perducendas. Vt enim ſupra iam vidimus, quò finis regiminis eſt ſacratior, atque excelſior, eò eminentiores, & perfectiores in ijs requirit dotes, quorum intereſt illud adminiſtrare.

Caiet. in illa verba Exod. 18. v. 21. Prouide viros ſapientes, &c.

Digitized by Google

§. & Conſilium VIII.

In quo agitur de primis in antecedente paragrapho relatis verbis, quæ ſunt de facienda electione ex omni plebe.

ANteqüam particulatim agamus de qualitatibus, quas Deus requirit in iis, qui legendi ſunt in Prælatos, in rem erit parumper immorari in verbis conſilij à Ietro Moyſi dati, quæ ſunt. *Prouidè autem de omni plebe*. In illis enim inueniemus maximi ponderis documentum ad bonam, & tutam faciendam electionem. Eſt profectò res admiratione digna, quòd, cùm eſſent tot differentiæ inter tribus, & familias populi Dei, eæque eſſent tot ſingularibus diſcretæ, & diſtinctæ proprietatibus, Deus tamen per Ietro dictum voluit Moyſi, Rectores populi ex omni plebe eligi oportere. Mirum tamen nemini videbitur, ſi ratio inſpiciatur, quæ talis eſt: quia limitationes, atque reſtrictiones in Prælatorum electione communiter pariendis ſunt expoſitæ, tametſi placito, & communis populi inclinationi ſint conformes, & acceptentur cum plauſu. Hac enim ratione habent minùs habiles, ne dicam, idiotæ, portam apertam, qua intrent, & ad numerum eligendorum perueniant, ea præcipuè de cauſa, quòd electores manus ligatas habent, eligendique libertatem reſtrictam. Idcircò non rarò contingit, vt electores ad deligendos indignos ſe conſtrictos inueniant, quod tamen è diametro legitimæ electionis perfectioni repugnat: quia (vt Diuus Thomas eſt auctor.) Electio eſt actus liber voluntatis, quæ tantò magis eſt libera, quantò magis indifferens, minùſque ad paucos reſtricta. Verba Diui Thomæ ſic habent. *Non omnis appetitus alicuius propter finem vocatur electio, ſed cum quadam diſcretione vnius ab altero, quæ locum habere non poteſt, niſi vbi appetitus poteſt ferri ad plura*. Infert deinde ex hoc, electionem in animalibus ratione carentibus locum habere non poſſe, vbi hæc eius teſtantur verba. *Et propter hoc brutis animalibus electio non conuenit*. Licèt enim omnis generis bona ſub ſenſum cadentia appetere poſſint: quia tamen eorum appetitus eſt naturaliter determinatus ad vnum, ideo abſque electione mouentur ad aliquid particulare,

D. Tho. in q. 13. ar. 2. ad 2. & in corp.

Caiet. i li.

Digitized by Google

culare, quod electioni directè eſt aduerſarium. Quamobrem, quò magis eligendorum numerus erit pro voluntate eligentium limitatus, eò plus electio de ſua naturali perdet perfectione. Et dato, quòd ad hoc perſuadendum alia non ſuppeteret ratio, id tamen ſolùm, quod experientia docet, ſufficeret ad magna inconuenientia retegenda, quæ huiuſmodi poſt ſe trahunt reſtrictiones, Idcircò prima Religionum capita, & Inſtitutores à primis ſtatim principijs in morem induxerunt hunc vniuerſalem electionis modum, cupidi adamuſſim ſe conformare obligationi iuſtitiæ diſtributiuæ, qua tenemur meliorem eligere, ſiue fuerit, ſiue non fuerit vnquam Superior. In omni autem genere rerum, res illa melior eſſe videtur, quæ meliore electa eſt modo. Hac ratione ſponſa adducta in Canticis Canticorum, cupiens ſui Diuini Sponſi pulchritudinem enucleatiùs commendare, ita fatur de ipſo. *Dilectus meus candidus, & rubicundus electus ex millibus*. Ad denotandum (vt Sanctus bene notat Anſelmus) eò inter omnes creaturas meliorem non dari, prout hæc eius verba conuincunt. *Quia in vniuerſis rebus, nihil eo melius*. Liber propterea numeri vt bonum, & prudens Ioſue laudibus extollat gubernium, non ſuperuacaneè memorat, ipſum ex pluribus fuiſſe electum. *Ioſue electus è pluribus*. Cùm ergo melior ſit meliore modo electus, meliore autem modo electus ſit ille, qui electus ex pluribus eſt, conficitur inde, quòd eadem iuſtitia, quæ ad Sacræ Præfecturæ officium obligat eligere meliorem, conſectariè etiam obliget ad euitandas limitationes immodicas eligendorum. In huius rei confirmationem illud etiam accedit, quòd ex Sanctorum Patrum effato, & noſtris ſupra aſſertis tam rari ſint pro huiuſmodi officijs verè digni, & apti; præſertim in cœtibus magnam perfectionem profeſſis. Ea propter ad inueniendum tales neceſſarium eſt, electionem facere ex vniuerſis, vocem, vt dicunt, paſſiuam habentibus. Interim tamen etiam verum eſt, quòd aliquæ bene oculatæ, & prudentes Religiones in more habeant illos non eligendi in Prælatos, qui munere ſuo defunguntur, maximè ſi præcipua habuere officia, quod ea præter cæteras de cauſis faciunt, vt ſpiritui ambitionis omni ex parte fores præcludant, quæ bellum eſt omnium maximè periculoſum, & noxium, quo Diabolus infeſtare, & acriter oppugnare ſolet, & nonnunquam (proh dolor) etiam expugnare corda Religioſorum. Quamuis enim

Cant. 5. v. 10.

Num. 11. v. 28.

inſi-

inſiſtant ſemitam largæ mundi viæ contrariam, vti eſt rigor pœnitentiæ, paupertatis, ſolitudinis, atque ſubiectionis, hacque ratione ſequantur, & impleant conſilium ab Apoſtolo ipſis tam ſeriò commendatum, fugiendi, & non ſe conformandi modo viuendi huius ſeculi. *Nolite conformari huic ſeculo.* Rom.12.v.2.

Quia tamen è re cuiuſcumque Communitatis eſt, aliquos habere Superiores, qui primum teneant locum, ipſiſque alij obtemperent, & cum modeſtia animi ſubſint (vt moris eſt etiam in ſeculo) quorum muneris ſit ſuper totum, quod in Capitulis, & Comitijs (vbi electiones habentur) ordinatur, atque decernitur, maiorem habere poteſtatem; ſolet tamen contingere, quòd, ſi tales Superiores ad eadem, vel æqualia de nouo eligerentur officia, tum ſubditis magna daretur tentationis occaſio, ſuſpicandique, imò & credendi materia, quod tales Superiores ex quadam imperandi cupidine ad ſuam nouam cooperati fuiſſent electionem. Et quia exemplum Superiorum, huius maximè qualitatis, licèt in pura fundatum ſuſpicione tam eſt efficax, vt ad ſui excitet imitamen, dum ſubditi ſibi falsò perſuadent, permiſſum ſibi eſſe, quidquid imaginantur, vel cernunt Superiores facere, eſſet hoc magnum ad ambitionem, & præfecturæ appetentiam aperire ingreſſum, quæ eſt peſtis Religionum, & quæ ex ſubditis captiuos, mundique mancipia efficit, à quo iam liberi, & expediti exiſtebant. Idcircò prima capita, ordinumque inſtitutores, vt huic tanto obuiarent, & anteuerterent malo, in rem expedientiùs non inuenere remedium, quàm ſi decernerent, & ſtatuerent, vt maiores Prælati, qui ſua finiuiſſent officia, & Conuentibus, in quibus habitæ eſſent electiones, præſediſſent, remanerent in ſtatu ſubiectionis, vel in alijs inferioribus officijs, vt hoc pacto notum omnibus facerent, quòd ſupremum dignitatis inuito tenuiſſent locum animo, humilis verò ſubiectionis ſtatum vltro, ſponte, & liberè amplectantur. Huius rei figura nobis præmonſtrata eſt à Spiritu Sancto Exodi decimo quarto, dum filij Iſrael Aegypto egreſſi in anguſtijs ſe inuenere, ex vna parte Mari, quòd ante ipſos erat, ex altera verò à tota potentia exercitus Pharaonis ipſis à tergo inſtante circumuenti. Remedium autem, quòd Deus ad eos ex hoc periculo liberandos aſſumpſit, aliud non fuit, quàm quod Angelicus Doctor eorum, qui inſtar columnæ nubis antecedebat eos, ſe ponè poſuerit, & hoc pacto Aegyptios, qui eos inſequebantur,

Digitized by Google

bantur, reliquerit tenebris inuolutos, vt videre eos non poſſent, quos capere cogitabant; filios verò Iſrael ſua luce colluſtrarit, vt per medium Maris citato gradu iter carpere poſſent, aquis hinc inde diuiſis, viam pandentibus, in altum firmiter ſtantibus, & murorum vices agentibus. Huius ergo prodigioſæ liberationis modus his verbis in libro Exodi recenſetur. *Tollenſque ſe Angelus Dei, qui præcedebat caſtra Iſrael, abijt poſt eos, & cum eo pariter columna nubis, priora dimittens poſt tergum, ſtetit inter caſtra Aegyptiorum, & Caſtra Iſrael, & erat nubes tenebroſa, & illuminans noctem.* Hoc facto inſtruimur, efficacius non extare remedium impediendi, ne Religioſi relicto ſemel ſeculo, per aſpirationem ad regiminis poteſtatem greſſum eorum ſemper vrgentem de nouo captiui, & mancipia mundi euadant, quàm ſi ad tempus aliquod primam Prælati deferant ſedem (qui teſte Bernardo, Angelus Domini exercituum eſt, vti hæc eius verba indicio ſunt. *Cæleſte tenet officium, Angelus Domini exercituum factus eſt.*) Ac vltimum ſubiectionis, & obedientiæ occupent locum, quo fiet, vt primus ille hilari fronte deſertus locus in obſcuram vertatur nubem, quæ mundo tenebras offundat, quò modum nocendi, damnumque quærentibus Deum inferendi non habeat, ipſis verò pro nube clara, & Solis inſtar reſplendente inſeruiat, qua illuminentur, vt viam videre poſſit, per quam hoſtes ſuos effugere, ac declinare, rectùmque ad cœleſtem ipſis promiſſam patriam iter maiore cum promptitudine currere valeant:

Exod. 14. v. 19.

S. Bernard. in ſerm. ſuper Ecce nos.

§. & Conſilium IX.

Opera eſt, vt Prælatus ſit magni talenti vir, & non ſolùm ingenio, ſed etiam bona voluntate inſignis.

PRima habilitas in aſſumendis ad regimen requiſita eſt, Sapientia, excellens ingenium, atque deſpectus. *Prouide viros ſapientes.* Quæ eſt qualitas Prælatis ita neceſſaria, vt ſine illa reliquæ nulli ſint vſui, vel valori, prout Teſtis eſt Caietanus his verbis. *Viri ſiquidem ingenij naturaliter ſunt aliorum Rectores, & ſine hac parte reliqua nihil valent.* Cùm enim præfectura

Exod. 18. v. 21.

& gu-

Digitized by Google

& gubernatio ordinentur ad ſubditorum directionem, & inſtitutionem, qua quilibet pro ſui ratione inſtituti ad perfectionem ducendus, & prouehendus eſt; hoc verò ſine ſcientia, aut ſapientia obtineri non poſſit, ſi ſemel hæ duæ dotes regentem deſtituant, tametſi reliquis omnibus ſit abundè inſtructus, erit tamen inſtar miſelli Patris-familias, qui quidem beneuolus, & miſericors foret; familiæ tamen neceſſitate preſſæ non proſpiceret, ſed in omni rerum penuria, & ſimplicitate relinqueret, non quidem ex bonæ voluntatis defectu, ſed ex induſtriæ neglectu, & proſpicientiæ incuria. Quocirca, ſicut par eſt, vt facultatibus affluentes pauperibus, & cum neceſſitate luctantibus ſtipem porrigant, ita Doctorum, & Sapientium proprium eſt, alios regere, vtì ex his Diui Thomæ verbis inclaret. *Sapientium enim eſt principari, & præeſſe.* Cui enim magis lumine opus eſt, quàm illi, qui lumine orbos ducere debet? Quæ maior infelicitas eſſe poteſt, quàm videre, quòd Paſtoris obtinentes officium paſcua, quibus ſuas alant ouiculas, inuenire non norint? Et tamen hanc miſeriam in omni ſtatu (vt Teſtis eſt Doctor Melliſluus) Eccleſia Dei quotidie experitur? Quod Ductor ad Cœlum pergentium, etiam, qua ducendi eſſent, ignoret? quod denique in Domo Dei præpoſitus, & Vicarius conſtitutus voluntatem Domini neſciat, vt eam ſuæ curæ commiſſis notam facere poſſit, cui ſe conformare tenentur? Quæ omnia Diuus Bernardus bene aduertit, vtì hæc eius verba teſtantur: *Quid enim periculi ſit, vbi non inuenit Paſtor paſcua, ignorat dux itineris viam, Vicarius neſcit Domini voluntatem: Eccleſia quotidie multipliciter, & miſerabiliter experitur?* De quo Deus per Ieremiam Prophetam in hæc ferè verba iure conqueritur. Sacerdotes, atque Prælati neſcierunt ſibi ſubditis dicere, vbi Deum inuenire deberent, & qui tanquam Magiſtri, atque Doctores legem meam in digitis habere obligabantur, me nec ipſi cognouerunt, neque alijs notum me facere valuere, quinimò ipſi primi fuerunt, qui à me receſſere. Huius quærimoniæ propria verba ſic ſonant. *Sacerdotes non dixerunt, vbi eſt Dominus? & tenentes legem neſcierunt me. & Paſtores præuaricati ſunt me.* Idcircò defectus eorum nullam excuſationem meretur ignorantia enim, quæ excuſat ſubditum, magis reum agit Prælatum. Bene ergo Diuus Bernardus ſic inquit. *Quando enim excuſare ignorantia poſſit hominem, qui ſe Magiſtrum profitetur.* Nulla ergo excuſatione

D.Tho. 12.q. 32.ar.7.ad 1.

D.Bernar.in declamat.vl. 7. ad illud. 1.Corin.4.Si quis ignorat, ignorabitur.

Ierem.2.v.8.

S.Bernard. vbi ſupra.

Digitized by Google

ne dignus eſt, qui cùm Magiſter exiſtat, rei illius ignorantiam habet, quam alios docere deberet. Quapropter prima qualitas, quam Moyſes in eligendis examinare iubetur, eſt, quòd ſint homines Sapientes. *Viros Sapientes*. Sed ingenij vigor, atque ſubtilitas, magnique talenti hominem eſſe, in Prælato non ſufficit, niſi ſimul bonus, & verè timens Deum exiſtat: quia (vt Doctor Angelicus docet) hic ſpecioſus titulus non idcircò cuiquam debetur, quod bono intellectu ſit præditus, ſed eam ob rationem; quòd bonæ ſit voluntatis. Hæc enim ſola eſt, qua quis in ordinem bonorum accerſeri meretur. Propterea citatus Doctor ſic inquit. *Quilibet habens voluntatem dicitur bonus, in quantum habet bonam voluntatem: quia per voluntatem vtimur omnibus, quæ in nobis ſunt. Vnde non dicitur bonus homo, qui habet bonum intellectum, ſed qui habet bonam voluntatem*. Ex quo infertur, quòd quamuis (vt phraſe Euangelica vtar) magnum talentum, & acumen ingenij faciat hominem naturaliter aliorum Rectorem, & ad regendum idoneum; nunquam tamen quis bene reget, vel bonum aget Superiorem, ſi bona voluntate ſit deſtitutus, dat rationem idem Angelicus Doctor: quia nemo poteſt vocari ſimpliciter bonus ob bonum, quod facere poteſt, ſed propter bonum, quod actu facit, non propter dona, & talenta, quæ habet, ſed quia eiſdem vtitur bene comparatè ad finem, propter quem data accepit. Miniſter Euangelicus non ideo ſeruus nequam vocatus eſt, quia talentum, ideſt, bonum intellectum non habuit; *Vnius autem talenti nomine intellectus tantummodò deſignatur*; inquit *Gregorius*; ſed quia bonum habens intellectum, eam ad vtilitatem ſui Magiſtri non impendit, & ſe à ſocordia, & puſillanimitate expugnari, & vinci permiſit. Modò, cùm bonus vſus facultatum, dotum, ac talentorum, quæ homo, vel à Deo, vel à natura accepit, à bona voluntate dependeat, per quam hæ qualitates adhibentur ad opus, inde eſt, quòd bona voluntas bono comitata ingenio ſit illa, quæ bonos creat Prælatos.

D.Tho. 1. p. qu. 5. art. 4. ad 3.

D.Greg. hom. 9. in Euang.

Hæc autem bonitas voluntatis naſcitur, ſuamque ducit originem à Sancto, & qualis filios decet, timore Dei, quem charitas gignit, per quam homo directioni, & gubernio Dei ſe plenè ſubmittit, omnes actiones ſuas ad diuinæ regulam voluntatis conformando, abſque vllius (vt Spiritus Sanctus dicere dignatur) negligentiæ, vel ſocordiæ in Dei ſeruitio admiſſione. *Qui timet Deum, nil negligit*. Quia (vt Sanctus Thomas

Eccl. 7. v. 20.

Digitized by Google

mas pro teſte eſt) huic timori proprium eſt indeſinenter voluntatem extimuiare, & vrgere, vt actiones rationi conformes exerceat, & ad eius peragantur impletionem, quod ſibi à Deo iniunctum eſt. Vti hæc relati Doctoris verba dubitare non ſinunt. *Timor facit negligentiam vitare, in quantum excitat hominem ad actus rationis.* Hac ratione adductus infert Doctor Mellifluus, quòd, quamuis eruditio, atque peritia reddat homines bono intellectu præditos, doctos, & litteratos, ſolus tamen timor Dei ſit, qui eos, perfectè efficit Sapientes, vtì ex his eius verbis colligi poſſe videtur, quæ ſunt. *Inſtructio doctos reddit, affectio Sapientes.* Quod per duo probat exempla, & in primo ſic loquitur. *Sol non omnes, quibus lucet, etiam calefacit, ſic ſapientia multos, quos docet, quid ſit faciendum, non continuò etiam accendit ad faciendum.* Addit deinde ſecundum exemplum, & in eo his vtitur verbis. *Aliud eſt multas diuitias ſcire. aliud & poſſidere, nec notitia diuitem facit, ſed poſſeſſio. Sic prorſus, ſic aliud eſt noſſe Deum, & aliud timere; nec cognitio Sapientem, ſed timor facit, qui & afficit.* Quemadmodum ergo luminare maius cœli, non omnes, quibus allucet, etiam caleſcere facit, ſicut etiam longè aliud eſt, diuitias cognoſcere, & aliud poſſidere: cognitio enim non facit hominem opulentum, ſed poſſeſſio, atque dominium. Pari ratione, licèt cognitio in ſola ſpeculatione conſiſtens tam Dei, quàm rei magis illi acceptæ ſatis ſit ad faciendos homines doctos, hoc tamen genus notitiæ ſine timore Dei nequaquam ſufficiens eſt ad faciendos verè, & vtiliter ſapientes, cùm ſolus hicce timor tribuat voluntati affectionem, eamque extimulet, vt cognitione, atque ſcientia vtatur, ad opere exequendum, quod à Deo præcipitur, illudque perficiendum, quòd per ſcientiam bonum eſſe cognoſcitur, in quo veræ, atque perfectæ ſita eſt Sapientiæ ratio. Videtur Giracides hoc inſinuare voluiſſe, cùm dixit: *Fons Sapientiæ Verbum Dei in excelſis, & ingreſſus illius mandata æterna.* A verbo Patris æterni, quòd Sapientia increata eſt, tanquam à fontali principio, & origine fluit omnis prudentia, ſcientiaque creata, quæ primùm deriuata eſt ad Angelos in cælis, poſtmodum ad mortales in terris, nec alius extat modus participandæ eius, niſi, qui filios decet, timor Dei: hic enim vnus efficaciter excitat voluntatem noſtram ad executionem mandatorum Dei cum firmo quodam conſilio, atque propoſito nullum hac in re committendi defectum. Quapropter non

D.Thom.2.2. qu.55. art.2. ad 4.

D. Bernard. ſerm.23.in cant. prope finem.

Eccl.1.v.5.

Digitized by Google

non ſine ratione in eligendis ad regimen requiritur, vt ſecundùm ſapientiam ſint viri timentes Deum. *Viros ſapientes, & timentes Deum.*

Vt per hoc innoteſceret nobis, quòd hæc ſecunda conditio ſit vnica via, & ratio ad obtinendam primam. Ex hactenus dictis inferre iam poſſumus, præfecturam illi demandari non poſſe, qui licèt ingenij acumine præſtet, bonumque ſortitus ſit intellectum, timore tamen Dei à charitate proueniente eſt deſtitutus, & taliter comparatus homo præfecturam tuta conſcientia capeſſere non poteſt, & ſi contrarium faceret, eſſet (Caietano teſte) tantùm apparenter Prælatus, & duntaxat nomine tenus talis, vtpote bona voluntate defectus, quæ baſis eſt, ſuper quam præfectura debet fundari. Ex talium moderatorum numero, & genere erant illi ſenes, & iudices Babilonis, qui iuxta Danielis effatum populum regere videbantur; interim tamen erant omnis infortunij cauſa, atque origo. Sunt verba Prophetæ. *Egreſſa eſt iniquitas de Babilone à ſenioribus, & iudicibus, qui videbantur regere populum.* In quibus verbis bene notandum eſt, vatem non dicere, quòd regerent populum, ſed quòd regere tantummodo viderentur: quia cùm eſſent malæ vitæ, prout erant à parte rei, idcircò eorum gubernium verum eſſe non poterat, ſed tantùm apparens, ſoloque titulo tenus. Hanc ob rationem aſſerit Doctor Angelicus, quòd, quando Chriſtus Dominus regimen ſuæ Eccleſiæ voluit Sancto Petro committere, tribus vicibus ipſum examinarit rogando, ſi ſe amaret, quia, cùm deliquiſſet, & hoc ijs, quos regendos debebat ſuſcipere, clam non fuiſſet, aptus, & idoneus, vt in Rectorem eligeretur, non fuiſſet, niſi priùs noxam expiaſſet commiſſam, ac de bona ipſius voluntate, ſine qua bonus eſſe non poterat, per trinam amoris ſui proteſtationem, atque confeſſionem ſat conſtitiſſet. Hanc ſuam Sacer Doctor mentem hiſce nobis explicat verbis. *Petrus priùs in peccatum ceciderat, nec idoneus erat, vt præferretur, niſi priùs eius culpa aboleretur, quod non fit, niſi per charitatem, & ideo oportuit, vt per examinationem manifeſtaretur eius charitas.*

Danielis 13. v. 5.

D. Thom ſuper Ioannem.

Hunc autem examinationis modum Chriſtus Dominus eo fine adhibuit, vt Prælatorum electores inſtrueret id, quod in vno Prælato præcipuè requiritur, eſſe bonitatem voluntatis, & morum, amorem proximi, Deique timorem. Hæc enim tria ſunt, quæ cæteris partibus vtilitatem impertiunt, ſine his

verò inutiles forent ob bonæ voluntatis defectum, ad quam ſpectat, eos vnà omnes impendere, iiſque vti ad opere præſtandum id, quod tanta requirit Prouincia.

§. & Conſilium X.

Non tantùm bonum, ſed comparatè loquendo ad alios, etiam meliorem eſſe oportet Prælatum, vt communi animarum bono ſit ritè proſpectum.

OPus eſt, vt ſacro animarum admouendus gubernio non tantùm ſolida (vt vidimus) ſit bonitate dotatus, ſed etiam aliorum reſpectu melior, cunctiſque quà naturæ, quà gratiæ dotibus excellenter inſtructus, quæ ad ſacræ præfecturæ regimen requiruntur. Hanc ob rationem cupit Apoſtolus, vt eligendus in Præſulem ita inculpatam, atque perfectam, ducat vitam, tamque rara morum puritate reſplendeat, vt, ſiquis de eo formare velit iudicium, nihil reprehenſione dignum inuenire poſſit in ipſo. *Oportet Epiſcopum irreprehenſibilem eſſe.* Quo fit, vt animabus moderari volenti complura vitanda ſint, quæ alijs interdicta haud eſſent, prout Diuus animaduertit Ambroſius. Ex mente enim eiuſdem ſublimitas, & præcellentia dignitatis, ac muneris ratio, quæ petit, vt inter omnes ſit melior, poſtulat etiam, vt abſtineat, & pro vetito habeat, quod in ſtatu ſubiectionis viuentibus neutiquam prohibetur. Pro ſuo hic Doctor aſſerto his vſus eſt verbis. *Vt quis dignus ad Epiſcopatum ſit, etiam licita debet ſpernere propter ſublimitatem ipſius ordinis: quia cæteris melior debet eſſe, qui cupidus eſt ſedis illius.* Quæ obligatio à fine deſumitur proximo, ad quem ſacrum regimen ordinatur, qui eſt ſubditos per charitatem, per cæterarum virtutum exercitium, verumque mundanarum contemptum, ad beatitatem æternam, ſummique boni adeptionem prouehere, atque perducere; cui tamen obligationi vnus debitè (Gregorio teſte) ſatisfacere non poteſt, qui eximia Charitate, Deique amore non præſtat, cuius eſt, rerum creatarum contemptum in noſtram inducere mentem, prout ſequentia memorati Doctoris verba ſatis indicere viden-

1. Thimoth. 3. v. 2.

Ambroſ. in ſuper hunc locū

videntur. *Ille ſolus præeminet vtiliter, qui per affectum magnæ charitatis, Dei amicus eſt.* Scitè proinde Sanctus obſeruauit Ambroſius. Quod ſi pro gubernio ciuili, & ſeculari alium non habente finem, quam bonum temporale, examen inſtituatur, & accurata habeatur de illo diſquiſitio, qui illud dignè ſubire, & adminiſtrare valeat, quantò maior induſtria, & diligentia adhibenda eſt ad inueniendos Præſides pro ſacræ præfecturæ regimine magis habiles, & præ cæteris meliores. Huius obſeruatum rei dixit Ambroſius hiſce verbis. *Magna ergo cura quærendus eſt, qui Domum Dei regendam accipiat. Si enim terreſtrium rerum diſpenſatores idonei quærendi ſunt, quantò magis Cæleſtium.* Quapropter àſſertor animarum noſtrarum cùm Sanctum Petrum pro Rectore Eccleſiæ ſuæ conſtituere vellet, ſatis non habuit rogare, an ſe amaret, ſed an ſe amaret plus cæteris. *Simon Ioannis diligis me plus his?* Vt manifeſtum omnibus faceret, ad iuſtam faciendam electionem ſatis non eſſe, vt eligendus ſit bonus, ſed opus præterea eſſe, vt electores, [ſi muneri ſuo dignè ſatisfacere velint] inter ſeſe conferant, doteſque, ac qualitates eligendorum exactè examinent, eaſque cum bono communi committant, quòd finis eſt, ad quem Sacrum regimen ordinatur, illùmque pro digniore habeant, qui maiori numero eiuſmodi obtinet qualitates, habita imprimis ratione ad vitæ ipſius Sanctimoniam, morumque integritatem, tanquam ad duas partes magis præcipuas, quæ ſunt perfectæ charitatis effectus. Qui ergo taliter comparatus eſt, melior ſimpliciter cenſeri meretur, magiſque idoneus ad regimen animarum.

Gregor. Magnus in 1. Regum. lib. 4. c. 5. ad illa verba & oſculatus eſt eum.

Ambroſ. vbi ſuprà parum infrà.

Ioan. 21. v. 15.

Paulus Apoſtolus haud alio, quàm ſupremi ſui magiſtri imbutus Spiritu Satis non habet, quòd eligendus electorum iudicio, & approbatione melior omnium habeatur, ſed ſimul requirit, vt eius bonitas, atque perfectio adeò cunctis ſit nota, & manifeſta, vt vniuerſi de ipſa teſtimonium dare queant in publico. *Oportet autem illum teſtimonium bonum habere ab his, qui foris ſunt.* Huiuſmodi electionis ratio [vt non inſcitè notauit origenes] adumbrata fuit in facto Moyſis, quod refertur in libro Leuitici, cùm enim hic manſuetiſſimus patriarcha decerneret vngere, & conſecrare Aaron Fratrem ſuum in ſummum Sacerdotem, præceptum à Deo habuit, vt vniuerſus populus conuocaretur, & coram adeſſet. *Congregabis omnem cætum ad oſtium tabernaculi.* Licèt enim Deus ſe ſolo

1. Thimoth. 3 v. 7.

Leuit. 8. v. 3.

ipſum

Digitized by Google

ipſum iam elegiſſet, voluit tamen, vt notum omnibus eſſet, illum, quem in Paſtorem deſtinarat, alijs omnibus meliorem exiſtere, ſapientiorem, ſanctiorem, clarioremque virtutibus, talemque eſſe ipſimet confiterentur, & proclamarent, nequis deinceps moto dubio, eius moderatione, & conſilio ſe duci, & gubernari renueret, ſiquidem ipſimet dediſſent teſtimonium, electum meliorem inter omnes exiſtere. Quæ omnia luculenter probantur his diſerti origenis verbis. *Licèt ergo Dominus de conſtituendo Pontifice præcepiſſet, & Dominus elegiſſet, tamen conuocatur & Synagogà. Requiritur enim in ordinando Sacerdote & præſentia populi, vt ſciant omnes, & certi ſint, quia qui præſtantior eſt ex omni populo, qui doctior, qui ſanctior, qui in omni virtute eminentior, ille eligitur ad Sacerdotium, & hoc aſtante populo, neque poſtmodum retractatio cuiquam, nequis ſcrupulus reſideret.* Primariam huius aſſertionis rationem tangit Doctor Angelicus, dum pro indubitato, & ex ſe noto ſtatuit principio, omnis poteſtatis, & dignitatis creatæ ordinem reſidere in Deo tanquam in fontali principio, & inde deriuari, atque tranſfundi in alios. Ex quo infert in facultate Theologica facilè princeps Doctor, creaturas Deo viciniores plus alijs non ita vicinis participare de primatu, & dignitate regendi, & hoc quidem in gradu ſublimiore, & præcellentiore.

Orig. hom. 6. ad med.

Quò viciniores autem ſunt cræaturæ Deo, eò ſunt etiam meliores, atque perfectiores. Ex quo ſequitur, quòd comparatè ad totum vniuerſum loquendo, præfecturæ melioribus creaturis, tanquam dignioribus Diuinæ prouidentiæ inſtrumentis debeantur: ipſæ namque proximiùs præ cæteris virtutem eius participant, & idcircò aptiores ſunt, vt eam ſubditis communicent, & ad indeptionem ſūmi boni eos perducant. Hanc ob rationem regimen hominum, & Angelorum præuaricatorum Angelis bonis iure debetur, vtpote vicinioribus, & propinquioribus Deo, ac perfectionis eius plus cæteris participibus, quod ex his Diui Thomæ clarum eſt verbis. *Totus ordo Prælationis primò, & originaliter eſt in Deo, & participatur à creaturis, ſecundùm quod magis Deo appropinquant. Illæ enim creaturæ ſuper alias influentiam habent, quæ ſunt perfectiores, & Deo propinquiores. Maxima autem perfectio, & per quam maximè Deo appropinquatur, eſt creaturarum fruentium Deo, ſicut ſunt Sancti Angeli.*

D. Thom. 1. par. qu. 109. art. 4. in corp.

Simili modo de gubernio, & præfectura hominum Philoſofan-

fandum eſt, atque dicendum: quòd Sanctimonia, vitæque perfectio, qua nonnulli appropinquant, & vniuntur cum Deo, ſit præcipua conditio, & velut fundamentum, ſuper quod cæteræ ſuperſtruuntur. Ex eiuſmodi proinde conditione arbitrandum eſt, quinam alijs ſint digniores, & meliores, vt boni communis animarum promouendi gratia, quod omnis Sacræ præfecturæ eſt finis, ad munus Regiminis ſublimentur. Diuus Ambroſius tam rigidi eſt opinamenti, vt ad petendum ſolummodo Conſilium, illum eligere noluerit, qui ſe virtutum perfectione non ſuperaſſet: valde enim indignum eſſe cenſebat, illum in conſiliorum petendorum materia pro Superiore agnoſcere, qui inferior foret illius rei notitia, de qua conſulebatur. Super qua re hæc ſunt propria eiuſdem verba. *Quomodo enim potes eum iudicare Conſilio Superiorem, quem videas inferiorem moribus? Supra me debet eſſe, cui me committere paro.* *Ambroſ. lib. 2 offic. c. 12.* Quantò ergo maiore cum ratione idipſum diceret de Prælatorum electione, qui non Conſiliarij ſolùmmodo gerunt officium, ſed & Paſtoris, atque ductoris, ſubditorumque, quos accepere regendos, Magiſtri. Et hoc fundamento ſumit doctiſſimus Caietanus anſam dicendi, Prælatos generatim loquendo, magis ad Diuina cuſtodiendi præcepta, regularemquè diſciplinam obſtringi, quàm omnes eorum ſubditi: ipſi enim peculiari obligatione tenentur ſubditos excedere integritate vitæ, & puritate doctrinæ. *Vniuerſaliter ergo* [*inquit ipſe*] *magis tenetur ad obſeruantiam communium præceptorum Prælatus, quàm alij, in quantùm tenetur ad excellentiorem vitam, & doctrinam quàm alij.* *Caiet. 22. q. 33. art. 2.* Verba profectò digna, quæ à Prælatis ſemper præ oculis habeantur, ne poteſtatem dignitatis obtentui habentes, velint ſe eximere ab obſeruantia, & communibus legibus, quæ potiùs calcar ipſis addere debet, quo ſtimulentur, vt ſint primi in omnibus obſeruantiæ punctis, quorum muneris ratio poſtulat, vt ſint magis obſeruantes, quàm ſubditi, vtpote, qui ipſis meliores eſſe tenentur.

Digitized by Google

§. & Conſilium XI.

Non ſemper, qui Sanctior, eſt aptior ad Regendum.

SVperiore paragrapho non inconſultò diximus, electores teneri meliorem præ cæteris eligere in Prælatum, cunctiſque qualitatibus, atque conditionibus pro gubernio requiſitis magis eximium, vt per hoc indicaremus, neceſſum non eſſe, neque electionem dignioris in hoc conſiſtere, vt attenta Sanctimonia perſonali aliquis ſit melior abſolutè. Quamuis enim hæc Sanctitas reddat habentem magis dignum ad de condigno, quæ Sanctitatis eſt præmium, gloriam promerendam, & ſit vna ex conditionibus neceſſarijs in eligendo in Prælatum, ſola tamen, & ſine alijs ſufficiens fundamentum non præbet iudicandi talem propterea meliorem, quantum ſpectat ad talis muneris, & officij rationem. Idcircò bene inquit Doctor Angelicus, *quòd, quandoque abſque acceptione perſonarum in diſpenſatione ſpiritualium illi, qui ſunt ſimpliciter minùs boni, melioribus præferantur*. Nonnunquam in electionibus Prælatorum minùs Sanctus maiorem habenti Sanctitatem, & præfertur, & æquum eſt, præferatur abſque incurſu acceptionis perſonarum, iuſtitiæque diſtributiuæ offenſione. Quod vt captu promptius fiat, duo cum Diuo Thoma ſunt notanda, vnum eſt, quod gubernium, & præfecturæ munus in hominibus quidem ſimpliciter, in Angelis verò ratione perfectionis eorum ſpectet ad ordinem gratiæ. Ratio eſt, quia ordo mediorum ex fine, ad quem ordinantur, deſumitur, cùm verò finis & vltima tam angelorum, quàm hominum, ad quam regimen, & præfecturæ officium ordinantur, ſit ipſis clara viſio, æternaque Dei [vt vocant] fruitio, omnes vires, & facultates naturæ eorum excedens, idcircò neceſſaria conſecutione conficitur, præfecturam, vel gubernium ad ordinem gratiæ pertinere, vti ex his Diui Thomæ verbis licet perſpicere. *Ordo gubernationis, qui eſt ordo multitudinis ſub Principatu exiſtentis attenditur per reſpectum ad finem. Finis autem Angelorum poteſt accipi dupliciter modo ſecundum facultatem ſuæ naturæ. Alio modo ſupra facultatem naturalem eorum, qui conſiſtit in viſione Diuinæ.*

D. Thom. 22. q. 185. art. 4. & q. 63. art. 2.

E. Thom. 1. p. q. 108. art. 4. in corp.

Digitized by Google

næ. Vnde ſecundùm reſpectum ad hunc finem ordines diſtinguuntur in Angelis completiuè ſecundùm dona gratuita, diſpoſitiuè autem ſecundum dona naturalia. In hominibus diſtinguuntur ordines ſecundùm dona gratuita tantùm. Ex quo infertur, abſolutè malum, mortaliſque noxæ obnoxium, quandiu hoc hæret in ſtatu, & hoc electores non lateat, ineptum, & indignum exiſtere, vt eligatur: deficit enim ipſum ſtatus gratiæ, ad cuius ordinem Præſulis munus iam diximus pertinere. Paulus proinde Apoſtolus agens de donis, quæ ex Chriſti meritis accepere fideles, ex quibus ipſe vnus, confeſſus eſt, ſe accepiſſe gratiam, & Apoſtolatum, *per quem accepimus gratiam, & Apoſtolatum,* vt hoc lo- *Rom.1.v.5.* quendi modo [ex Diui Thomæ interpretamento] manifeſtum faceret primò, non ob ſua merita contigiſſe, ſed ex pura Dei, quòd eſſet Apoſtolus, magiſter, præco, Doctor gentium, pater, & Paſtor omnium in Chriſtum credentium conſtitutus. Deinde quòd nemo eiuſmodi dona habere, & accipere poſſit, niſi gratia Sanctitudinem conferente in illo priùs poſita, cui huiuſmodi donis eſt vtendum: hac enim gratia quis adaptatur ad finem, ad quem dona talia ordinantur. Quod planum facit Diuus Thomas his verbis. *Præmittit gratiam Apoſto-* *D. Thom.* *latui, quia non ex meritis, ſed ex gratia Apoſtolatum ſunt conſecuti.* *Ibidem.* *Tum etiam: quia Apoſtolatus dignè haberi non poteſt ſine gratia Sanctificante.*

Alterum ex duobus, quæ hoc notanda loco Superiùs diximus, eſt, quòd in Angelis gratuitorum ordo donorum ordinem inſequatur naturæ. E Diui enim Thomæ aſſerto eò plus ſunt apti ad recipienda dona gratuita, quò pluribus naturæ donis ſunt decorati. Ex quo ſequitur, quòd Angeli, qui in ordine naturæ ſunt magis perfecti, alijſque Superiores, idem etiam in ordine gratiæ potiantur. Ipſis proinde vt magis dignis debetur poteſtas Regiminis ſuper inferiores, quos illuminant, & non illuminantur ab eis. In hominibus verò cum natura ſit eadem in omnibus, nec ab eis cum inæqualitate ſpecifica participetur, ordo naturæ dari non poteſt, & hoc in cauſa eſt, quod in omnibus regiminis dignitas ad ſolum gratiæ ordinem debeat pertinere, adeoquæ dona, ac dotes, quæ neceſſaria ſunt, vt bene inter ſe homines gubernentur, aliam cauſam non habeant, propter quam potiùs ad hos, quàm ad illos pertineant, niſi ſolam voluntatem Diuinam, quæ nulla habita ratione, ne quidem congruitatis ad inæqualem per-

Digitized by Google

fectionem naturalem [vt Apoſtolus inquit] diſtribuit vnicuique, prout vult, eamque menſura, ac gradu, prout ipſi videtur. *Hæc autem omnia operatur vnus, atque idem Spiritus Diuinus ſingulis, prout vult*. Vnde fit, vt per quàm multi, qui copioſam ſanctitatis, & integritatis vitæ gratiam, per quam amoris vinculo vniuntur cum Deo, accepere, parum tamen peritiæ, proſpicientiæ, atque doctrinæ habeant, vt cura animarum ipſis tutò poſſit committi. E contra verò, qui minùs quandoque habent de donis primis, plus habent de ſecundis, & quidem in gradu eminente: quia [vt idem Apoſtolus inquit] hæc diſcrepantia dona à gratia duntaxat dimanant, ſiue eſſe ipſorum, ſiue differentiam velis attendere: Naturæ enim ſolitariè ſumptæ nulla ratione debentur. Quapropter quibuſdam datur gratia prophetiæ ad aſſequenda, quæ in Sacris paginis proponuntur, eoſque ſenſu, quo Spiritus Sanctus ea reuelauit, explicanda fidei myſteria. Alijs impertitur donum ſua bene obeundi officia, ac miniſteria. Nonnullis gratia docendi, qua per exhortationes, ſalutaria documenta, atque conſilia, aliorum illuminant intellectum, & inflammant affectum. Vti hæc Diui Pauli verba teſtantur. *Habentes autem donationes ſecundùm gratiam, quæ data eſt nobis, differentes, ſiue prophetiam ſecundùm rationem fidei, ſiue miniſterium in miniſtrando, ſiue qui docet in doctrina, qui exhortatur, in exhortando*. Modo cùm gubernium, ſeu præfecturæ munus multis harum gratiarum, atque donorum ſimul indigeat, vt quis eo bene fungatur, idcircò qui horum inſtructum munerum cumulatiùs habuerit, dignior, & melior, vt eligatur, iure merito erit cenſendus: Hanc ob rationem minùs de ſanctitudine habens, ſi tamen alias ad regendum neceſſarias maiore numero poſſideat dotes, ac partes, ratione quarum magis aptus, & idoneus arbitretur, ad ſubditos docendos, & inſtruendos, ad eos pernicioſis dogmatibus, atque doctrinis eximendos, ad conſeruandos eoſdem in vera vnione, & pace, qui, inquam hæc habet, aſſeritur à Diuo Thoma melior, vt in Prælatum aſſumatur, licèt non ſit melior abſolutè, Sanctitate eius perſonali ſpectata. Do vobis ipſa Aquinatis verba hæc affirmantis, quæ ſunt talia. *Ille qui debet eligere, non tenetur aſſumere meliorem ſimpliciter, ſed meliorem quo ad regimen Eccleſiæ, qui ſcilicet poſſit Eccleſiam, & inſtruere, & defendere, & pacificè gubernare*. Vim huius rationis iam olim Diuus Paulus expenderat, ea propterea motus moni-

1. Cor. 12. v. 11.

Rom. 12. v. 6.

D. Thom. 22. q. 185. art. 3.

monitos voluit ſubditos de honore, atque reſpectu bonis Superioribus, excubias pro ipſis habentibus, magnaque cura profectum animæ eorum procurantibus deferendo, verba hortamenti eius ſunt talia. *Qui bene præſunt presbyteri duplici honore digni habeantur, maximè qui laborant in verbo, & doctrina.* Prælati ſuo bene fungentes munere, binum merentur honorem, potiſſimùm verò illi, qui miniſterio ſalutaria docendi incumbunt. *1. ad Timoth. 5. v. 17.*

Hic verò honor duplici ipſis ratione debetur. Primò, quia ſunt Prælati: Præfectura enim fundat præſumptionem, qua coniectatur, electum in Prælatum, eſſe bonum; ſi namque bonus non extitiſſet, in talem contra fas electus fuiſſet. Et quoniam bonitati, atque virtuti, etiam ſolitariè ſumptis, & ratione ſui tantùm, honor debetur, idcircò Prælatus eo ipſo, quòd talis ſit, honorari, & ſuſpici debet. Sed quoniam ad hoc, vt quis ſit bonus Prælatus, non ſufficit eſſe bonum pro ſe, ſed inſuper opus eſt, vt præſtet virtute prudentiæ, cæteriſque partibus, quæ vſui eſſe poſſunt ad ſubditos, quacunque in re indigentiam habebunt, adiuuandos, quales ſi in ipſo comperiantur partes, eaſque bene impendat ſuo in gubernio, tum duplicem meretur honorem ob duplicem, qua præditus eſt, bonitatem, vnam priùs habendam, quàm ſit Prælatus, alteram, quæ ad bene gubernandum requiritur, dum eſt Prælatus. Quod in eligendorum electionibus ſuffragia ferentes bene debent aduertere, vt illum norint eligere, cui in ſua conſcientia votum dare tenentur. Deinde, ne decipiantur credendo ſanctiorem, clarioremque virtutibus ſemper eſſe magis idoneum, magiſque ad hoc, vt ſit Prælatus, adaptatum. Siquidem (vt iam diximus) minùs de Sanctitate habens, eſt quandoque magis ad rem, dummodo alijs partibus, aut qualitatibus ad regendum neceſſarijs non ſit deſtitutus.

Digitized by Google

§. & Conſilium XII.

Quantum emolumenti in communitates redundet, ſi Rectores earum ſint amatores veritatis, atque iuſtitiæ, & amore proſequentes bonos.

DVæ in vno Prælato requiſitæ, & ſuprà iam memoratæ dotes, quæ ſunt eſſe ſapientem, & integræ vitæ virum, fundantur in illa, quam ſacer textus ad eundem finem pro tertia requirit, dum inquit, Prælatos homines eſſe decere, in quibus ſit veritas, atque iuſtitia, quæ teſte Diuo Thoma, eandem ſortiuntur nomenclaturam. *Iuſtitia quandoque veritas nominatur*. Quibus verbis nos docere vult ſacer codex, quòd Prælati vſque adeò veritatis amatores eſſe tenentur, vt ipſorum muneris ſit, eam in ore ſemper habere, ſemper docere, ac ſine intermiſſione propugnare, & (vt verbo eloquar) veritas demum ſit Magiſtra cordis Prælati, adeò quidem, vt in eo ſedem ſuam fixiſſe, & receptum ſuum ad id habere videatur. *In quibus ſit veritas*. Ex quo deinde ſi ritè fiat, exiſtet, vt in ſeipſis, & alijs id ſemper quæſituri ſint, quòd magis iuſtum, magis Sanctum, magiſque rationi conſonum erit, omni alio fine, atque reſpectu poſthabito, & hac ratione comparatos, & promptos ſe facient ad libenter acceptandum omne bonum conſilium, ac veritatem amplectendam, à quocumque tandem ea proueniat. Hic denique taliter ſe habendi modus, via quædam, & ratio eſt, non ad ſapientiam ſolummodo comparandam, ſed etiam ad in Sanctitate creſcendum, quin imò ad eam in ſuæ curæ commiſſos introducendam, magnoque cum emolumento Spiritus in ipſis adaugendam. Si namque ſemel certi ſint ſubditi, Prælatum ſuum nihil habere priùs, quam veritatem, atque iuſtitiam, & ſatis hoc vnicum eſſe, ratione cuius ab ipſo amentur, & æſtimentur, tum hæc communis inter ipſos opinio inſtar ſementis virtutum erit, per quam in agro Religionis boni exaugebuntur, & virtutum culturæ ſtudentes numero plures fient. Huiuſmodi ſegetem ex tali ſemine in Eccleſia Dei olim ſecuturam Propheta Regius inde præſagiuit, & deduxit, quòd aduerterit, Deum, qui ſummè iuſtus

D. Thom. 2. 2. q. 58. art. 4. ad 1.

ſtus

ſtus totius vniuerſi eſt moderator, bonorum ſolummodo protectorem, præmijque datorem ſe declaraſſe, qui licèt in oculis mundi videantnr humiles, atque deſpecti, in oculis tamen Dei plurimi æſtimantur, & poſſunt. Hanc ob cauſam cenſet idem propheta, bonos taliter fuiſſe multiplicatos, vt dum eorum inire numerum vellet, ad certam deuenire ſummam nequiuerit ob nimiam frequentiam, numerum arenæ maris excedentem. Idcircò ſuam hac in re impotentiam faſſus in hæc prorupit verba. *Nimis honorati ſunt amici tui Deus, nimis confortatus eſt principatus eorum, dinumerabo eos, & ſuper arenam multiplicabuntur.* *Pſal. 138. v. 17.*

Quam ita numeroſam multiplicationem nulli alteri cauſæ adſcribendam eſſe exiſtimant Auguſtinus, quam quod Deus eos multo amore, & honore ſit proſecutus, dum ipſos ſuæ Eccleſiæ Apoſtolos, Rectores, gregiſque ſui Paſtores conſtituit, nota tamen, non ea de cauſa, quòd fuiſſent nobiles potentes, & humana ſcientia clari, ſed quia fuere boni, & virtutum amantes, quod ex his eius verbis conijci poteſt. *Valde honorificati ſunt amici tui Deus, facti Duces Eccleſiæ, facti Arietes ducentes greges. Ecce nata eſt tanta multitudo, quæ iam ſicut arena numerari non poteſt, niſi à Deo.* Per quod factum informantur ſuffragatores præcipuam in Prælatis, quæ examinanda eſt, eſſe conditionem, an ſint viri iuſtitiæ, & veritatis, harumque amore virtutum proni, ac faciles ad honorandos, & æſtimandos bonos, quatenus hac ratione incrementum capiat domus Dei, boni multiplicentur, & increſcant virtutibus exornati. Nec pro re quaſi peregrina habendum eſt, quòd Prælati has qualitates habentes, & in his Dominum ſuum imitantes ab eo hæreditario quaſi iure hanc trahant, & ſortiantur proprietatem tam inſueta efficiendi: quia ſicut Maieſtas Diuina bonos facit, quos amat, ita boni Prælati non minùs ſunt cauſa multiplicationis bonorum. Non minùs ergo pium, quam ſcitum Caietani effatum eſt in hunc modum locuti. *Magna felicitas ſubditorum eſt, bonos amari ab eo, qui Præſidet: fiunt ſiquidem, & quaſi pullulantes germinant boni, vbi amantur.* Beati ſubditi illi, qui viuunt in cœtibus, vbi virtutibus dediti amantur à Rectoribus; quia ſicut in horto bene culto flores certatim creſcunt, & germinant, ita virtutibus addicti pullulaſcunt, & numero creſcunt, ſi eapropter amentur, quòd tales exiſtant.

S. Aug. ibid.

Caietan. ſuper c. 1. epiſt. ad Tim. poſt med.

Simili documento videtur etiam Princeps Apoſtolorum, nos

nos imbuere voluiſſe. Cùm enim quadam vice modum Præſulibus præſcriberet, quo ipſis curæ ſubditorum inſiſtendum eſſet, vt verbo, & exemplo ab ipſis ad Deum placidè proueherentur, quò ipſi ſeruirent, non coactè, ſed voluntariè, poſtmodum adiunxit, hoc ipſos facilè obtenturos, ſi forma gregis fierent, ſuiſque cum ſubditis haberent cor vnum, vnum velle, vnum ſentire. Verba, quibus hæc aſſerens vſus eſt, ſunt iſta. *Paſcite, qui in vobis eſt, gregem Dei, prouidentes non coactè, ſed ſpontaneè ſecundum Deum; neque turpis lucri gratia, ſed voluntariè: neque vt dominantes in Cleris, ſed forma facti gregis ex animo.* Quibus verbis iudicare voluit Apoſtolorum vertex, quòd ſicut in rebus ex materia, & forma compoſitis tota naturæ differentia ab earum forma procedit, ita vt, quamuis materia ſit vna, & eadem, ſi tamen differente informetur à forma tum etiam differentem ſuperinduat figuram. Idem, eodemque modo contingit in cœtibus, religioſiſque communitatibus: in iis namque omnis ſubditorum in Sanctimonia, & virtute differentia prouenit à Prælatis, differentia verò, quæ in Prælatis eſt, ex affectione, & amore in eorum cordibus prædominante ſuam trahit originem, qualiſque erit hic amor, tale erit ciuile communitatis corpus, in eoque religioſi, vt membra ciuilia contenti, in quibus facillimo negotio imprimitur, quòd potiſſimùm amat, & præcipuè in pretio habet Prælatus. Perſcienter ergo à purpura claro animaduerſum eſt Caietano, quòd, vbi ſtrenui, & magnanimi amantur, & æſtimantur, ibi tales numero plures efficiantur; vbi docti in honore habentur, ibi docti creſcant, & augeantur, vbi denique boni habentur in pretio, & ſuſcipiuntur, ibi boni multiplicentur. Adduco vobis propria tanti viri verba hoc tenore conſtantia. *Verè ſic eſt, quoniam vbi fortes honorantur docti, multiplicantur docti, & ſimiliter vbi honorantur iuſti, multiplicantur iuſti.* Quapropter ſi in totis religioſis communitatibus vnius, & eiuſdem eſſent formæ Præfecti, nec diuerſi in eorum corde affectus, communiſque eſſet in omnibus amor iuſtitiæ, & veritatis, quo magni facerent, & in honore haberent ſanctos, & ſtudio virtutum inſiſtentes, tum non eſſet dubium, quin in huiuſmodi cœtibus, parum differentiæ poſſet aduerti: quia vel omnes, vel maior Religioſorum numerus tenerent partes virtutis, ſi clarè conſtaret, hanc ſolam à Prælatis, & honorari, & magnificari. Hic non adulterinus aduerſùs veritatem amor ſuperinducit deinde in Rectores

1. Pet. 5. v. 2.

Caietan. vbi ſuprà fol. 88.

Digitized by Google

res virtutem iuſtitiæ, & facit, vt in ſumendis pœnis, & præmijs largiendis ſe gerant, nil curato omni reſpectu humano, perſonarum progignit acceptionem, metumque inducit, quo timemus, ne malè mereamur de illis, quibus placere appetimus. Hic non fucatus veritatis, & iuſtitiæ amor reddit pariter Prælatos veros omnis ſanctitatis, & Iuſtitiæ (quod Chriſtus Ieſus eſt) exemplaris æmulatores, de quo vel ipſi inimici ſunt faſſi, quòd verax magiſter eſſet, viamque Dei, ne latum quidem vnguem recedendo, doceret, adeoque aliud non quærens, nec intendens, acceptor perſonarum non foret. *Magiſter, ſcimus, quia verax es, & viam Dei in veritate doces, & non eſt tibi cura de aliquo: non enim reſpicis perſonam hominum*. Ex quibus diſcimus verbis, vitium acceptionis perſonarum in corda Iudicum, & Rectorum ingreſſum habere non poſſe, niſi quando zelus iuſtitiæ, & prorſus veritatis amor bene radicati non ſunt in illis, qui ſedem ibi figere neutiquam poſſunt, quando vtilitas propria, & temporariæ ab ipſis quæruntur, & ſectantur commoditates. *Matth. 22. v. 16.*

DISCVR-

DISCVRSVS NONVS.

Diſſeritur de Iuſtitia vindice, quæ commutatiuæ (vt vocant) eſt pars, ratione cuius incumbit ad clauum ſedentibus, & regimini admotis vnumquemque afficere vel pœna, vel prœmio, prout opera cuiuſque, & legum ſanctiones requirunt.

§. & Conſilium I.

De munere, & vtilitate Iuſtitiæ Vindicis.

LICET Iuſtitia, quam Theologi commutatiuam vocant, ſit vna inter præcipuas iuſtitiæ generalitèr ſumptæ partes; quia tamen verum, & proprium ipſius officium eſt, tueri æqualitatem in contractibus venditionis, & emptionis, & vnicuique dare, quod ipſi iure debetur, hoc autem commercij genus inter Prælatos, & ſubditos locum non habeat, ſed plerumque inter æquales, idcircò hac de iuſtitia hic ex profeſſo non agimus, ſed obiter tantùm, vt notetur, optamus, Deum magno zelo percupere, vt in omni euentu, & materia ſeruetur æqualitas, ita vt poteſtas officij nullius in hoc genere ſit cauſa defectus, niſi prægnantior ratio contrarium ſuadeat.

Pro ſtabilimento aſſerti afferam duos, vel tres Sacræ Scripturæ Textus, in quibus à Spiritu Sancto idem docemur, eo præcipuè loco, vbi de permutationibus rerum materialium ſermo eſt, quæ ad omnia permutationum, æqualitatem aliquam poſtulantium genera poſſunt extendi. Concupiens Dominus, ne vlli ex ſuo populo inferretur iniuria, iniunxit Capitibus, & Moderatoribus eius, vt contra nullum temerarent iuſti-

Digitized by Google

iuſtitiam, nec in iudicio, nec regula, nec pondere, nec menſura, ſed vt in omnibus ſeruaretur æqualitas, & ius nullius rei, quod habet, violaretur, quatenus hac ratione nulla committeretur iniuſtitia quà emptionis, quà venditionis, alijſque in contractibus. *Nolite facere iniquum aliquid in iudicio, in regula, in pondere, in menſura, ſtatera iuſta, & æqua ſint pondera, iuſtus modius, æquuſque ſextarius, ego Dominus Deus veſter.* Moyſes ergo edoctus modum, quo volebat Deus, hac in materia ſe gereret populus, ipſum ad eundem retulit populum, & habitum cum eo hac deſuper re ſermonem his ad extremum concludit verbis. *Abominatur enim Dominus Deus tuus eum, qui facit hæc, & auerſatur omnem iniuſtitiam.* Deteſtatur Deus illum, qui talia agit, & eſt à parte rei omnis iniquitatis, & iniuſtitiæ hoſtis, & auerſator, cuius rei rationem Salomon tetigit, dum affirmauit, Deum idcircò abominari pondus adulterinum, & iniquum, quia Diuinæ ſuæ voluntati è diametro eſt contrarium, cùm ipſa ſit pondus æquum, atque legitimum, imò gloriatur Deus exactum ſe eſſe in dando vnicuique, quod ſuum eſt. *Statera doloſa abominatio eſt apud Dominum: & pondus æquum voluntas eius.* Sed miſſa hac iuſtitiæ commutatiuæ, quæ ad rem noſtram non eſt, ſpecie, de Vindicatiua tantùm, quæ ſub illa continetur, mens nobis eſt agere. Sanctus itaque Thomas diuiſa iuſtitia, & poſt legalem (de qua paulò ante iam egerat) duabus alijs ſpeciebus, quæ ſunt diſtributiua, & commutatiua, recenſitis, ponit ſub commutatiua vindicatiuam, tanquam vnam ex partibus, & ſic inquit. *Poteſt etiam attendi ex parte eius, cui debetur, prout ſcilicet aliquis recompenſat alicui ſecundùm ea, quæ fecit, quandoque in bonis, & ſic adiungitur iuſtitiæ gratia, in qua (vt Tullius dicit) amicitiarum, & officiorum alterius memoria, & remunerandi voluntas continetur alterius. Quandoque autem in malis, & ſic adiungitur iuſtitiæ vindicatio, per quam vt Tullius dicit, vis, aut iniuria, & omnino, quidquid obſcurum eſt, defendendo, aut vlciſcendo propulſatur.* Quod debetur, modis conſiderari poteſt duobus. Primò ex parte debentis. Deinde ex parte eius, cui debetur, & cui ratione meritorum, quod debetur, retribui debet. Ad hanc deinde conformiter loquendo diſtinctionem aſtruit Sanctus Doctor, probis, & virtute præditis viris deberi gratiarum actionem, gratique animi exhibitionem, huiuſque debiti ſatisfactionem adiungi iuſtitiæ. Huc ſpectant referendarum gratiarum officia, operæ amicitiæ, propenſique

Leuit. 19. v. 35.

Deut. 25. v. 16.

Prou. 11.

D. Th. 22. q. 80. art. 1. in fin. concl.

Ee animi

animi obſequia, & non fallens memoria, qua conſeruatur in mente par, ſi occaſio ferat, referendi obligatio, quæ facere, eſt quaſi quædam ad iuſtitiam pertinens redhibitio, & compenſatio. Poteſt inſuper debitum conſiderari ex parte eius, cui aliquid debetur, tam de bonis, quàm de malis. Si conſideretur quantum ad id, quod alicui debetur in malis, ſiue ob mala, vel exceſſus, quos quis committit, tum debitum aliam poſtulat redditionem, & operis ſui mercedem, quæ alia non eſt, quàm iuſta punitio, ad vindicatiuam pertinens iuſtitiam, per quam (teſte Tullio) vis propulſatur, atque iniuria, & quoad fieri poteſt, omnis iniuſtitiæ ſpeciei conſonum admouetur remedium. Vt autem Angelicus Doctor meliùs aſſequatur, quò doctrina à ſe tradita ſit captu facilior, ad primum eiuſdem articuli argumentum reſpondens ita loquitur. *Ad primum ergo dicendum, quòd vindicta, quæ fit auctoritate publicæ poteſtatis ſecundùm ſententiam iudicis pertinet ad iuſtitiam commutatiuam, ſed vindicta, quam quis facit proprio motu, non tamen contra legem, vel quam quis à iudice requirit, pertinet ad virtutem iuſtitiæ adiunctam.* Per iuſtam vltionem in tutamentum, & conſeruationem boni communis aſſumptam, intelligenda eſt illa, quæ publica exercetur auctoritate, non verò illa, quam priuati motu faciunt proprio, tametſi iuſta ſit: quia licèt poſtrema hæc vltio ad virtutem iuſtitiæ adiunctam quadantenus pertineat, propriè tamen loquendo iuſtitia vindicatiua non eſt, vtpote non in defenſionem legis, nec illius, cuius eſt eam propugnare, aſſumpta. Inde oſtendi, & argui poteſt neceſſitas, quam homines habent ad iuſtam benignitatem tamen prudentiæ moderatam faciendam monitionem, infligendamque pœnam: quia ſicut commune poſtulat bonum, vt is, qui bene agit (qualis eſt ex præſcripto obſeruantiæ viuens) à Superioribus, atque Prælatis æſtimetur, & ametur, ita etiam idem bonum exigit, vt malè agens, aliiſque pernicioſus iuſtè puniatur, & caſtigetur. Quocirca cum veritate dici poteſt, quòd bonum Reipublicæ, & cuiuſcunque alterius Communitatis Gubernium in eo vertatur, vt pœnas dent, qui has merentur, iuſtum verò præmium ferant illi, quorum merita poſtulant. Hoc ipſum docemur à modo regendi Dei, qui à creatione Angelicorum Spirituum ad præſens vſque tempus hoc duplici gubernij clauo, & gubernauit ſemper, & etiamnum gubernat, remunerando probos, & puniendo malos. Cùm ergo de modo, quo bonos præmijs affice-

Ibidem.

Digitized by Google

afficere decet, iam egerimus, & clarum fecerimus, cur hæc fidelis, & exacta remuneratio, ac pro meritis digna retributio ſit ad bonum commune Reipublicæ plurimùm conferens, idcircò hoc in diſcurſu conſilium nobis eſt, ſpeciatim de iuſtitia vindice agere, & de iuſta, modeſta tamen culparum animaduerſione, quæ haud minùs ad eundem finem conducit.

Vna ex præcipuis cauſis, ob quas hæc iuſtitiæ ſpecies Reipublicæ, vel cuicunque alteri Communitati tam multùm ſit neceſſaria, eſt hominum miſeranda conditio, qui (vt Vates Regius inquit) cum Sanctis Sanctitatem addiſcunt, cum inculpatis innocentiam retinent, cum malis, atque peruerſis ad omnem malitiam pertrahuntur. *Cum Sancto Sanctus, cum viro innocente innocens eris, & cum electo electus eris, & cum peruerſo peruerteris.* Ex quo fit, vt Reſpublicæ virgam non habentes ad malè agentes puniendos, facilè legum diſſolutionibus turbamentis exagitentur, omnique morum corruptela, temerarijs auſis, ac factis, & omni denique vitiorum colluuie oppleantur. Viderat olim Eſaias in tali ſtatu verſari Iſraeliticum populus, cuius conditionem miſeratus, admirabatur licentiam vitæ, agendique impudentiam, ad quam ex defectu iuſtæ punitionis, æquique iudicij deuenerat, quem tamen ipſe priùs conſeruarat in magna pace, fidelitate, & vnione. Quapropter huius mutationis cauſam impunitati adſcribens aſſerebat, tantam peruerſitatem morum in populum ſenſim irrepſiſſe, quia impunè tolerabantur homicidæ, alijſque ſceleribus contaminati. *Quomodo facta eſt meretrix Ciuitas fidelis plena iudicij? Iuſtitia habitauit in ea, nunc autem homicidæ.* Quaſi dicere vellet, tanta mala in Vrbem inuecta non fuiſſent, ſi homicidæ, & alij ſcelerati confeſtim pœnas dediſſent. Hoc magiſtra experientia compertum habens, cùm loco in alio cauſam apud Deum ageret populi ſui, charitate permotus petebat ab eo, vt malè agentes pœnæ ſubijceret, hacque punitione, & coercitione erudiret eos viuere in iuſtitia, & charitate, ne vnus alteri inferret iniuriam. *Cum feceris iudicia tua in terra, iuſtitiam diſcent habitatores orbis.* Quando enim quis malo ſuo exemplo Reipublicæ noxius, pœna plectitur, tum (Salomone teſte) hoc ſtatuto exemplo inſipientes corde, Sapientes euadunt. *Peſtilente flagellato ſtultus ſapientior erit.* Quod cauſæ eſt, vt etiam alij nullo excepto à minimo vſque ad maximum huiuſmodi ſalutiferæ eruditionis compotes fiant, iuxta illud Sapientis. *Mul-*

Pſ. 17. v. 26.

Iſ. 1. 3. 21.

Idem 26. v. 9

Prou. 19. v. 25.

Eſc. 21. v. 11.

ſtato peſtilente, Sapientior erit paruulus. Hic pœnæ inflictionis vſus adeò neceſſarius eſt, vt Iſaias de homine deprauato loquens, quaſi per deridiculum dicat, miſerationem, quæ ipſi habetur, & fit, ratione praui habitus iam contracti non profuturam, vt in officio contineatur, ſed potiùs occaſionem præbituram ad eius malitiam plus augendam, & cumulandam. Licèt enim ob bonorum, quibuſcum viuit, ſocietatem, aliquid habitudinis, & propenſionis, ad bene faciendum habeat, eius tamen iam inueterata malitia talis conditionis eſt, vt extremas pœnas pendere, & à Deo Beatæ Viſionis gratia priuari mereatur. *Miſereamur impio* (inquit Propheta) *& non diſcet iuſtitiam, in terra Sanctorum iniqua geſſit, & non videbit gloriam Domini*. In teſtem dictorum Diuum Bernardum adduco, qui ſuper illa Apocalypſis tertij verba (*quos amo, arguo, & caſtigo*) hunc in modum ſcripſit: *Si ergo te zelus deſeruit, & amor. Nec eris amore dignus, qui indignus caſtigatione cenſeris. Vides, quia tunc magis iraſcitur Deus, cùm non iraſcitur? Miſereamur impio* (inquit) *& non diſcet facere iuſtitiam. Miſericordiam hanc ego nolo. Super omnem iram miſeratio iſta, ſapiens mihi vias iuſtitiæ. Satiùs profectò mibi iuxta Prophetæ conſilium apprehendere diſciplinam, ne quando iraſcatur Dominus, & peream de via iuſta. Pſal.2.* Hanc ob cauſam non optat ſibi Mellifluus Doctor talem miſericordiam: eiuſmodi enim miſeratio ſuperat omnem acerbiorem excandeſcentiam, quam Deus vnquam erga homines oſtendere poſſit. Quod de Deo hoc ſuper argumento diximus, idem de hominibus reſpectu aliorum ſeruata proportione dicendum eſſe cenſemus: competit enim etiam ipſis, dum in dignitate poſiti, vice Dei funguntur, malos pœnis coercendi poteſtas: quandoquidem Deus ipſos nobis præpoſitos voluit, vt per ipſorum auctoritatem nos non deficeret iuſtæ cenſuræ beneficium, atque ſubſidium.

Iſa.26.v.10. S. Bern. 42. in Cantica.

Huc paterno ſuo hortamento reſpicere videtur Petrus Apoſtolus, dum ſuadet, vt noſtris nos ſubmittamus Superioribus, in quos Dominus Deus poteſtatem contulit, vnumquemque pro merito ſuo, vel pœna afficiendi, vel prœmio, vt tam boni, quàm mali cauſas haberent, quibus ad bene ſe gerendum extimularentur, boni quidem, vt fierent meliores, magiſque in via perfectionis proficerent, mali verò, vt iuſtæ formidine pænæ à malefactis, prauiſque ſe continerent operibus, quæ in magnum boni communis damnum non infrequenter audent,

Digitized by Google

dent, & ſolent committere. Morem ergo geramus primo *1. Petr. 2.*
Chriſti Vicario ita nos adhortanti; *Subiecti igitur eſtote omni humanæ creaturæ propter Deum: ſiue Regi, quaſi præcellenti, ſiue ducibus tanquam ab eo miſſis ad vindictam malefactorum, laudem verò bonorum.* *v. 13.* Cum itaque iuſtitiæ vindicatiuæ virtus (cuius officium eſt dare vnicuique, quod pro operis qualitate meretur) ita arbitris, atque Prælatis neceſſaria ſit, ad tutandos, & ab omni periculo immunes præſtandos bonos, malos verò in viam iuſtitiæ reducendos; idcircò opus omnino eſt, vt Superior, qui volet habere rationem, & exactam boni communis curam, ac regere ſapienter, hac vtatur iuſtitiæ ſpecie, prudenter tamen æquitate modificatæ.

Qualiter autem Principantibus, valenterque Regentibus hac ſit vtendum iuſtitia, & improbi fræno pœnæ in officio continendi, edocemur à Spiritu Sancto in Prouerbijs per hæc verba. *Diſſipat impios Rex Sapiens, & incuruat ſuper eos fornicem.* *Prou. 20. v. 26.* Quod eſt dicere, diſperdit malos Rex Sapiens, ſi illos iuſta, quam merentur, coerceat pœnæ inflictione. Vbi Septuaginta legunt. *Ventilator impiorum Rex Sapiens, & immittit illis rotam.* *Septuag.* Exigit foras, & radicitus extirpat malos Rex Sapiens, ſi rota Gubernij vindicis vtitur ad eos pro ratione meriti digna pœna plectendos, ac puniendos. Sed oportet aduertere, quòd in regimine animarum, potiſſimè in ſtudio perfectionis multùm promotarum non ſit ex minoribus difficultatibus vna, noſcere, quà ratione, & quando vtendum ſit rigore pœnæ, & animaduerſione iuſtitiæ qualeſque correptio, pœnæque inflictio conditiones, & circunſtantias exigit, vt procedant, & bonum operentur effectum; & hoc in ſequentibus aperire conabimur paragraphis, nixi Sanctorum Patrum auctoritate.

Digitized by Google

§. & Conſilium II.

Exacta trutina ponderanda à Prælato ſunt damna; quæ Communitatibus inferuntur ex omnimoda intermiſſione, vel nimis indulgenter, & frequenter facta pœnæ remiſſione.

REmiſſionem indiuiduam negligentiæ comitem, affirmat Sanctus Thomas non eſſe peccatum, niſi quando contrauenitur iuſtitiæ ordini, qua dictante aliquis pœna affici mereretur. *Remiſſio in puniendo non eſt vitium, niſi in quantum prætermittitur ordo iuſtitiæ, quo aliquis deberet puniri propter culpam.* Eodem modo de omiſſione philoſophantur, vt aſſerit, ad eam, vt culpabilis ſit, non ſatis eſſe, & qualecunque intermittatur bonum, ſed requiri, vt bonum, quod prætermittitur, ſit ex debito faciendum. Cum verò omiſſionis debitum poſſit conſiderari dupliciter, ideo vlteriùs pergit Angelicus Doctor, & quandoque affirmat, omiſſionem eſſe contra iuſtitiam legalem, quæ ordinatur ad bonum commune, nonnunquam contra peculiarem, quæ reſpectum habet ad proximi bonum priuatum, & ſpeciale. Vti ex his eius verbis perſpectu eſt facile. *Omiſſio importat prætermiſſionem boni, non autem cuiuſcunque, ſed boni debiti. Bonum autem ſub ratione debiti pertinet propriè ad iuſtitiam, ad legalem quidem, ſi debitum accipiatur in ordine ad legem diuinam, vel humanam, ad ſpecialem autem iuſtitiam, ſecundùm quod debitum conſideratur in ordine ad proximum.* Inter culpas magis detrimentoſas, magiſque in vno Prælato vituperio dignas, ſunt omiſſio, remiſſio, & earum negligentia rerum, quæ ad ipſorum ſpectant officium.

D.Th. 22. q.159. art.2. ad 3.

Idem 22. q.79.art.3.in concl.

Committuntur autem hoc genus culpæ, ſi ex omiſſione iuſtæ punitionis Prælatus negligit ſubditos attinere ad ea, quæ præſtare tenentur. Hunc torporem cenſet Gregorius Magnus aduerſari prudentiæ, quo quis obliuiſcitur anteuertere, & præuenire malis futuris. Et hæc ſunt verba eius aſſerti. *Dum menti ignauia ſubrepit, prudentia frigeſcit, cum ſeſſa torpet, ventura non prouidet.* Ex placito verò Diui Thomæ iam fatus torpor etiam iuſtitiæ repugnat legali, quam ex muneris ratione propugna-

S.Greg. lib.2. mor. c.26. in princ.

re

re tenetur Prælatus, quapropter ipſi in correptionibus, &
modo agendi, tali humanitate, & lenitate vtendum eſt, vt per
omiſſionem non contraueniat obligationi, qua tenetur iuſti-
tiæ, nec per remiſſionem, atque torpedinem negligat facere
neceſſariam, prudentem, & intentam curam, ac diligentiam,
ne alienorum ſe faciat conſortem defectuum. Prout alio in
loco Magnus dixit Gregorius. *Qui emendare poteſt, & negligit,* *Et lib. 9. Reg.*
participem ſe procul dubio delicti conſtituit. Seuerè olim animad- *epiſt. 64.*
uertit Deus in Sacerdotem Heli ob defectum contra hanc ob-
ligationem commiſſum, vt in Regum commemoratur hiſto-
ria. Prudens eſt ergo Leonis Papæ monitio his verbis con-
cepta. *Abijcienda prorſus peſtifera hac à Sacerdotali vigore patien-* *S. Leo Papa*
tia eſt, quæ ſibimet, peccatis aliorum parcendo non parcit. Sicut He- *epiſt. 76.*
li quondam Sacerdos filiorum ſuorum delicta tolerando, cum ipſis Diui-
næ iuſtitiæ ſententiam meruit experiri. Vitioſa quædam, & perni-
cioſa fugienda Prælatis tolerantia eſt, quæ defectus ſubdito-
rum diſſimulans, efficit ipſoſmet Prælatos culpæ obnoxios, vt
Heli ſuo damno expertus eſt ratione defectuum à filijs com-
miſſorum, quos pater diſſimulauit, & impunitos, incorre-
ctoſque tranſire permiſit. Diuus Bernardus optimè perſpectum
habuit, quæ via, & ratio Prælato ſit ineunda, in hæc non ſe
induendi extrema, ſed medium tenendi, dum modum ea de-
clinandi ita præſcripſit. *Habeat charitas zelum, ſed adhibeat pro*
tempore modum ſeueritas, cenſura quidem nunquam remiſſa, intermiſ- *S. Bern. epiſt.*
ſa tamen plerumque plus proficit. Vigor iuſtitiæ ſemper feruidus, ſed *25.*
nunquam præceps. Non abs re eſt, quòd flagrans charitas vtatur
opera zeli, nonnunquam tamen conſultum, & opus eſt, vt
ipſa ſuum moderetur rigorem, & animi definitionem. Et li-
cèt pœnam oporteat eſſe culpæ commenſam, ſi tamen tempe-
retur ſubinde, plus proficit ad medelam, cum hoc modo non
ſit remiſſa, ſed quadantenus intermiſſa. Coronidem ſuis dictis
præfatus Doctor imponit, & inquit, quòd rigor iuſtitiæ (qui
ſemper debet eſſe accenſus, ſed nunquam immoderatus, &
inconſultus) ſit ille, qui plerumque plus proficit, atque proce-
dit. Hæc Diui Bernardi verba non obiter, & in ſummo, ſed
purgato mentis oculo ſunt perlegenda: in ipſis enim videre
licet modum, quo per omiſſionem, & remiſſionem afferun-
tur damna communitatibus, non facilè aduerti, perfacile
autem eſſe aliquos inuenire, qui ipſum probent, & defen-
dant, ſi verò in alio extremo aliquis contingat defectus, mi-

nimum

Digitized by Google

nimum quid rigoris, quod inibi committitur, illico notatur, & complures inueniuntur, qui ipſum vituperent. Ex quo ſequitur, hunc exceſſum magis eſſe damnoſum, quàm eius contrarium.

§. & Conſilium. III.

Secretò delinquentes, ſecretò ſunt admonendi, publicè peccantes, publicè.

PRo certo poſito, quòd finis correptionis ſit remedium defectuum, & malorum ex defectibus exiſtentium, ſi defectus ſit ſecretus, tum eum committens eſt monendus in ſecreto: quia damnum illum ſolummodo afficit, qui defectum commiſit. Hoc ſi fiat, implebitur conſilium Chriſti Domini hac in materia his datum verbis. *Si peccauerit in te frater tuus, vade, & corripe eum, inter te, & ipſum ſolum, ſi te audierit, lucratus eris fratrem tuum*. Si frater veſter vobis offenſæ, vel ſcandalo fuerit, fiat ei in priuato correptio, quam ſi in bonam accipiat partem, tum fratrem tuum ad bonam frugem reduxiſti, & lucrifeciſti. Si verò defectus ſit publicè commiſſus, tum ſecreta non ſufficit correptio, ſed publicam facere oportet, vt malo, & ſcandalo alijs dato dignum apponatur remedium. Quod Apoſtolus Timotheo, ſuo conſulit his verbis Diſcipulo. *Peccantes coram omnibus, argue, vt, & cæteri timorem habeant*. In aperto delinquentes, publicè reprehende, vt hac ratione alij metu percuſſi non attentent ipſos imitari in paris formæ defectibus. In hoc charitatis de admonitione proximi præſcripto (inquit Diuus Thomas) nos gerere debemus ad inſtar prudentis medici, qui ægrum ſanitati reſtituere, doloribuſque, quos ſuffert, eximere curat minore cum damno, ac eſſe poteſt; ſi verò aliquod membrum certo laboret malo, ratione cuius alia membra verſantur in periculo, tum vt ea ab impendente ſeruet malo, non multùm curat damnum peculiaris membri, ſed ſolùm habet rationem vitæ, & ſanitatis totius corporis. His à Diuo Thoma fides aſtruitur hunc loquente in modum. *Sicut medicus corporalis ſanitatem ægro confert, ſi poteſt, ſine alicuius membri abſciſſione, ſi autem non poteſt, abſcindit*

Matth. 18. v. 15.

1. ad Timoth. 5. v. 20.

D. Th. 22. q. 33. art. 7. in concl.

dit membrum minùs neceſſarium, vt vita totius conſeruetur. In his Diui Thomæ verbis duo ponderanda occurrunt, vnum eſt, quòd ſicut ſapiens medicus curam impendit, vt ſanet partem læſam, ſine abſciſſione, & ſeparatione eius à corpore, quocum vnitur. Eodem prorſus modo conſultus Prælatus ſe gerere tenetur, in curatione plagarum animæ ſubditorum ſuorum. Vult itaque conſulere Sanctus Doctor, & dicere, opus eſſe, vt fidelis imitator Doctrinæ aſſertoris noſtri Ieſu Chriſti in materia correptionis fraternæ ſit valde cautus, & circumſpectus, ne bonum illius nomen, qui in ſecretum incidit defectum, obfuſcetur: quia ſi contrariam huius ſuaſionis teneret viam, tum eſſet ipſum velut ſeparare, ac dimembrare ab alijs communitatis membris, cui tamen incorporatus manet per bonam nominis exiſtimationem, & externam bonæ famæ opinionem, quæ, quoad vſque perdurat, licèt tranſgreſſor ob ſuam noxam internam non fruatur influxu Spiritus Sancti, qui communitatis eſt anima, ipſam animans ad opera perfectionis, tali religioſo vſui eſt, ad ſuum, quod commiſit, tegendum malum, ipſumque aptum, & omnino imparatum relinquit, vt cum Sancta Communitate denuò faciliùs poſſit vniri. Quando autem ipſius malum per inconſiderantiam, & imprudentiam Prælati detegitur, tum in magno ſe perdendi, ſeque præcipitandi verſatur periculo: quia bonæ famæ iniquè ſpoliatus eſt fræno, quo priùs infrænabantur.

Hoc ipſum deinde in cauſa eſt, quòd mali fiant peiores, boni verò ratione mali exempli, quod datum eſt, exponantur periculo, ne & ipſi improbi fiant. Dato tandem, & non conceſſo, quod hæc ratio non vrgeret, ad minùs taliter peccans manifeſto obijcitur diſcrimini, in mala ſemper viuendi opinione apud eos, qui Cæleſti lumine orbi præpoſterè de communitatibus iudicium ferunt, & propter vnum, quem certo vitio comperere obnoxium, imaginantur ſibi omnes alios eiuſdem communitatis eodem vitio eſſe infectos, vti Sanctus Thomas loco citato fuſiùs proſequitur inſiſtendo doctrinæ à Sanctis Hieronymo, & Auguſtino acceptæ. Opportuna quidem ſe mihi hoc loco offerret occaſio, ſpeciatim agendi de modo à Prælatis tam minorem, quàm maiorem dignitatem obtinentibus in correptione ſubditorum ſeruando, & de magna hac in functione ab ipſis ſemper adhibenda, & vſurpanda

Digitized by Google

da cautela, ne ſplendor boni nominis ſubditorum vllatenus obſcuretur, quoad abſque detrimento boni communis, & gloriæ Dei fieri poteſt: ſimiliter qua ratione ſibi ſubditos inſtruere teneantur, vt in admonitionibus, quas viciſſim ſibi faciunt idem obſeruent, hacque in materia multa cum cautela ſe gerant, prout amor Dei, & proximi ad hoc ipſos obſtringit. Sed quia non eſt mei propoſiti hoc loco inſtitutam Philoſophiæ moralis ſtylo proſequi, ſed regulas duntaxat bene regendi tradere, idcircò vltra progredior, & ad memoriam lectoris reuoco alterum, quod in verbis Angelici Doctoris ſupra relatis expendendum diximus eſſe, quòd, ſi Prælatus per admonitionem ſecretam ſuum ſubditum emendare non poſſit, tum opus ſit publicam facere, partem per hoc putridam abſcindendo, vt reliqua totius ſalubritas, & integritas indemnis præſtetur. Hoc tamen (ſaltem ſpecie tenus) ita rigoroſo oportet vti remedio, ſi clarè conſtet, nullum aliud ſupereſſe. In caſu tamen, quo huiuſmodi aſperum cum ſuis, quas fraterna poſtulat correptio circumſtantijs prudenter adhibetur remedium, tum plerumque duos mirificos producere ſolet effectus. Primus eſt, quòd hac ratione ſaluti ſubditi conſulatur, qui aliàs ſe perditum iſſet: quia quamuis frænum boni nominis ſit valde efficax remedium, ſi tamen non ſatis potens ſit, & peccans à ſua abreptus paſſione illud imprudenter excutiat, tum opus eſt, paſtomidem, vel aſperum lupatum ipſi inijcere, quod eſt punitio publica, vt ab ea, qui ad præcipitium properabat, retentus inſiſtatur, & fulmine ſeuerioris animaduerſionis conſternatus, de fine tandem cogitet ſuis exceſſibus imponendo; alij verò prauo eius exemplo nonnihil illecti, vel vſque ad tentationem pertracti, & aduertentes, non inducantur ad imitamen operum eius: quia, cùm in rei veritate noſtra natura ſit valde procliuis ad propria commoda, boniquc nominis æſtimationem, è contra verò non minor auerſatrix omnis moleſtiæ, atque incommodi, idcircò intra rationis terminos continetur, ſi pœna plexos, & coercitos cernat eos, qui ſe paſſionibus, & effrænatis motibus mancipari permittunt, perſuaſum habendo, fore, eadem menſura remetiendum ſibi, ſi eaſdem vias inſtiterit. Qui autem ſalutem animæ ſuæ cordi habent, & Deo pro ſuis noxis, maliſque, quæ proximis dedere, exemplis, ſatisfa-

Digitized by Google

cere cupiunt, non dignum exiſtimant contra ſuos indignari Prælatos, ſiquando iuſtè, & abſque paſſione ab his pœnæ ſubijciantur. Audiamus Diuum Bernardum hoc ſuper negotio ita philoſophantem: *Qui ſecretò admonitus de peccato corrigi negligit publicè eſt arguendus, vt vulnus, quod occultè ſanari nequit, manifeſtè debeat emendari. Palam ſunt arguendi, qui palam nocent, vt dum aperta obiurgatione ſanantur, hi, qui eos imitando deliquerunt, corrigantur: vt, dum vnus corripitur, cæteri emendentur. Melius eſt, vt multorum ſaluatione vnus condemnetur, quàm per vnius licentiam multi periclitentur.* Qui per ſecretam correptionem emendari noluit, publicè eſt arguendus, vt plaga, quæ clam curari non potuit, curetur detecta, & in apertum producta. In delinquentes publicè, eſt pœna publica ſtatuenda, & exequenda, vt correptionis, & pœnæ publicè iniunctæ formidine emendentur, ijque ſe corrigant, qui eos malè imitari attentant. Contingere namque poteſt, vt ex punitione vnius plures reuocentur ad frugem. Conſultius namque eſt (eodem teſte) in vnum pro ſalute plurium animaduertere, quam propter temeritatem vnius priuati, & omiſſam talis auſi condignam pœnæ inflictionem plures in diſcrimen adducere. Ex quo infertur, publicam defectuum in publico commiſſorum correptionem omnino neceſſariam eſſe, & prorſus non omittendam, tametſi contingeret inquies eius, qui ſimiles commiſit defectus. Bonum enim commune præferendum eſt bono priuato, vtpote quod minus eſt illo. Quia (vt Spiritus Sanctus per Salomonem nos in Prouerbijs inſtruit) ſtultus intrat in ſeipſum, Sapienſque efficitur, ſi conſpiciat correptum, & ad pœnam condemnatum eum, cum malo inficiebatur exemplo. *Peſtilente flagellato, ſtultus Sapientior erit.*

S.Bern.lib.de modo bene viuendi ſer. 18.de diſcipl.

Prou. 19. v.25.

Digitized by Google

§. & Conſilium IV.

In recenti ſemper memoria eſt habenda Prælato differentia, atque diſcretio, quam purpuratus Doctor Bonauentura inſtauratas inter, & relaxas facit Religiones, vt norit vnicuique, quod debetur, tribuere.

PRælatus, qui omnes officij ſui perfectè explere partet, & in correptione culparum impauido animo, ac prudenter ſe gerere cupit, memoriæ ſemper commendatam habere differentiam debet, quam Sanctus Bonauentura Doctor Seraphicus, & in regimine Regularium perſonarum apprimè verſatus inter Religiones aſſignat reformatas, & laxamentis obnoxias, quam differentiam hoc verborum fatus Doctor tradit tenore. *In hoc enim differunt laudabiles Religiones, & iam dilapſa, non quod nullus peccans in laudabilibus reperiatur, ſed quod nullus impunè peccare ſinatur, & peccandi aditus ſtudiosè præcludantur, & incorrigibiles, & alios inficientes eliminentur, & boni foueantur, & diligantur, vt perſeuerent, & in meliùs proficiant.* Diſcrimen itaque quod inter priſtinum ſeruantes rigorem, & collapſas intereſt Religiones, non in hoc vertitur, quod in reformatis non ſint licentiosè, & diſſolutè viuentes, ſed propriè conſiſtit in hoc, quòd in cœtibus religioſorum in primo feruore manentibus, nullus, qui ſe alicuius, aut alterius praui operis fecit obnoxium, dimittatur impunitus, & incorrectus, & experrecto inuigiletur animo, vt porta obſeretur vniuerſis defectibus, & illicitis factis, abſtrahendo, & longè faciendo religioſos à malis occaſionibus, ac exigendo à communitate incorrigibiles, & pernicioſos, ne cæteros inficiant, & corrumpant, è contra verò fauendo bonis, eoſque humaniter, & peramanter tractando, vt in dies meliores fiant, & magis in ſtadio perfectionis procedant. Idcircò vnicuique Rectori Regulari non parum proderit, ſi ſupra relatam Diui Bonauenturæ præ oculis ſemper habeat diſtinctionem, ac nequaquam ſe turbet, vel animum deſpondeat, ſi aduertat, quòd in ſua communitate ſint aliqui, qui primo remiſſo feruore nonnihil laxiùs viuunt:

S. Bonau. de ſex alis Seraph. c. 3. poſt med.

quia

quia nullum eſt vſpiam inſtitutum, ſit demum tam perfectum, ac eſſe poſſit, quod huius farinæ non grauetur hominibus, ſed potiùs in hanc curam vnicè intendat Prælatus; ne in condignis monitionibus, & correptionibus faciendis culpiſque, ſi ratio poſtulat, exagerandis, & ponderandis irrepat languor aliquis, vel deſidia. Et hoc eſt, quod firmat Religioſos ſtatus, eoſque in ſua perfectione conſeruat.

§. & Conſilium V.

In eam curam præcipuo ſtudio incumbat Prælatus, vt quæcumque malè fundata opinamenta, ac pernicioſas ſentiendi formulas, vel corrigat; vel extirpet.

QVamuis Prælato enixè curandum ſit, vt ſuam communitatem omni defectuum, & noxarum genere eximat, ſingulari tamen etiam vigilantia, & cura in id ipſi eſt intendendum, vt malas foras exigat doctrinas, & ſenſa pernicioſa, quæ ſunt radices, quibus fouentur, & nutriuntur damna communitatum: quia, cùm modus operandi, modum ſequatur opinandi, idcircò fieri non poteſt, vt actiones ſint bonæ, ſi opinationes ſint malæ. Non ſine cauſa ergo ſcripſit Diuus Bernardus Eugenio Papæ, præcipuum Prælati officium eſſe, omnia falſorum dogmatum, & erroribus inſperſarum ſententiarum genera per rationes ſolidas radicitus extirpare, & in id præcipua cura intendere, vt illi, qui huiuſmodi diſſeminant, & ſpargunt toxica, maneant vel conuicti, vel ad minùs apud alios eorum fides, & auctoritas taliter infirmetur, vt nullus ipſorum dictis credendo, in errorem induci, & circumueniri poſſit. Tale fuit datum conſilium à Prælato Clareuallenſi Papæ Eugenio in hac verborum forma. *Subuerſores inuictis rationibus conuincantur, vt vel emendentur ipſi, ſi fieri poteſt, vel ſi non, perdant auctoritatem, facultatemque alios ſubuertendi.* Huius itaque rei gratia omne doctrinæ robur, totius poteſtas officij, omnis boni vigor exempli à Prælato eſt adhibendus, & impendendus; quia ſecus ſi faciat, præpollere non poteſt ad radices tam noxij ſeminis penitus extirpandas. Talem in vno Præſule

S. Bernardus l. 3. de conſid. c. 1. ad med.

ſule vigorem, atque valentiam requirit etiam Paulus Apoſtolus, dum in hac ſcribit ad Titum verba. *Vt potens ſit exhortari in doctrina ſana, & eos, qui contradicunt, arguere.* Ita debet eſſe comparatus Prælatus, vt vi, & efficacia in dicendo polleat ſubditorum ſuorum cordibus ſanam inſeminandi doctrinam, omneſque præpoſterè ſentiendi modos, & ſolam ſpeciem veri præſeferentes, rationes, quæ in contrarium poſſent adduci, refellendi, & inualidas oſtendendi. Ad quod meditatio, & ſtudium Sacræ Scripturæ multùm operæ conferet, prout ſuper hunc textum Thomas Aquinas ſcribens his verbis inſinuat. *Et hoc per ſtudium Sacræ Scripturæ.* Quia ſicut effata Spiritus Sancti in Sacris contenta paginis ſunt vſui ad docendum, ita non minùs conducunt ad malum funditus euellendum. *Omnis ſcriptura diuinitus inſpirata vtilis eſt ad docendum, & ad arguendum &c.*

Ad Titum 1. v. 9.

2. ad Tim. 3. v. 16.

§. & Conſilium VI.

Per quàm ſtudioſè à Prælato cauendum eſt, ne vnquam carpat intentionem agentis, niſi certò certiùs ſibi conſtet, eam à parte rei eſſe malam: hoc enim iudicium Deus ſibi ſoli reſeruat.

In rebus, quæ foris aliquam præſeferunt ſpeciem obtentus, nunquam committat Prælatus, vt ab externis à ſe datis notari poſſit ſignis, ipſum ſuſpicionem habere, ex malo aliquid factum, vel fieri fine, quod vtique notaretur, ſi quem ob occultam finis malitiam corriperet, ſed ad ſummum (quod per modum conſilij dico) percautè, & circumſpectè, verbiſque valde conſideratis tentationem inſinuet, qua homines in parilibus occaſionibus conſtituti à Diabolo diuexari, & impeti ſolent. Licet enim Superior tanquam Magiſter, & ſalutis animæ moderator diligentiam facere poſſit, vt occulta animi ſenſa, & intimos ſecretorum receſſus ſubditorum ſuorum penetrare valeat, hoc tamen eo fine fiat, oportet, vt eos meliùs regere, & dum cum ipſis priuatim agit, aliquam eis dare poſſit doctrinam, quæ ad fundum penetret cordis, illud tamen nulla ratione verbis perſtringat, quod ſola coniectura auguratur,

ratur, ac ſi haberet pro comperto. Et tali conſilio erudimur ab Auguſtino hiſce verbis: *Multa, incertum eſt, quo animo fiant, de quibus iudicare temerarium eſt. Maximè autem hi temerè iudicant de incertis, & facilè reprehendunt, qui magis amant vituperare, & damnare, quàm emendare, atque corrigere, quod vitium vel ſuperbiæ eſt, vel inuidentiæ.* Plurima dantur, quæ talis conditionis ſunt, vt certò, quo fiant ex fine, ſciri non poſſint, idcircò ſi quis hæc iudicaret, temerarius eſſet, quod tamen ab ijs fieri ſolet, qui procliuiores ſunt ad culpandum, quàm ad remedium culpis admouendum, & hoc propter ſuperbiam, vel inuidiam, quorum proprium eſt, proximum non reuocare ab eo, in quod incidit, malo, ſed potiùs illud euulgare in omnes, vt ab alijs deſpicatui habeatur, & bonum nomen amittat. *Quantum ergo*, vt cum ego Diuo Bernardo loquar, *iniqua nocet poteſtas*. Quapropter ille ſolummodò à Prælato modeſtiæ animi ſtudioſo eſt reprehendendus defectus, qui foris ſe prodit, ita vt neutiquam diuinet, vel culpet finem, aut, quo factus eſt, animum, niſi ipſa delinquentis actio ipſum producat ad lucem. Hoc ſiniſtrum iudicium ſuadet nobis cauendum ipſe etiam liberator animarum noſtrarum, dum inquit. *Nolite iudicare, & non iudicabimini, nolite condemnare, & non condemnabimini*, vbi per illa verba: *Nolite iudicare*. Manifeſtè oſtendit, ſe de iudicio malè fundato, temerario, & futili loqui, non verò de iudicio, quod fertur de euidente culpa illius, qui iudicatur. Qui verò temerè iudicat, indubitatam committit culpam, & à Deo iudicari, & condemnari meretur; quia iudicat, & condemnat incertum iuxta illud Apoſtoli: *In quo enim iudicas alterum, teipſum condemnas*.

S. Aug. tom. 4. l. 2. de ſerm. Do. in monte c. 18. in fin.

S. Bern. ſer. 3. in Epiph. Do.

Luc. 6. v. 37.

Rom. 2. v. 1.

§. & Conſilium VII.

De modo, quo vnicuique id à Prælato amanter dici oportet, quod facit pro ſalute animæ eius.

POſtquam Prælatus rem alicuius faciendæ monitionis omni cum animi ſubmiſſione Deo commiſit, & commendauit, modumque, & circumſtantias eius exacta rationis, & prudentiæ trutina ponderauit, tum excuſſo omni vano timore, ſereno corde dicat vnicuique, quòd ad ſalutem animæ eius expe-

expediens, & neceſſarium eſſe iudicauerit, ita tamen, vt non tranſgrediatur ordinem, quem Magiſter cæleſtis Ieſus Chriſtus Dominus Noſter de modo fraternam faciendi correptionem præſcripſit. Hoc ſi Prælatus faciat, non tenebitur rationem reddere pro illo, qui paternè monitus, bonum eius conſilium ſequi, ſalutaremque eius Doctrinam ad opus deducere noluerit. Et quia Paulus Apoſtolus hoc non ſegniter præſtiterat, idcircò conſolabatur ſeipſum, ſibique perſuadebat, ſe per hoc partes ſuas dignè expleſſe, ac proinde ſe pœnæ non obnoxium ſed ſolutum ea exiſtere, quam haud dubiè promeritus fuiſſet, ſi hoc facere intermiſiſſet, ſed rei huius ſecurus, non iniuria dicere poterat ſuis hæc ſubditis verba. *Conteſtor vos hodierna* Act.20.v.26. *die: quia mundus ſum à ſanguine omnium: non enim ſubterfugi, quò minùs annuntiarem omne conſilium Dei vobis.* Teſtes vos volo, veſtris cum defectibus me nihil habere commune, non enim me ſubterduxi, quò minùs vobis apertè, & libero corde dicerem, quod pro ſalute animæ veſtræ faciens iudicaui. Pariter Pſalmographus ſibi laudi vertebat, ſe in hac debiti parte non indormiſſe, ſed fideliter perſoluiſſe, vtì ex his eius verbis Pſal.36. colligere licet. *Iuſtitiam tuam non abſcondi in corde meo, veritatem tuam, & ſalutare tuum dixi.* Per nullam diſſimulationem prætermiſi, id meis dicere ſubditis, ad quod faciendum, vt Deo complacerent, obſtringebantur. Studui inſuper notas eiſdem facere ſcitu neceſſarias veritates, & in conſpectum dare, quæ ipſis factæ ſunt, promiſſiones. Hìc dignum eſt, non ſine obſeruatu traſmittere, quòd, quamuis veritas, ſi dicatur, principiò aliquem doloris ſenſum, vel diſplicentiam generet, ſucceſſu tàmen temporis (Deo ſic diſponente) optimos producit effectus, vt non inſcitè aduertit Ioannes Climacus his locutus verbis. *Contriſta infirmitatem ad tempus; ne* Clim. de bono Paſtore to. 5. Bibl.SS.PP. *infirmus longo tempore maneat, & langueat, atque moriatur ex ſilentio maledicto. Multi ex ſilentio gubernatoris ſe bene nauigare ſuſpicabantur, donec in aſpera percuſſerunt.*

Non te ſollicitum habeat, ad tempus triſtitia afficere infirmum, vt hac arte longam ſubmoueas morbi durationem, neue facias, vt cauſa negligentiæ, damnoſique ſilentij æger fato concedat: multi enim ob gubernatorum periere ignauiam, miſerumque ſunt naufragati in modum, qui ſe in tuto poſitos, & ventum in puppi habere arbitrabantur.

§. &

Digitized by Google

§. & Conſilium VIII.

Priuſquam Prælatus quemquam corripiat, iuſta lance apud ſe expendat, & percurioſè diuentilet finem, quo mouetur ad faciendam correptionem, vel pœnam alicui irrogandam.

RIgido ſubijciat examini Prælatus finem, quo inducitur ad aliquem reprehendendum, vel pœnam imponendam illud verò in primis, & perſtudioſè caueat, ne quid irati animi, vindictæ, odij, aut inuidentiæ in hoc tam delicato fraternæ charitatis negotio ſe interponat, quod tamen facilè euitare poterit, ſi alium finem ſibi non præfigat, quàm gloriam Dei, bonumque tam commune, quàm priuatum animæ ſubditorum ſuorum, nec in hac actione propria ducatur propenſione: ſi namque oppoſitum faceret, non ſolùm ſubditis ſuis per hunc agendi modum nullum prorſus emolumentum afferret, verùm etiam ſibi ipſi haud leuiter officeret, atque noceret. Sint hæc mihi Baſilij Magni verba pro teſte, quibus in hunc loquitur modum. *Illud cauere magnopere Antiſtes debet, ne ad caſtigandum verbis aliquem ex his, qui deliquerint, affectu quouis vitioſo percitus accedat, quando cum indignatione, & ira, caſtigatione aduersùs aliquem vti, hoc haud quaquam eſt à peccato illum liberare, ſed delictis ſe ipſum obſtringere.* Vnum præ cæteris, & ante omnia eſt Prælato cauendum, ne vllum ex aliqua paſſione corripiat, aut aliquam ſubditorum ſuorum ex indignatione quadam, vel animi commotione pœnæ addicat: quia, ſi hoc faceret, non ſolùm ſubditum ſuum malo ſuo non expediret, ſed potiùs ſemetipſum culpæ obnoxium faceret: quia iuxta Senecæ placitum, *non oportet peccata corrigere peccantem*. Item eodem teſte. *Nil minùs quàm iraſci punientem decet.*

S. Baſil. in Regul. fuſiùs diſputatis interrogat. 50.

Lib. 1. de ira c. 15.

Digitized by Google

§. & Conſilium IX.

Poſtquam Prælatus factum, quod correptionem meretur, bene diſcuſſit, plenamque eius informationem accepit, tum potiùs tranquillet cor ſuum, antequam ad reprehenſionem faciendam accedat.

CVm aliqua pœna imponenda, vel correptio facienda eſt, tum Prælato ante omnia eſt cor in pace ponendum, & ratio, ac incitamentum, quo adducitur ad faciendam eam, accuratè eſt ponderandum, ne, ſi de facti veritate ipſi liquidò non conſtet, & certus ſit, pro temerario, & præcipite reputetur, & habeatur, ac per hoc pudore ſuffuſus impingat in extremum contrarium, quod eſſet à correptione, pœnæque iniunctione omnimodè abſtinere. Idcircò imitandum eſt ipſi factum patientiſſimi Iob, ita de ſe locuti. *Et cauſam, quam neſciebam, diligentiſſimè inueſtigabam*. In cauſam, quam compertam non habebam, accuratiſſimè inquirebam. Super quem textum Gregorius Magnus hæc nobis litteris conſignata reliquit. *Qua in re notandum video, ne ad proferendam ſententiam vnquam præcipites eſſe debeamus, ne temerè indiſcuſſa iudicemus, ne qualibet mala audita nos moueant, ne paſſim dicta ſine probatione credamus*. Ex quibus tanti Doctoris verbis quatuor à nobis ſolerter notanda, & ſollicitè præcauenda elicere poſſumus. Primum eſt, ne in noſtris fratribus condemnandis, & arguendis, temerarij, præcipites, & faciles ſimus. Deinde ne ſine iuſta cauſa, & præmiſſa debita diſquiſitione, eorum opera iudicemus. Præterea ne nobis perſuadeamus, totum, quod inaudimus, eſſe veritati, conforme. Poſtremò ne fidei aſſenſum præbeamus omni dicenti, & dicti ſui rationem non afferenti. Vt Hieronymus perſuaderet Celantiæ Virgini, ſibi à prædictis caueret, ei damnum, quod inde ſequitur his verbis depinxit. *Nil tam inquietat animum, nihil eſt, quod ita mobilem mentem, ac leuem faciat; quàm facilè totum credere, & obtrectatorum verba temerario mentis aſſenſu ſequi.*

Iob 29. v. 16.

Greg. tom. 2. l. 19. Moral. c. 14. ad fin.

S. Hieron. to. 2. in epiſt. ad Conſtantiam ad med.

Nihil magis inquietem, & leuem reddit animum, quàm quando quis ob querulorum, & ſuſurronum garrulitatem temeri-

meritate abreptus, quidquid dicitur, facilè credit. Si itaque contingat caſus, quòd cauſa, ſuper qua cognoſcitur, ſit grauis, magnique momenti, tum Prælatus (ſi tempus permittat) legat librum aliquem aſceticum, qui de tali tractet materia, cuius lectione animum quieſcat: quia ſi in hoc genus occaſionibus animi commotioni frœnum non iniiciatur, tum coget nos optare, vt res, provt relata eſt, ita ſe habeat, nobiſque fundamentum præbeat in ſortem animaduertendi. *Facilè namque*, inquit Strada, *creditur, quod exoptatur*. Hoc vitio laborare genus mortalium ſolerter Diuus Auguſtinus animaduertit, hunc in modum locutus. *Maxima pars generis humani indiſcreto iudicio ad reprehendendum prompta, & parata eſſe probatur, cùm tamen non ita ſe velit ab alijs iudicari, quomodo vult alios iudicare. Propter hoc Scriptura Diuina admonet dicens: priuſquam interroges, ne vituperes quemquam, & cùm interrogaueris, corripe iuſtè*. Plerique hominum ad inconſultè reprehendendum ſunt procliues: inconfeſſo enim eſt, neminem promptum eſſe, vt iudicetur ab alijs, ſed quemlibet admodum pronum ad iudicandos alios. Quia vt Concilij Purpuratus refert auctor hiſtoriæ Tridentini, *Cunctis iuſtitia non perinde in propria, ac aliena placet domo*. Propterea Sacræ nobis conſulunt paginæ, vt neminem ante veritatem priùs cognitam deſpicatui habeamus, comparata verò notitia cenſura limites iuſtitiæ non excedat.

S. Auguſt. to. 10. ſerm. 102 de temp. ad finem.

Eccl. 11.

Fol. 103. col. 2

§. & Conſilium X.

Non actutum, ac aliquis defectus commiſſus eſt, à Prælato eſt correptio facienda.

CAueat Prælatus, ne illico, ac in erratum quiſquam impegit, velit ad correptionem procedere, niſi bonum commune, & dati ratio ſcandali contrarium exigant faciendum; & hoc ex duplici capite, tam ex parte ſubditi, quàm Prælati ſe tenente. Primò quidem ex parte ſubditi; quia delinquens nunquam minùs eſt comparatus ad ſubeundam correptionem, quàm dum actu delinquit, vel non multò poſt culpæ comiſſionem. Pro illo namque tempore auerſum, &

Digitized by Google

alienum ab eo omnino habet animum, quod ei in correptione à Superiore eſſet dicendum. Deinde ex parte Prælati: quia Prælatus pro tunc propter errati coram ſe commiſſi præſentiam acriùs plerumque commoueri animo ſolet. Sicut enim hominis ſapientia, & prudentia præditi proprium eſt, bene expendere, & ſuper eo, quod agendum eſt, maturè deliberare, ita homini paſſionibus mancipato innatum eſt, in ſuis actionibus ſubitaneum, & præcipitem eſſe, cùm verò hoc vnum Prælatum magnopere dedeceat, idcircò conſultum, & decens eſt, vt in ſuis correptionibus, quas facit, omnem præfeſtinantiam fugiat, & taliter ſe gerat, vt appareat, ſe eas abſque præmeditatione, maturo examine, & præuia conſultatione non facere. Quin imò ſi defectus æquo toleret animo, atque diſſimulet, tempuſque opportunum ad correptionem faciendam operiatur, tum pro certo habeat, quòd per hoc (prout Sanctus opinatur Gregorius) latentem quaſi ſubdito faciat reprehenſionem, quod poſtmodum cauſa eſt, vt ſubditus ius dicat contra ſeipſum, ſeque imperfectum, & ſontem pronunciet, firmiterque apud ſe ſtatuat, culpam ſuam agnoſcere, & vltro fateri, perſpecta tolerantia, quam cum ipſo Prælatus ad tempus habuit, non obſtante, quòd ipſi culpa ſatis, ſuperque innotuiſſet, vtpote proprijs oculis vſurpata. Ex quo deinde conſequitur, quòd ſubditus correptionem bono ſuſcipiat animo, ſi in tempore fiat: eam enim non vt reprehenſionem autumat, ſed tanquam confirmationem eius, quod ipſe iam apud ſe facere decreuerat. Quæ omnia ex his Diuì Gregorij verbis haud obſcurè colligi poſſunt. *Aliquando & apertè cognita vitia maturè toleranda, aliquando verò ſubtiliter, & occultè perſcrutanda: aliquando leuiter arguenda, aliquando autem vehementer increpanda. Nonnulla quippe prudenter diſſimulanda ſunt, ſed quia diſſimulantur, indicanda, vt, cùm delinquens & reprehendi ſe cognoſcit, & perpeti has, quas in ſe tacitè tolerari conſiderat, augere culpas erubeſcat, ſeque, ſe iudice puniat, quem ſibi apud ſe Rectoris patientia clementer excuſat.* Talis verò ex prudentiæ præſcripto agendi ratio eſt non infrequenter efficaciæ tantæ, vt ſubditum adducat ad redeundum in ſe, & erratum ſuum propria ſponte agnoſcendum. Ex hoc iam argui poteſt magna Iſraelitici populi peruicacia, quocum Deus olim hoc tam ſuaui agendi vſus eſt modo, nihil tamen cum eo efficere potuit. Idcircò de tam indurato eius animo per vatem Iſaiam, his con-

S. Gregor. tô. 3. part. 2. paſt. c. 10. in princ.

conqueſtus eſt verbis. *Neque cogitaſti in corde tuo: quia ego tacens, & quaſi non videns.* Non penſiculaſtis in cordibus veſtris, quòd vos offendentes me arguerim, & dignas de tam indigno facto ſupſerim pænas, ſed potiùs quaſi mutum, & cæcum me vobis exhibere voluerim. Sed quia tam ſuaui, & benigna ratione agendi in bonum ſuum vti non voluere, ideo per eundem Prophetam has intentauit ipſis poſtmodum minas. *Tacui, ſemper ſilui, patiens fui, ſicut parturiens loquar, & abſorbebo ſimul.* Diu conticui, & patientiam vſurpaui, impoſterùm verò os aperiam, & inſtar fæminæ in partûs doloribus agentis vociferabor, veſtra mundo vulgabo delicta, & in ea grauiter animaduertam. Per hoc firmatur exceptio in huius ingreſſu facta Conſilij, quæ eſt inibi dicta, intelligenda eſſe in caſu, quo nullæ adeſſent circumſtantiæ, propter quas nil intereſſet boni communis, ſiue fieret, ſiue differretur correptio, aliàs extemplò, prudenter, & omni fugato metu facienda, veteriore tempore non exſpectato.

Iſaia 57. v. 11.

Iſaia 42. v. 14.

§. & Conſilium XI.

Si Prælatus commotum ſe ſentiat animo, tum prætermittat pro tunc delinquentis correptionem, eamque faciat debitis circumſtantijs obſeruatis, vtì fluctus animi reſedere, ſi in votis habeat, vt correptio bonum ſortiatur effectum.

PEr maturum inſtitutum examen habita de defectibus factis plena notitia, & commoda correptionis faciendæ exſpectata occaſione, tum vlteriùs cauendum eſt bene Prælato, ne confeſtim correptionem faciat, caſu, quo ſentiat ſe introrſus commotum: quia prætextus, & palliatus Zelus in huius formæ euentibus plerumque imponit, & cauſa eſt, vt in ſubſtantia, modoque correptionis debito excedatur. In ſimili itaque caſu Regius eſt Prælato imitandus Propheta, qui de ſe faſſus eſt, quòd, quando erat turbatus, locutus non fuerit. *Turbatus ſum, & non ſum locutus.* Idem Gregorius Magnus in tali euen-

Pſal. 76.

S. Gregor. tom. 4. lib. 8. Regiſt. Epiſt. 2

euentu conſulit faciendum in hæc verba locutus. *Quoties ira animum inuadit, mentem edoma, vince teipſum, differ tempus furoris, & cùm tranquilla mens fuerit, quod placet, vindica. Ira enim in vindictam malorum ſequi debet rationem animi, non præire, vt quaſi ancilla iuſtitiæ, poſt tergum veniat, & non laſciua ante faciem prorumpat.* Quando Prælatus ſtomacho inuaſum ſe ſentit, tum ſibi moderetur, neceſſe eſt, & correptio in aliud tempus eſt differenda, vbi verò tranquillatus fuerit animus, tum carpat, & moneat, quæ iudicat eſſe carpenda, & admonenda. Siquidem in culparum correptione oportet, vt motus iræ, rationem ſequatur, & poſt eam, vt pediſequa, & iuſtitiæ Miniſtra incedat. Dandum eſt tempus, & locus rebus, & quamuis videatur ad modicum tempus nonnihil pati muneris authoritas, pro certo tamen tenendum, per hoc nihil omnino perdi, ſed lucrum potius fieri, ſi quæ ad rem eſt, exſpectetur occaſio, vt malo, prout intenditur, congruum apportetur remedium. Vt Gregorius Magnus iam ſuprà citatus magis dilucidè explicet, qua ratione hæc nobis ſit functio obeunda, apoſtematum adducit exemplum, in quorum curatione inquit notandum, ipſa, ſi per incogitantiam, vel chirurgi præproperam feſtinationem, neque ad plenam perducta maturitatem aperiantur, magis inflammari, atque exulcerari, generatimque loquendo vniuerſa medicamenta, ſi non in tempore, & inconſultè adhibeantur nullam prorſus operationem habere.

S. Gregor. p. 3. Paſt. c. 10. poſt. princ.

Super quæ propria eius verba ſubiungo hoc tenore conſcripta. *Nonnulla autem vel apertè cognita maturè toleranda ſunt, cùm videlicet rerum minimè opportunitas congruit, vt apertè corrigantur. Nam ſecta immaturè vulnera deteriùs inferueſcunt, & niſi cum tempore medicamenta conueniant, conſtat procul dubio, quòd medendi officium amittant.* Denique à nobis hactenus dicta ſolidiùs, meo videri, confirmari non poſſunt, quàm ex modo, quo Chriſtus Dominus cum Pſeudo Apoſtolo Iuda, vt ipſum ad frugem reduceret, voluit vti: præmiſſa enim multa diſſimulatione, longique temporis exſpectatione, primò ei noxam generatim, & ſine nominatione perſonæ inſinuabat. Deinde quando ipſum ratione iam notæ traditionis palam corripiebat, id fecit verbis placidiſſimis, & plenis amore appellando ipſum amicum ſuum, vt hac ſua cum ipſo agendi ratione nos inſtrueret, in correptione delictorum ſimilium vtendum nobis eſſe maiore cunctatione, maioreque cum pace, & animi tranquilli-

lita-

Digitized by Google

litate taliter delinquentes ſuorum exceſſuum eſſe admonendos.

§. & Conſilium XII.

Qua ratione à Prælato ſint corripiendi, & corrigendi illi defectus, qui contra rationis præſcriptum, & iuſtitiam à ſubditis, intuitu ipſius Prælati perpetrantur.

Siquis ſubditornm aliquem committat defectum Superioris ergo, & gratia, tum delinquens abſque omni corripiendus eſt reſpectu, nulliuſque minùs recti finis habita ratione. Hoc enim præſtans efficiet, vt ſubditi ambulent in iuſtitia, & veritate, nec auſuri ſint, eo blandiri fine, vt Superiorem inducant ad cum ipſis diſſimulandum, ac libertatem permittendam alios impunè committendi defectus. Imitandum ergo eſt hac in cauſa Præiato exemplum primi exemplaris Chriſti Ieſu, qui licèt ipſa eſſet teneritudo, Simonem tamen Petrum ita acriter corripuit, vt ipſum Sathanam appellarit, cauſa autem tam acris correptionis fuit, quia amore proprio, & prudentia quadam humana inductus Chriſto Domino perſuadere volebat, ne ſe morti offerret, vt ſibi iugiter eius conuerſatione frui liceret, animum interim ſuum non aduertens ad Diuinæ Sapientiæ diſpoſitionem, bonumue totius generis humani commune, quod inde dependebat. Duos itaque in hac correptione ſpectabat ſapientiſſimus è Cœlo miſſus Magiſter fines, vnus erat, vt Apoſtolum Petrum minùs rectè ſentientem pro merito culpæ commiſſæ argueret; alter vt Petrus, qui cum tempore Rector Eccleſiæ futurus erat, addiſceret, eos cum rigore fore corripiendos, qui in futurum ipſius intuitu aliquos commiſſuri eſſent defectus. Ob hos fines forma correptionis hæc fuit. *Vade poſt me Sathana, ſcandalum es mihi; quia non ſapis ea, quæ Dei ſunt, ſed ea, quæ hominum.* Dauid typus Chriſti, vt ambo in modo regendi eſſent conformes, non alio agendi vſus eſt modo: cùm enim Semei ob iniurias, tempore, quo perſequentem fugiebat Abſalon, ipſi illatas, veniam veniret petitum, præſens erat Abyſai, & Zelo honoris regij

Matth. 16. v. 23.

Digitized by Google

regij percitus dicere non verebatur, ipſum ratione temeritatis contra regem auſæ è medio tolli meritum eſſe, Rex verò hæc audiens, acriter in ipſum inuectus dicebat, quid hac in re ſe immiſcere haberet, cùm ſimilia dicere, ſit Sathanæ fungi officio, vti ex his proprijs regis verbis colligi licet. *Et ait Dauid. Quid mihi, & vobis Filij Saruiæ? cur efficimini mihi hodie in Satan?* Tam rigido autem inuectionis modo Rex vſus eſt contra eum: quia haud dubiè ſubolucrat Sagaciſſimo Regi, ipſum commiſeratione erga ſe tactum, & honorem Regium eo fine ſibi cordi habuiſſe, vt vel ſibi aucuparetur, aut magis firmaret ſuam apud regem gratiam, vel ex tali dicto alienam ſibi accerſeret laudem, & applauſum. Ex his duobus ſua admiratione non indignis exemplis conficit Gregorius Magnus, eos, qui ſub prætextu monſtrandi ſe amicos, res aliquas faciunt, in quas ſi Superiores ſuum darent conſenſum, ipſis imputaretur ad culpam, paulò acriùs eſſe corripiendos: ipſis enim veluti ſubtilibus inſtrumentis Diabolus vtitur ad Superiores à iuſtitia auertendos. Quod ſequentia indicare volunt Diui Gregorij verba. *Malè itaque ſuadentes, Angeli Apoſtatæ appellatione cenſentur: quia verbis blandis ad illicita quaſi diligentes trahunt.*

2. Reg. 19. v. 22.

S. Gregor. lib. 2. li. 3. mor. c. 11. in fine.

§. & Conſilium XIII.

Leuiores defectus à Prælato non pro nihilo ſunt habendi, ſed multa ſuper ipſos cura eſt adhibenda, ne cum tempore tranſeant in maiores, id verò, quòd maioris perfectionis eſt, longè exactiùs eſt curandum.

VT res leuioris momenti perinde in materia perfectionis, quàm imperfectionis multùm curemus, & magni æſtimemus, eaſque ratione leuitatis non flocci pendamus, mouere nos poteſt illud Chriſti Domini de extremo loquentis iudicio, graue effatum, quo nobis proteſtatur, ſe de cunctis, & ſingulis verbis rationem exacturum, & nec vnum quidem impunè tranſire permiſſurum, ſit demum ratione imperfectionis

ſuæ

ſuæ tam paruum, ac eſſe poſſit. *Dico autem vobis; quoniam omne verbum otioſum, quod locuti fuerint homines, reddent de eo rationem in die iudicij*. Prælato ergo, ſi fidelis Domini ſui Ieſu Chriſti æmulator eſſe cupiat, omnis fugienda eſt & omiſſio, & remiſſio, non in rebus duntaxat magnis, & grauibus (prout Sacerdotis Heli delicta erant) ſed etiam, quoad fieri poteſt, prudenter inuigilandum, vt eorum caueantur ſemina, & initia, quod tum præſtatur, ſi modicarum habeatur ratio rerum, ne tranſeant in maiores: ſi namque negligantur parua, plerumque inciditur in maiora. *Qui modica ſpernit, paulatim decidet*. Et licèt fortaſſe Prælato vitio vertatur, quòd hac in parte plus, quàm oportet, emungat, dum in his tempus terere videtur minutijs, non ideo ſe affligat, ſed ſtudeat ſequi doctrinam, modumque agendi Sanctorum; præſertim Doctoris Seraphici, Diui Bonauenturæ, qui tergiuerſabatur de vna, an pluribus pennis vni, qui à ſecretis in ſuo ordine erat, concedendis, idem de menſa eius, an magnam, vel paruam eſſe deceret: ſingularem itaque Prælatus gerat curam ponendi remedium in rebus modicis, & non conſentiendi dictis perfectioni contrarijs, vt ſubditi nulli prorſus aſſueſcant rei, quæ libertatem, aut lautitiam ſapere, aut redolere poſſit: quia ſimile quid naturæ noſtræ facilè adhæreſcit, niſi tempeſtiuè dignis anteuertatur remedijs. Hac in re nobiſcum Auguſtinus ſentire videtur, dum hæc in verba ſuum nobis aperuit opinamentum. *Huius* (prudentiæ ſcilicet) *excubiæ, atque diligentiſſima vigilantia eſt, ne ſubrepente paulatim mala ſuaſione fallamur; vnde ſæpe Dominus, vigilate, clamat Matthæi 24. Et ambulate* (*inquit Ioannis* 12.) *dum lumen habetis, ne vos tenebræ comprehendant. Itemque dicitur, neſcitis? quia modicum fermentum totam maſſam corrumpit*. Prudentiam moderatorum, & antiſtitum officium eſt, iugiter excubare, & vigilas agere ne incogitanter abuſus, & laxitatem ſapientia ſubintrent profata, quæ ſunt inuenta, quibus aduerſarius noſter connititur ſeruos Ieſu Chriſti, à via perfectionis currenda retrahere.

Matth. 12. v. 36.

Eccli. 19. v. 1.

D. Aug. ſom. 1. li. 1. de moribus Eccleſiaſt. c. 24.

Iure merito ergo (vt fatus paulò ante aduertit Sanctus) ſalutis noſtræ Aſſertor ſuos in Euangelio adhortatur Diſcipulos, vt vigilijs per diligenter inſiſtant, & lumine cælitus ipſis affuſo vtantur non ſegniter, ne ratione Socordiæ pœnam luentes ſtabilitatem loci ſubire compellantur in tenebris. Eſt pariter Apoſtolis ſuaſio, vt nos ab omni eo, quod vitium olet, ſtu-

Digitized by Google

dioſè abſtineamus, eſto res parui momenti ſit: quia modica mali fermenti quantitas toti maſſæ acorem inſpergit. Sanctus poſtremò Anſelmus huius doctrinæ vim, vtpote experientia doctus, optimè habebat perſpectam. Illi itaque inſiſtens in hæc verba ad Monachos Ciſtertienſes perſcripſit.

D. Anſelmus. Epiſt. 6. ad Monachos Ciſtertienſes.

Certiſſimum namque eſt, quòd in multis Eccleſijs experimento didicimus: quia in Monaſterio, vbi minima diſtrictè cuſtodiuntur, ibi rigor Monachorum inuiolabilis manet, ibi pax inter Fratres, & in Capitulo conclamationes conquieſcunt, vbi verò minimi exceſſus negliguntur, ibi totus ordo paulatim diſſipatur, & deſtruitur. Compertum eſt, quòd, vbi modicorum habetur ratio, ibi rigor obſeruantiæ, & pax Fratres inter conferuntur, rumoreque conclamantium in capitulo aures non percellantur. E contra verò, ſi hæc cura langueſcat, ſi parua non curentur, & quod maioris perfectionis eſt, negligatur, tum totus ordo in confuſionem adducitur, ſplendor Religionum hebetatur, & ſenſim omnino deperditur.

§. & Conſilium XIV.

Pro diuerſitate culparum eſt Prælato vtendum diuerſis correptionum modis, pœnarumque irrogationibus.

IN varijs Sacræ Scripturæ locis inſtruimur, rem magni eſſe, vt in adminiſtranda iuſtitia nulli inferatur iniuria, ſed vnicuique tribuatur, quod ipſi iure debetur. Ex multis, ſat erit, ſi vnum ex Leuitico adduxerimus locum, in quo à Deo per hæc verba præcipitur. *Nolite facere iniquum aliquid in iudicio.* Et quia tempore illo generalis erat iſta præceptio, idcircò, vt meliùs caperetur à populo, in quibus rebus vellet Deus, vt nulli inferretur iniuria, nullis alijs interpoſitis adiunxit verba ſequentia, *Statera iuſta, & aqua ſint pondera.* Niſi enim in ſimilibus rebus, ad humanas negotiationes ſpectantibus iuſtitia obſeruetur, & æquitas, totus inter mortales ordo confunditur. Ex hoc documento morali nos iam argumentum conficimus, quo probare nobis eſt animus, quòd non ſolùm in humanis contractibus, ſed etiam inter culpas ex vna, & correptio-

Leuitici. 19. v. 35.

Ibidem v. 36.

Digitized by Google

reptiones, ac pœnas ex altera parte, ſua ſit ſeruanda proportio, ita vt menſuræ culpæ reſpondeat modus correptionis, ac pœnæ inflictionis. Et hoc docemur ipſo Deo Magiſtro, qui apud ſe menſuras, & pondera aſſeruat recondita, & congruenter ad ea diſpertitur bona ſua, & vniuerſa cum iuſtitia, ac debita proportione conſeruat. Et quia tolerantiæ ſpeculum Iob hoc ſatis compertum habebat, idcircò Deum ſuppliciter precabatur, vt culpas ſuas æquis ponderaret bilancibus, certus, quòd vnicuique non maiorem, quàm culpa meruiſſet, iniungeret pœnam, & nulla iniquitas in caſtigatione eius irreperet.

Appendat me in ſtatera iuſta, & ſciat Deus ſimplicitatem meam. *Iob. 31. v. 6.* Quamuis itaque leuium, & obuiarum paſſim culparum à Prælato non ſit prætermittenda monitio, vt ſupra iam dictum, conſultum tamen, & rationi conueniens eſt, vt diſcrimen aliquod faciat inter leues, & graues, ac inter illas iuxta, quæ maioris penſitationis ſunt dignæ, ſiue ex genere demum leuium, ſiue grauium ſint, non omnes, modum admonendi, atque exaggerandi quod attinet, faciendo æquales. Ita ſuadet nobis Gregorius Magnus his verbis. *Non enim tales eſſe debemus in minimis, quales in maximis.* *S. Gregor. li. 4. lib. 8. Regiſtri Epiſt. 16.* In correptione itaque culparum leuium, & grauium non idem vſurpandus eſt modus: veram enim prudentiam, qua Chriſtiani reguntur, longè abeſſe oportet à malè fundatis Stoicorum parilitatibus, omnia æqualia eſſe perperàm aſſerentibus, prout Diuus admonet Auguſtinus, cuius iſta ſunt verba: *Nec auſcultandum Stoicis, qui omnia paria eſſe contendunt.* *S. Auguſtin. tom. 4. lib. de mendacio ad Conſent. cap. 25.* Nobis autem contra eſt ſentiendum; aliàs enim præter cætera damna ſequeretur exinde, quòd ponderatio, & præter ſolitum acrior ſenſus, quem Prælatus aduersùs graues monſtraret noxas, non multùm procederent, modicamque operarentur impreſſionem. Aſſueti enim iam ſubditi tales frequentiùs culparum leuium audire exagerationes, hoc non tribuerent grauitati culpæ, ſed corripientis conditioni.

Ad confirmationem dictorum non abs re eſſe videtur, quod Leuitici 13. de lepra infectis definitum refertur. Vbi licèt Deus Sanciuerit, vt Sacerdotum foret officium, de taliter affectis iudicare hominibus, eoſque communis boni habita ratione ab aliorum ſeparare conſortio, pro maiore tamen cautela ſimul præcepit, vt non omnibus æqualia admouerentur remedia, ſed talia, quæ vniuſcuiuſque qualitas lepræ expoſceret; pro aliquibus enim ſat erat, eorum lauiſſe veſtes, pro alijs

per aliquot dies remanſiſſe incluſos, pro reliquis ratione lepræ in capite detectæ, & patentis eſſe penitus ſeparatos, vt ab ijs vnicuique ſibi cauere liceret. Si autem in ſuperficie corporis non niſi color verſus, & ſubobſcurus ſe proderet, nec ad partes introrſum latentes ſe penetraret, tum in hoc caſu mens Dei non erat, vt à Sacerdote lepra eſſe decideretur, ſed quædam duntaxat labecula; aliud idcircò niſi tale quid habens non reputaretur pro lepra infecto, nec tractaretur vt talis, ſed inſtar nitidi, licèt aliqua corporis labe notati. Verba Dei ſuper hæc diſponentis huius formæ fuere. *Vir, ſiue mulier, in cuius cute candor apparuerit, intuebitur eos Sacerdos, ſi deprehenderit ſubobſcurum alborem lucere in cute, ſciat non eſſe lepram, ſed maculam coloris candidi, & hominem mundum.* Qualis hoc loco eſt à Deo præſcriptus modus, pro iudicanda lepra corporis; talis eſt Prælatis ſeruandus in iudicio ferendo de lepra mentis; quamuis enim ſit ipſorum officium, monitiones facere, & cunctis ſubditorum ſuorum culpis, atque defectibus, magni, vel parui ſint, competens adhibere remedium, ex altera tamen parte, ipſis pariter incumbit diſcernere, quid culpa, quid noxa altioris indaginis, quid denique leue tantùm erratum, ſiue tſanſgreſſio, velut exteriùs duntaxat in cutis ſuperficie hærens lepra, quæ talis conditionis ſit, vt in eam non raró etiam virtutum culturæ non ſegniter incumbentes prolabantur. Quamuis autem etiam de eiuſmodi in genere morum minutia auertenda ſua ſit habenda cura, non tamen aliter, ac de vno tantumodo animæ næuo, qui non eſt index infirmitatis, cuius magna ſit habenda ratio; cùm etiam ſæpenumero reperiatur in magis ſoſpitibus, emaculatioribus, ac ſingulari præditis puritate.

Leuit. 13. v. 38.

§. & Conſilium II.

Qua ratione omni derogetur iuſtitiæ, dum parum æſtimatur, quod eorum eleuetur, vel omnino intercidat authoritas, quorum intereſt eam maximè tueri, & conſeruare.

QVi in maiore conſtitutus eſt dignitate Prælatus, pro certo habeat, & indubitanter credat, ſe maius damnum

bono

bono communi inferre non poſſe, quàm ſi per incogitatam culpationem, ac pœnæ irrogationem, eorum eleuet authoritatem, qui modo regendi bonum commune potiſſimùm tueri, & propugnare tenentur. Si enim non fulciantur ab illis, qui in omni re iuſta, & æqua eorum partes tenere, & pro ipſis ſtare tenerentur, tum neceſſaria conſecutione concluditur, quòd veritas, & iuſtitia patiatur pro modo, quo auxilio deſtituuntur, & deſeruntur ij, quorum officium eſt, protegere, & conſeruare iuſtitiam. Hoc magni momenti documentum noluit Deus eſſe Moyſi incognitum, idcircò eum admonuit, aduerteret illos ſeptuaginta ſenes, quos ei pro adminiſtris officij ſocios dederat, in ſubſidium eſſe, ad mutuò portandum onus gubernij populi ſui, & ſine eorum opera id propugnari, & ſuſtineri non poſſe, quod æquum, ac iuſtum, & ad bonum commune pertinens erat. Verba autem à Deo ad ipſum dicta huius tenoris erant. *Vt ſuſtentent tecum onus populi, & non tu ſolus graueris.* Prælatus itaque ad altiorem dignitatis euectus gradum, vt certum habeat, inferiores Rectores regularis diſciplinæ obſeruantiam bono Zelo, & prudenter tuentes, ac ſartam tectam præſtantes, muros ordinis eſſe, contra quos imperfectè, & laxè viuentes totum machinationum, & adinuentionum ſuarum ſuggeſtum tormentarium aduertunt, omneſque neruos ad præualendum contendunt. Si autem digniores Superiores, loco, quòd Rectores inferiores animoſos, & intrepidos reddere deberent, ipſos parui pendant, eorumque authoritatem imminuant, tum perinde eſt, ac ſi ille, qui alicuius arcis propugnandæ in ſe curam ſuſcepit, illum intrinſecùs muri tractum dirueret, qui maximè tormentis impeteretur, & impugnaretur: hoc enim faciendo operam conſociaret, vt ſuppetias ferret ipſiſmet hoſtibus, qui molirentur illam funditus euertere, ſoloque adæquare. Cùm ergo Spiritus Sanctus maiores Superiores nominet *Cuſtodes murorum*, quod eſt dicere, Excubitores, & Stationarios Eccleſiæ ſuæ: Muri autem eiuſdem ſint Prælati minorem poteſtatem habentes [vt ſuperiùs diximus] idcircò illorum officium eſt, hos protegere, & ab omni vi, vbi ratio poſtulat, tutos præſtare. Ita Deus cum Vate Ieremia ſe geſſerat, quando ipſum prædicatum, & ſuo increpationem populo factum miſerat horum cum verborum alloquio. *Dabo te populo huic in murum æreum fortem: & bellabunt aduersùm te, & non præualebunt:* quia

Num. 11. v. 17.

Cant. 5. v. 7.

Hierem. 15. v. 20.

Digitized by Google

quia ego tecum ſum, vt ſaluem te, & eruam te, dicit Dominus. In conſpectu populi huius te ſtatuam inſtar fortiſſimi ex ære fuſi muri, & licèt voluntati, legibuſque meis refractarij verſuri ſint cóntra te omnem machinarum ſuarum vim, in nulla tamen re aduersùm te præualebunt, nec deſtinata ſua perficient; quia ego indiuiduus lateri tuo aſſiſtam, te protegam, & indemnem præſtabo. Non poſſent Prælati maiores pro ſuis conſeruandis inſtitutis, & porta relaxationibus, atque abuſibus occludenda, meliora, & validiora munimenta erigere, quàm ſi perinde, ac Superiores inferiores dicant, ac faciant, ac ex præſcripto iuſtitiæ, atque prudentiæ, non ipſorum ſolùm, ſed etiam illorum partes teneant, qui obſeruantiæ zelo propugnant, & pro viribus ſtant ab eo, quod maioris perfectionis eſt. Incomparabilis ille Romanæ Eccleſiæ Præſul Gregorius Magnus vnà erudiens ſubditos, & Prælatos illis conſilio eſt, vt ſuos aduersùs Superiores non ea de cauſa obſeruantiam ponant, licèt conſpiciant, ſe aliquorum ratione defectuum ab eis reprehendi quandoque, Prælatos verò hortatur, ipſiſque perſpicuum facit, opus eſſe, vt in correptionibus ſuis ſint valde cauti, & moderati, habita ſemper ratione, ne occaſionem præbeant ſubditis, quà arrepta parui pendantur ab eis, vel omnem erga eos obſeruantiam penitus exuant, quæ tamen ad bonum eorum gubernium multò maximè expedit, atque conducit. Verba, quibus vir tantus ſuum hac ſuper re conſilium loquitur, ſunt talia. *Si autem magiſtrorum vita iure reprehenditur, oportet, vt eos ſubditi etiam cùm diſplicent, venerentur.* Quamuis itaque nonnunquam nobis videatur, Prælatos inferiores aliquam increpationem, pœnæque impoſitionem eſſe promeritos, non tamen eà de cauſa à ſubditis minoris ſunt æſtimandi, & honor eis non impendendus: hoc enim facere in magnum verteret ſubditorum damnum. Quamobrem quò onera, & obligationes inferiorum Superiorum ſunt numero plures, & difficultates in eorum regimine occurrentes maiores, eò magis ſunt commiſeratione, & rerum quas faciunt, benigna interpretatione digni. Non ergo ſine cauſa conſeſſus Patrum Tridenti huius oneris faciens mentionem, affirmat id tantum eſſe, vt etiam Angelicas mentes valeat terrore, & metu percellere. *Onus quippe Angelicis humeris formidandum.* Superiores verò aliqui maiores, minùs non rarò conſulti in vnum duorum extremorum proclinant; vel enim præproperè, & immediatè

S. Greg. to. 2. lib. 25. moral. c. 14. in fin.

Concil. Trid. ſeſſ. 6. c. 1. de reformat.

Digitized by Google

diatè credunt, quod à ſubditis de loci Superioribus ipſis refertur, talique relatu adducti, ipſos magis ſeuerè, quàm oportet, corripiunt, & pœnæ addicunt, vel è contra volentes in viſitationibus ſuis eos abſque cauſa defendere, flocci pendunt, quod contra ipſos defertur, licèt magni ſint res quandoque momenti, quod tamen ſi fiat, in magnum vergit damnum boni communis. Hæc itaque duo à digniore ſunt Prælato præcautè euitanda extrema, ita vt ex vna parte ſatisfactionem ſubditorum, & applauſum non quærat, qui paſſim lætitia geſtiunt, ſi inferiores certant Superiores bene correptos, & pœnæ ſubiectos. Ex altera verò parte ſingularem pariter curam intendat, ne rumpendæ amicitiæ metu plus æquo cum ipſis diſſimulet, & niſi hac in re magna cum integritate ſe gerat, tum hoc vltimum extremum maiori eſt periculo obnoxium primo: ipſo enim Diabolus vti conſueuit ad circumueniendos tales Prælatos, in hoc genus euentibus. Remedium autem iſtius duplicis mali pendet à veritatis, & iuſtitiæ zelo, quod Prælatus pro muneris ſui ratione præſtare tenetur, habita tamen ratione illius, quod in fauorem ipſi eſt dictum ſuperiorum minorum, eorum potiſſimè, qui cupidi ſunt, exactè omnes ſuas partes explendi.

§. & Conſilium XVI.

Prælati munus eſt, innocentes defendere, illoſque compeſcere, qui inſectantur ipſos iniurijs.

APud veræ Fidei lumine illuſtratos in comperto, & in confeſſo eſt, Supremi dignitatem Iudicis Deo naturæ iure competere, ad ipſum proinde ſpectat omnem iniuriæ, & offenſæ ſpeciem prohibere, & ſiqua committatur, digna pœna plectere. Hac veritate imbuti Diui Pauli conſilium eſt, vt de iniuriis nobis illatis noſmetipſos non vindicemus, ſed æquo, & modeſto feramus animo, diuino arbitro vindictæ executione commiſſa. *Non noſmetipſos defendentes chariſſimi, ſed date locum* Rom.12.v.19 *iræ*. Sibi enim ſoli vindictam reſeruat Deus, dum ore Vatis Regis ſic inquit. *Mihi vindicta, & Ego retribuam*. Quaſi dicere vellet,

Digitized by Google

vellet, vindicta mei iuris eſt, & ipſe ego factæ culpæ condignam pœnam infligam. Et quia Prælatus fungitur Vice Dei in terra, idcircò ipſum in hoc agendi modo imitari tenetur, vtì his verbis Paulus Apoſtolus iudicare videtur. *Non enim ſine cauſa gladium portat: Dei enim miniſter eſt, vindex in iram ei, qui malum agit*. Non fruſtra, & nequicquam eſt, quòd enſem dignitatis geſtet: datus eſt enim ei, vt tanquam miniſter iudicis vniuerſalis puniat iniurias, & culpa dignos, è contra verò defendat quietos, & inculpatos. Super quæ verba ſic Leo Papa ad Cæſarem ſcribit. *Debes Imperator incunctanter aduertere, tibi poteſtatem eſſe collatam, vt auſus nefarios comprimendo, & quæ ſunt bene ſtatuta defendas, & veram pacem his, quæ ſunt turbata, reſtituas*. Animaduertas velim, o Cæſar demandatam tibi eſſe dignitatem Imperij ad conſeruandas leges, & ſanctiones, & ad aſſerendam bonis pacem prauorum auſibus interturbatam.

Rom.13.v.4.

S.Leo Papa epiſt. 75. quæ eſt 3. ad Leonem Imp.

Si hoc Cæſar in tam lato Imperij ſui diſtrictu facere tenetur, quantò magis Prælato innocentes tutari incumbet? Cùm enim boni non defendant ſeipſos, vel quia non valent, vel quia non volunt; idcircò dignum eſt, hoc officio illi fungantur, qui ipſos ſub ſua habent tutela, cuiuſmodi decet eſſe Prælatos. Hac agendi ratione cum ſuis ſe vſurum pollicitus eſt Deus per Hieremiam Prophetam his verbis. *Iudicabit cauſam pauperis, & egeni in bonum ſuum*. Ius pro paupere dicet, & ſententiam pronuntiabit, in fauorem eiuſdem. In eandem ſententiam ſunt verba alia eiuſdem Prophetæ, quæ habentur, quinquageſimo capite, & ſunt talis tenoris. *Iudicio defendet cauſam eorum, vt exterreat terram, & commoueat habitatores Babylonis*. Vbi contendetur iudicio, ipſe Deus cauſam ſuorum aget ſeruorum, vt illis, qui perferre faciunt eos, factiſque audacibus pauore affligunt, terrorem incutiat, & eadem, quà innocentes afficiunt, confuſione compeſcat; hancque inſiſtendo viam rebus ad vnam æquabilitatem vitæ rectè ordinatam reductis perfectam pacem, & tranquilitatem ſtabiliat. Hoc itaque agendi, quo Deus in regimine ſuo vtitur, modo, impletur promiſſi fides Numerorum 10. his facti verbis. *Erit recordatio veſtri coram Domino Deo veſtro, vt eruamini de manibus inimicorum veſtrorum*. Memoriam veſtri habebit Deus, vt liberet, & indemnes vos præſtet ab inſectationibus aduerſariorum veſtrorum, ac mittet Angelum ſuum, qui erga eos, qui mentis ſummiſſæ ſunt, cuſtodis, & protectoris fungatur officio, quibus mali

Hier.22.v.16

Hier.50.v.34

Num.10.v.9

aduer-

Digitized by Google

aduerſantur, & iniuſtè eos affligunt. *Ecce Ego mittam Angelum meum, &c.* Liranus ſuper hunc ſcribens locum affirmat per Angelum, Prælatum bonum ſignificari, prout hæc eius verba teſtantur. *Per Angelum Domini Prælatus bonus ſecularis, vel regularis intelligitur.* Inde ſenſiſſe Vates Malachias videtur in hæc verba locutus. *Labia Sacerdotis cuſtodiunt ſcientiam, & legem ex ore eius requirent. Angelus enim Domini exercituum eſt.* Labiis Sacerdotis aſſeruatur ſcientia, & legem expoſcent ab ore eius, quod eſt dicere, Sacerdos, vel Prælatus pro cuſtode legis eſt conſtitutus: Angeli enim, ſiue interpretis Domini exercituum munere fungitur.

Exod. 23. v. 20.

Liranus ſuper hunc locum.

Malach. 2.

Hocce ergo officium erga innocuos præcipuè à Prælato eſt obeundum, vt hac ratione ſuum, cuius Vicarium tenet locum, æmuletur Dominum, ſibique Angeli tutelaris impoſitam ritè adminiſtret Prouinciam. Modum autem, quo à Prælato tali officio ſatisfieri deceat, à Chriſto Domino per Sanctum Ioannem Euangeliſtam ſub Paſtoris boni parabola edocemur, cui incumbit oues ſuas nunquam deſerere, ſed inſtar rei ſuæ, & ad ſe proximè pertinentis pro poſſe defendere, ſuccurrendo, & opem eis in omni re ferendo, qua indiguerint, ſiue eiuſmodi res ad corpus, ſiue ad animam pertineat.

Digitized by Google

DISCVRSVS DECIMVS.

Prælatis per quam maximè eſt neceſſaria praxis veræ prudentiæ, cuius opera ita ſe gerant, vt nec declinent ad dexteram, nec ad ſiniſtram.

§. & Conſilium I.

Maximopere Prælatis opus eſt ſcientia, & ſapientia Sanctorum, in quibus vera prudentia conſiſtit.

SI habeamus pro certo (vt omnino habendum) Sacram Præfecturam, animarum inſtitutionem, & directionem habere annexam, cuius ſcopus eſt, eas ad finem vitæ regulis perfectionis conformatæ prouehere, qui eſt bonum ordinis gratiæ in exercitio virtutum, & vera ſanctitate conſiſtens. Hoc, inquam, ſemel pro certo poſito, neceſſariò inde conſectarium eſt, quod vnius ſapienter, & fructuosè regentis Prælati officium ſit, Sacrum Magiſtrum, & inſtructorem agere, adeòque multùm opus habere vera ſcientia, & ſapientia Sanctorum, in qua vera prudentia Spiritus, & animæ vtilis humanarum actionum exercitatio conſiſtit, prout Sapiens his teſtatum nobis voluit verbis. *Scientia Sanctorum prudentia*. Cùm autem hæc ſcientia, ſiue prudentia ſit multùm ſublimis, lumenque naturale noſtri intellectus longè tranſcendens, idcircò pernaturales facultatis humanæ ratiocinationes comparari non poteſt, ſed eſt donum quoddam liberalitatis diuinæ purè gratuitum, quale (vt Scriptura refert) contulit Deus Patriarchæ Iacob, cùm ei ſcientiam Sanctorum eſt impertitus. *Dedit illi ſcientiam Sanctorum*. Integrum proinde non eſt, eam nanciſci viribus naturæ,

Prou.9.v.10.

Sap.10.v.10.

turæ, niſi munifica Dei manus eam gratuitò imperriat. Ex his argui poteſt, mutuæ communicationis indigentia, & neceſſaria connexio, quæ inter hanc veram ſapientiam, atque prudentiam ex vna, & animi modeſtiam ex altera parte neceſſe eſt, intercedat: cùm enim alius modus non extet, quo acquiri poſſint, niſi à Deo, conficitur inde, vt qui ſibi eas inſipienter arrogat, & attribuit, vanè ſibi perſuadens, ſe proprijs viribus eas conſequi poſſe, vel ob hoc ipſum eas deperdat, ac ſpolietur. Huius proinde farinæ hominum Iſaias ſiniſtram dolet vicem, & in hæc verba de ijſdem conqueritur. *Væ, qui Sapientes eſtis in oculis veſtris, & coram vobismetipſis prudentes.* O infelices vos, qui arbitratu veſtro ſapientes eſſe videmini! Haud dubium namque habebat Propheta, eiuſmodi homines tantò imparatiores ſapientiæ à Deo recipiendæ exiſtere, quantò magis propriæ eſſent adhærentes, ſibique complacentes in ea. Ex quo conſequitur, tales viros, ſint de cætero tam docti, ac eſſe poſſint, comparatos, & habiles non eſſe ad regendum: vana enim eorum, quam de propria habent ſapientia, expletio ingreſſum prohibet Sapientiæ, prudentiæque Diuinæ, ſine qua nihil omnino profici poteſt. Sanctus Gregorius Magnus huius vi rationis inductus ad Fortunatũ Epiſcopum Neapolitanum, qui certum habebat religioſum in Abbatem cuiuſdam Monaſterij promouendum, hæc in verba præſcripſit. *Sunt enim bona, quæ in eo placent; Sed hoc eſt in eo vehemens vitium, quòd valde ſibi eſſe Sapiens videatur, &c. Tua itaque Sanctitas circa eum inſtanter inuigilet, & ſi hunc cautum in regimine, & humilem in ſuo ſenſu fieri cognouerit, tunc eum ad Abbatis honorem Deo authore perducat, ſi verò minùs in humilitate proficit, eius ordinationem differat.* Patens eſt, & inficiatum ire non poſſum, ipſum bonas habere qualitates, & partes, in eo tamen ad regendum quod attinet, magnum animaduerti defectum, & eſt, quòd ſibi de ſua Sapientia, atque prudentia plus æquo complaceat. Quapropter Sanctitas veſtra curet ipſius animi ſenſu bene inſpicere, & quo ſpiritu ducatur ſolerter explorare, quem ſi aduertat prudentiam habere ad regendum, modeſtum eſſe animi, & vera ſui ipſius cognitione ſibi vileſcere, promoueat ipſum in Abbatem: Sin autem perſpiciat, eum in animi moderatione progreſſum non facere, non attollat ipſum ad talis officij gradum, ſed eius prouoget electionem.

Iſ. 5. v. 21.

S. Greg. lib. 7. Reg. epiſt. 91.

§. & Conſilium II.

Vbi inter varias prudentiæ ſpecies facta diſtinctione oſtenditur, illam eſſe veram, quàm hic ſtylo perſequimur.

VT meliùs percipi poſſit, in quo vera conſiſtat prudentia, ſeparare operæ pretium eſt inter prudentiam perſonatam, & ſpecie tenus ſolummodò talem, & tres alias prudentiæ ſpecies. Inter quas prima eſt fallax, & carnalis, quàm Apoſtolus mortem eſſe definit, quia vita gratiæ animam priuat. *Prudentia carnis mors eſt*. Hæc prudentia ponit ſuum vltimum finem in voluntatibus corporis, & carnis oblectamentis, alijſque temporalibus bonis (quæ ex mente Diui Thomæ) ſub bonis carnalibus comprehenduntur, valent hæc eius verba pro teſte. *Quia etiam exteriores res mundi appetimus propter carnem, ideò Apoſtolus totum comprehendit ſub prudentia carnis*. Hæc autem prudentia non in eo tantùm conſiſtit, quòd pluris faciat, atque præhabeat oblectamenta carnis veris virtutum bonis, ſed etiam in hoc, quòd norit congruenter diſponere, & aptas inire vias, ad complendas, & exſatiandas, ſuas effrænatas, & voluptuarias cupiditates, vſurpando omnes modos, aſtus, & rationes, quæ vſui eſſe poſſunt, vt ad finem præconceptæ, & firmiter apud ſe ſtatutæ voluptatis perfruendæ pertingere poſſit.

Ro.8.v.6.

D.Tho. 1. 2. q. 55. art. 1. ad 3.

Altera prudentia eſt purè naturalis, qualem habuere Plato, Seneca, & alij facultatem philoſophicam profeſſi. Hæc oculos intendit in finem hominis naturalem, qui eſt viuere ſecundum rationem, ad aſſequendum bonum aliquod naturale tantùm, & quia ex natura ſua non collineat ad bonum ſupernaturale, & diuinum, quod eſt vltimus hominis finis, idcircò eſt prudentia duntaxat imperfecta, quo nomine appellat Diuus Thomas omnes etiam virtutes purè naturales, de quibus affirmat, ſibi ſolis relictas non ſemper ſufficientes eſſe ad peruehendum hominem ad finem naturalem: quia etiam dum inſunt, & inhærent animæ, eam tamen quandoque non retinent, quò minùs permittat ſe abripi paſſionum impetu, & in magnas diſconuenientias præcipitem dari.

D.Tho. in diſp. 9. vnica de virt. art. 10. ad 1. & 14.

Ter-

Digitized by Google

Tertia prudentia eſt ſupernaturalis, & dininitus collata, quàm vocat Apoſtolus prudentiam ſpiritus, eamque in hæc verba deſcribit. *Prudentia ſpiritus vita, & pax*. Hæc nobiliſſima virtus verâm vitam, & pacem animæ confert: ipſa enim eſt moderatrix, & rectrix omnium virtutum moralium, ſuamque ipſis conſociat operam ad actus ſupernaturales eliciendos, quibus viuunt animæ vita incorporea, pacata, atque (vt Theologis placet loqui) participatiuè diuina, qua Ieſu Chriſto conformes, viua eiuſdem membra, verique filij efficimur. *Ad Ro.8.v.6*

Differt autem hæc præclara prudentia non à prudentia carnis ſolummodò, quæ (vt vidimus) praua, & vitioſa eſt, verùm etiam à prudentia naturali, ſiue obiectum proprium ſpectes, ſiue finem, in quem tendit, peculiarem. Hanc ſententiam tradit Doctor Angelicus, dum diſtinctionem pertractat, quæ inter virtutes purè naturales ex vna, & ſupernaturales, atque infuſas ex parte altera intercedit; obiecto enim prudentiæ naturalis ſtatuitur modus à regula rationis humanæ tantùm, obiectum autem prudentiæ ſupergredientis naturam, moderatur per regulam legis Euangelicæ, atque diuinæ, ex eiuſdem Diui Thomæ opinameeto, exemplum in virtute temperantiæ afferentis, cui hæc prudentia moderatur. In hunc ergo modum hac ſuper re Diuus Thomas philoſophatur. *In ſumptione ciborum ratione humana modus ſtatuitur, vt non noccat valetudini corporis, neque impediat rationis actum, ſecundùm autem regulam legis diuinæ requiritur, quòd homo caſtiget corpus ſuum, & in ſeruitutem redigat per abſtinentiam cibi, & potus, & aliorum huiuſmodi. Vnde manifeſtum eſt, quòd temperantia infuſa, & acquiſita differant ſpecie, & eadem ratio eſt de alys virtutibus*. Ex mente itaque eximij huius Doctoris menſura, & modus, quem humana prudentia cibo, & potui ad obiectum temperantiæ pertinentibus præſcribit, eſt, quod ea moderatione ſumantur, vt nocumentum non afferant ſanitati corporis, nec vſum rationis impediant. Regula autem legis diuinæ, & prudentiæ ſpiritus exigit, vt homo caſtiget, corpuſque ſuum rigidè habeat, ac per abſtinentiam cibi, & potus, aliarumque rerum ſimilium, animi ſui motus rationi Superiori, & Deo ſubiectas efficiat. Quamobrem in propatulo eſt, temperantiam ſupernaturalem, & naturalem, vel acquiſitam differre ſpecie per obiecta earum (vt vocãt) formalia, quæ ſunt modi diuerſi à nobis paulò antè commemorati. Eadem militat ratio, ſi de

D.Tho. 1.2. q.63.art.4.in comment. ad Ro.8.v.6

alijs

aliis loqui velimus virtutibus. Differunt præterea prudentia naturalis, & ſupernaturalis per hoc, quòd prudentia naturalis alium finem non habeat, quàm inter homines vitam ducere politicam, atque pacatam, quoad dictat, atque præſcribit lumen rationis naturalis, taliſque vitæ actio eſt finis hominis intra ordinem ſiſtens naturalem. Prudentia verò ſupernaturalis, & abſolutè talis, quæ fundatur in fide, & ſupernaturalibus regitur rationibus, habet finem ſupernaturalem, & diuinum, qui eſt, opera ſanctæ, quàm in conſpectu Dei ducimus, vitæ, nos adſcribere Ciues ſupernæ Ieruſalem, vtì iam tertiùm adductus Doctor affirmat, allegans verba Dini Pauli ita loquentis. *Iam non eſtis hoſpites, & aduenæ, ſed eſtis Ciues Sanctorum, &*
Eph.2. v.19. *Domeſtici Dei*. Non eſtis amplius diuerſores peregrini, atque proſelyti, ſed incorporati Societati Sanctorum, & incolæ domus Dei, Hæc, qua de agimus, prudentia perficit virtutes alias, & per actionem huius perfectionis excolit poſſeſſorem earum, vt doctus euadat ad ſe, & alios bene regendos, & moderandos. Ad cuius rei probationem ſatis argumenti eſſe videtur illa coronati Prophetæ Sapiens inſtitutio, qua ante ſuum ex hac vita exitum erudiuit filium ſuum Salomonem, qui in Regni adminiſtratione ſuccedere ipſi debebat. Poſtquam enim illi à Deo prudentiam, & rectam iudicia faciendi flagitauerat rationem, quibus obtentis, idoneus redderetur ad Iſraeliticum populum bene regendum, legemque diuinam perfectè obſeruandam, tum eundem etiam certum reddidit, quòd ſibi, & aliis in arte regendi vſui foret, ſi præcepta ad mores, & iudicia attinentia, & à Deo Moyſi impoſita debitè cuſtodiret, eorumque impletione, & actibus pro ſuo priuato, & aliorum vteretur gubernio. Verba Regij Patris Filium inſtituentis hæc erant, *Det tibi Dominus prudentiam, & ſenſum,*
1.Paral.c.22. v.12. *vt regere poſſis Iſrael, & cuſtodire legem Domini Dei tui. Tunc enim proficere poteris, ſi cuſtodieris mandata, & iudicia, quæ præcepit Dominus Moyſi.*

Cùm Chriſtus Dominus ad publicandam mundo Euangelij legem ſuos ablegaret Apoſtolos, ipſiſque diceret, ſe eos mittere, vt agnos inter lupos, primùm, quod eis, vt ſibi præfixum attingerent ſcopum, & res in tanto negotio ex ſententia fluerent, commendatum voluit, fuit ſerpentum prudentia. *Ecce ego mitto vos ſicut oues in medio luporum. Eſtote ergo prudentes,*
Matth.10. v.16. *ſicut ſerpentes, & ſimplices ſicut columbæ*. Qualis autem ſit hæc pru-

Digitized by Google

prudentia, quàm Magiſter Cœleſtis ſuis Apoſtolis, atque Diſcipulis,& per eos cunctis Eccleſiæ Prælatis ita ſeriò commendauit, exponit nobis Diuus Hieronymus ſuper hunc locum in hæc verba ſcribens. *Serpentis aſtutia ponitur in exemplum: quia ex toto corpore occultat caput, & illud, in quo vita eſt, protegit. Ita & nos toto periculo corporis, caput noſtrum, qui Chriſtus eſt, cuſtodiamus.* Sententiæ ergo Doctoris Dalmatia oriundi inſiſtendo, conſiſtit hæc prudentia in capitis noſtri, qui Chriſtus Ieſus eſt, tuitione, & propugnatione, quam tum executioni mandamus, ſi in noſtri, aliorumque regimine, Euangelij documenta, atque conſilia, in quibus veræ vitæ ratio traditur, obſeruemus, etiamſi hoc fieri à nobis non poſſet, ſine magno noſtri ipſorum periculo, ac priuato aliquo detrimento. Quemadmodum etiam facultas, influxus, ac ſpiritus, quibus huic Sacratiſſimo capiti coniungimur, in eo vertantur, quòd vitam ab hoc capite in nos deriuatam catenùs conſeruemus, quatenus ſimplicitate quadam columbina doctrinam eius defendimus, & opere complemus. Hæc prudentia ſpiritus, quàm Chriſtianam vocamus, eſt propriè loquendo prudentia, & ſapientia iuſtorum, in qua vera ſcientia Sanctorum imbibitur; eius namque opera Sancti veram ſibi comparant ſanctimoniam vitæ, omnemque vitioſam deuitant extremitatem, vti ex his Diui Baſilij verbis colligi poteſt. *Hanc prudentiam, ſi quis ritè ſectatus fuerit nunquam ab officio, virtuteque abſcedet, nunquam vitiorum peſtem incurret.* Qui modo debito huius inſiſtet vias prudentiæ, non inficietur vitiorum contagio; ſemper enim id aget, quod virtus, & annexa virtuti obligatio poſtulant, atque præſcribunt. Hæc eſt, quæ non ſolùm virtutes morales, ſed etiam Theologicas regit, eaſque ad agendum, ex ſupernaturali, & diuino incitamento inducit. Non ſine cauſa ergo Diuus Bernardus in hunc modum eius laudes ſub nomine diſcretionis depingit. *Diſcretio omni virtuti ordinem ponit, ordo modum tribuit, & decorem, etiam & perpetuitatem. Eſt ergo diſcretio non tam virtus, quàm quadam moderatrix, & auriga virtutum, ordinatrixque affectuum, & morum doctrix.* Hæc circumſpicientiæ, ſiue diſpectus virtus ordinem, modum, condecentiam, conſtantiamque virtutibus tribuit, atque impertit, & non tam virtus eſt, quàm gubernatrix, & moderatrix virtutum. Ipſa affectus in debitum redigit ordinem, bonorum proinde morum Magiſtra eſt, ſemperque aduertit oculum ad bene-

D. Hieron. in hunc loc.

S. Baſil. ho. 12 ad popul. quæ vir. argum. inſcribitur in princ. Prou.

D. Bern. ſer 49. in cant. poſt med.

beneplacitum Dei, & ad executionem voluntatis diuinæ. Ea propter Apoſtolus tanto deſiderio tenebatur videndi nos ea inſtructos, atque ditatos, quòd ex his eius verbis inclaret. *Nolite fieri imprudentes, ſed intelligentes, quæ ſit voluntas Dei.* Nolitote vos incogitantiæ tradere, ſed omnem, quoad fieri poteſt, operam ponite ad diſcernendum, quæ ſit voluntas Dei. In hunc finem hæc nunquam ſatis laudanda virtus conſiliatrices adhibet in conſilium Sacras Scripturas, iuxtà illud Dauidicum. *Conſilium meum iuſtificationes tuæ.* Præ cæteris autem Sacræ Scripturæ dogmatibus, in conſilium vocat Euangelium Redemptoris Noſtri Ieſu Chriſti, doctrinamque Sacrorum Eccleſiæ Doctorum, virorum Sapientum, & in aſceticis apprimè exercitorum. Eadem in rebus dubijs docet nos ab alijs conſilia capeſſere, præſertim verò à Prælatis, & vſu regiminis bene exercitatis, certos nos faciens, quòd ſi eorum ſequamur monita, in errorem nos inducere non poſſimus. Præclarè ergo in rem noſtram Caſſianus ſic loquitur. *Nullatenus decipi poterit, ſi quis non ſuo, ſed maiorum viuat exemplo.* In errorem induci non poteſt, qui paret, & ſequitur Scita, & præſcripta, Maiorum, ſuoque proprio non regitur arbitratu. Ex quo autem fonte, primitus hæc exiſtat prudentia, Ipſe Spiritus Sanctus in Prouerbijs nos docet his verbis. *Ex ore eius prudentia, & ſcientia.* Viri piæ vitæ vacantes comparant ſibi veram ſcientiam, atque prudentiam opera frequentis communicationis cum Deo: viribus enim humanis acquiri non poteſt. Opus proinde eſt, eam indeſinenter, & indefeſſo orationis ſtudio flagitare à Deo, cuius eſt dona talia elargiri. Non ergo errauit à Scopo Caſſianus, dum aſſeruit, hanc non mediocrem eſſe virtutem, neque ex illis vnam, quæ ſine peculiari, & larga Spiritus Sancti gratia, per ſolam humanam induſtriam acquiri poſſunt. Verba eius propria pro huius rei teſte vobis produco, hac loquendi forma conſtantia. *Eſt diſcretio non mediocris quædam virtus, nec quæ humana valeat induſtria comprehendi, niſi diuina fuerit largitate collata.* Cùm itaque ex dictis pro certo habendum ſit, hoc eſſe adeò ſpeciale donum Dei, idcircò ſi illud indipiſci expetimus, pro eo apud Deum iugibus precibus nobis eſt inſiſtendum. Huc inter alia Chriſtus Dominus reſpexiſſe videtur, dum nobis indixit, ſemper eſſe orandum. Hanc tanti faciendam prudentiæ virtutem comitatur donum conſilij, interuentu cuius, plenum in animam Deus obtinet dominatum,

Epheſ. 5. v. 17

Pſal. 118.

Caſſian. coll. 2 c. 10.

Prou. 2. v. 6.

Vbi ſupra.

Digitized by Google

natum, eamque molliter adornat, vt leniter, & facilè, quocunque ductor voluerit, ſe duci permittat. Quod cauſæ eſt, vt hæc prudentia nuncupetur diuina, non eatenùs tantùm, quòd Deus eam animæ indat, inditamque conſeruet, ſed ea etiam ratione, quòd animam opera conſilij expoliat, beneque comparatam relinquat ad promptè capeſſendam inſtructionem ſequendamque motionem diuinam in ijs omnibus, quæ Deus eam docuerit, provt Diuus Thomas eſt auctor. Ad extremum perfecta in mandatis Dei exequendis fidelitas, & timor erga Deum, qui filiorum proprius eſt, conuentum faciunt in ijs, qui tali prudentia ſunt dotati. Verumtamen eſt rara auis in terris. Inueniuntur namque bene aliqui, qui ſint fideles, & timentes Deum, prudentiaque naturali, & humana exculti; ſed non ita promptum eſt, nonneminem inuenire, qui ſit fidelis, & iuxta prudentia inclareſcat diuinitus data, provt teſtatur auctor operis imperfecti ſuper Matthæum his verbis. *Fidelis ſeruus, & prudens, vt rem laudabilem, ſed rariſſimam proponit, vt quis fidelis inueniatur, & prudens? Ecce ſi quæras fideles, ideſt, Deum timentes, & ipſos quidem non multos inuenies, tamen adhuc facilè inuenies. Idem, ſi prudentes quæras, inuenies multos. Fidelis autem, & prudens, difficilè inueniatur.*

D. Tho. 2.2. q.52.art.2.

Auctor op.imper.hom.52.

Hæc prudentia in magnarum, quæ rationem, & prudentiam naturalem ſupergrediuntur, difficultatum medio poſita ſecurè à Deo operitur auxilium, quo freta gaudent bonorum Prælatorum corda, & generoſa fiunt, ad eas aggrediendas, & ad non eximendos vani timoris cauſa ſubditos ab auſteritatibus vitæ, eorum inſtituto congruis, & à Deo, vt in ipſis ſe exercerent, in bonum ipſorum paternè deſtinatis, perinde ac Pater æternus vitæ rigore ſuum proprium filium non exemit, nec diſcipulos eius, quibus cùm prædixiſſet Chriſtus, quantum tolerandum haberent, adiunxit, ſe ipſos mittere ad tolerantiam paſſionum, ſicut Pater æternus ſe miſerat ad finem eundem. *Sicut miſit me Pater, & ego mitto vos.* Propter quod hæc prudentia adeò excellens ſedem ſuam figere non poteſt, niſi in illo, qui habet paſſiones ſuas domitas, & rationi ſubiectas, quarum licentia, ſi permittatur, obnubilat intellectum, vt in euentibus rerum rectum iudicium formare non poſſit. Ariſtoteles hoc ita ſe habere non ignorauit, idcircò aſſeruit, immoderata lætitia, & mæſtitudine animi prudentiæ peruerti iudicium, verba aſſertionis eius ſunt talia. *Delectabile, & triſte* per-

Io.20.v.21.

Ariſt.6. Eth.

Digitized by Google

peruertit æſtimationem prudentiæ. Si verò hoc veriſimile ſit, vbi eſt de prudentia naturali, de quali Philoſophus loquitur, potiore ratione hoc verum erit de prudentia ordinis ſupernaturalis, cui proprium eſt præferre ſemper ſacra profanis, pericula, & damna animæ damnis corporis, bonum commune bono priuato. Ad exemplum Turonenſis Antiſtiris non recuſat laborem, ſed è contra eius parœmia eſt, ſine labore nil fieri, aut perfici poſſe iuxta illud vulgare, *Dÿ laboribus omnia vendunt*. Flocci pendit futiles, fucatas, ac naturales ſolummodo rationes, de quibus perſpectum habet, quòd ad altiores Euangelij Ieſu Chriſti fines ſe non extendant, taliſque conditionis ſint, vt magno in pretio, ſed non ſine proprio detrimento habeantur ab ijs, qui luce diuina illuſtratum non habent intellectum.

Hæc eò dicta ſint, vt Prælati non incurioſè animaduertant, prudentiam carnis frequenter ſe transformare in prudentiam ſpiritus, huiuſque perſonam induere, neceſſitatis, & virtutis pallio laruatam. Et licèt hoc communiter non contingat in illis, qui ſuum ſibi cordi habent profectum, negari tamen non poteſt, prudentiam purè naturalem, & imperfectam in more habere, ſe permiſcendi cum vera, atque perfecta prudentia ſpiritus, huius aſſumendo nomen, & rectorem inducendo, vt frequentiùs vtatur illa pro iſta. Quo fit, vt ordinibus ad magnam præcipuè perfectionem aſpirantibus non parua, nec leuia inferantur damna, atque diſpendia perfectioni, & prudentiæ Euangelicæ, è diametro contraria, dum religioſi eorumque capita ſola prudentia naturali, & philoſophica gubernantur, & diriguntur: quia, cum hæc ſit ordinis inferioris, & purè naturalis, non poteſt concordare in fine cum gubernio ſupernaturali, & diuino, quo cœtus ſimiles conuenit, gubernentur. Quandiu ergo in irrequietam non incumbitur curam ſuſtollendi, & perficiendi rationem naturalem ope luminis ſupernaturalis fidei, Euangelicæque conſilijs Doctrinæ (quæ ex diui Bernardi effato) perfectæ ſunt ſeminarium prudentiæ: *Cuius doctrina* (puta Euangelij) *Seminarium prudentiæ*, & lapis Balſamites, quo periclitantur ſana ſenſa, & dogmata, doctrinæ tutæ, vtileſque præceptiones. Quandiu, inquam, hoc, quod dixi, non ſit, integrum non eſt, vt inſtituta illa, in quibus de perfecta vita ſeriò agitur, ſingulatiſque homines educandi perfectos cura impenditur, bene gubernentur. Ex quo fit,

D. Bernardi ſer. 22. in Cantic.

ſit, vt in ſacræ præfecturæ regimine magni committantur errores, & hoc ex defectu luminis, animi, firmique propoſiti ardua aggrediendi; labores alicuius conſiderantiæ exantlandi, & quæ inacceſſibiles videntur difficultates perfectæ abnegationis ſui exercitio ad hoc non ſegniter aſſumpto, ſuperandi. Tantum hoc malum inde ſuam trahit originem, quòd permittamus nos duci, & regi prudentia, & ratione purè naturali. Non ſine cauſa ergo conſulit nobis ſapiens, ne plus æquo propriæ inſiſtamus prudentiæ. *Ne innitaris prudentiæ tuæ.* Idem Apoſtolus ſuadet, dum inquit. *Nolite eſſe prudentes apud voſmetipſos.* Cauete, ne complaceatis vobis in prudentia veſtra. Hoc in loco ſine obſeruatu prætereundum non iudico, quod, cùm huius prudentiæ regulæ, & agendi normæ ſint tam in ſubſtantia, quàm modò naturales, adeòque noſtro naturali intelligendi, & appetendi modo admodum conſentaneæ, idcircò clareat, eas magnam hominem attrahendi, ſeque eum prudentia ſpiritus commiſcendi habere efficaciam.

Prouerb. 3. v. 5.
ad Rom. 12. v. 16.

Ex quo infertur, Prælato perneceſſariam eſſe aſſiduam cum Deo in oratione conſuetudinem, atque communionem: ipſe enim vnicus eſt, qui noſtrum intelligendi modum perficit, attollendo ipſum ad modum intelligendi diuinum, & in ſacris reuelatam codicibus. Congruenter ad hanc doctrinam ita firmam loquendo, aſſerendum eſt, quòd qui non enixè ſe impendit orationis exercitio, pro certo habere poſſit, ſe nunquam veram prudentiam indepturum, nec vnquam habilem euaſarum ad Religioſas animas in via virtutis dirigendas. Non mirum ergo, quod vertex Apoſtolorum exoptet, vt conuerſationem cum Deo in oratione, cùm perfecta prudentia copulemus; ſic enim inquit. *Eſtote prudentes, & vigilate in orationibus.* Prælatus ergo, qui hanc agendi viam in regimine ſuo inſtiterit, non ſolùm malè fundata opinamenta, & perperam effata pernoſcet, ſed ſciet etiam loco, & tempore ipſis efficax admouere remedium.

1. Petri 4. v. 7
Ioann. 7. 2. 16

Modum itaque ſentiendi, & loquendi tenendum à Prælato quod attinet continendum, eſt ipſi ſua ſenſa relinquere, vt ſequatur, ſeque conformet placitis Dei, omnem ponendo operam, vt ſua doctrina, & imperia initium ſumant à Deo ter optimo maximo, corporati vſurpando verba verbi, queis dixit: *Mea doctrina non eſt mea, ſed eius, qui miſit me.*

Digitized by Google

§. & Conſilium. III.

Cauſa redditur, quare paſſim omnes multam animi expletionem capiamus ex noſtra prudentia.

SIcut arriſio rerum naſcitur à bonitate, quæ in ipſis cognoſcitur, ita diſplicentia earum gignitur ab imperfectione, quæ in ipſis aduertitur, & hoc in cauſa eſt; quòd cunctis hominibus ſit innatum complacere ſibi in ſenſu ſuo, propriæque rationis, atque prudentiæ iudicio: propria namque ratio eſt prima regula, & amuſſis, qua cætera omnia dimetiuntur, quare in homine nihil excellentius, & æſtimatione dignius reperitur. Admodum proinde operoſum, atque difficile eſt, proprij ſenſus iudicij, & rationis vitium poſſe cognoſcere, ſatiſque perſpectum habere, & hoc ex duplici capite. Primò quidem, quia ad hoc cognoſcendum, alia, qua deficiuntur, indigent regula. Deinde, quia, cùm natura humana ſit tumida, & elatos gerat Spiritus, non leuem patitur difficultatem ab alio aliquid commodato petendi, & fatendi ſe alterius ope indigam eſſe. Veriſſimum proinde eſt Diui Bernardi effatum in hæc verba loquentis. *Lepra proprij Conſilij eò pernicioſior eſt, quò magis occulta: & quantò plus abundat, tantò ſibi quiſque ſanior eſſe videtur.* Lepra proprij iudicij eſt nocentior, quàm lepra propriæ voluntatis; promptius enim eſt cognoſcere vitium voluntatis, quàm vitium intellectus, ideoque illius, quàm huius facilior eſt curatio; lepra enim proprij iudicij tantò eſt à Sanctione remotior, quantò occultior: quia eſt malum inhærens ipſi facultati videndi. Quo fit, vt eo laborans tantò ſe ſaniorem reputet, quantò grandius ipſius iam factum eſt malum.

D. Bernar. ſer. 3. de Reſur. in med.

Si poſtmodum feruor, & Zelus in ſpeciem voluntati ſuperueniat, tum talis vir omnino oculis capitur: quia illo ipſo, ad quod tenaci ſtudio afficitur, bono ſecurus redditur, & in ſatisfactione propriæ prudentiæ taliter confirmatur, vt apud ipſum locum non inueniat, nec matura de rei veritate inquiſitio, nec ſupernæ lucis comprecatio, nec alterius cuiuſcunque bonum conſilium, aut ſuaſio. Apoſtolus itaque, vt nobis præcaueat à tanto malo, ſuadelæ eſt nobis, ne ſimus ad hunc modum apud noſmetipſos prudentes, ſed intento in oratione ani-

Digitized by Google

animo ſcrutantes Sacrarum litterarum, Sanctorumque Patrum documenta, ac verſatorum, prudentumque virorum conſilia corrigamus, & perpoliamus noſtrum ſapere, atque iudicium, quod ferè ſemper periculo exponitur, præſertim ſi de propria æſtimatione, & ſatisfactione res agatur.

§. & Conſilium IV.

Quantùm conferat ſponte ſuſcepta corporis afflictatio ad veram prudentiam Spiritus acquirendam.

PRo certo habeat Prælatus, ac quicunque alius, ſe tamdiu non adepturum veram prudentiam, quamdiu corporali exercitatione (vt phraſe Apoſtoli loquar) ſuum ſibi non ſubiugauerit corpus, propriaſque non domauerit paſſiones; Cùm enim prudentia ſpiritus, & prudentia carnis diuerſos ſpectent, & colliment ad fines, quarum vna maiore loco, & pretio habet illa bona, quæ ſpectant ad animam; alia è contra præferat bona ad corpus ſpectantia, prout his verbis affirmat Paulus Apoſtolus. *Qui ſecundùm carnem ſunt, quæ carnis ſunt, ſapiunt, qui verò ſecundùm ſpiritum ſunt, quæ ſunt ſpiritus ſentiunt.* *Ad Tom. 8. v. 5.* Cùm, inquam, hæ duæ prudentiæ (vt modo viſum eſt) tam diſcrepantes reſpiciant fines, neceſſariò conſectarium eſt, etiam media, quæ ad tam inæquales perducunt fines, ſibi inuicem repugnare, & aduerſantia eſſe. Ex quibus proinde legitima conſecutione deducitur, prudentiæ ſpiritus, quæ pro primario fine habet bonum ſpectans ad animam, officium eſſe, moderari appetentijs, paſſionibus, & affectibus voluntatis, ne ſe abduci permittant ad obiecta ſenſu perceptibilia, & oblectamenta creantia, ad quæ ſenſus, & prudentia carnis tota auiditate propendent, atque contendunt. Et quia inter hos motus primarium obtinet locum imperium efficax, quo media deducuntur ad opus, de quibus conſilium habitum, & delectus eſt factus, idcircò oportet, vt pro modo, quo prudentia ſpiritus aliquid ex animo obtinere intendit, eadem proportione in executione ponatur abnegatio paſſionum, corporiſque, & ſenſuum coercitio: ſequi enim opinamenta, & imperia vnius ex his prudentijs, aliud non eſt, quàm nuntium mittere, & contraire placitis, & imperatis alterius, quæ ſemper

per

Digitized by Google

S. Bernar. de deligendo Deo. per maleſuada eſt: quia teſte Diuo Bernardo *caro nihil ſapere valet, quàm ſe*. Caro nigil expetit, & inquirit, quàm ſenſuum volupe, propriumque compendium, atque emolumentum.

§. & Conſilium V.

Multum momenti affert ad bonum prudentiæ vſum Conſilium virorum expertorum, rerum ſuarum minimè ſtudioſorum, proprijſque commodis intactorum.

POſteaquam Prælatus rem faciendam precibus Deò commendauit, ſiqua occurrant, quæ ipſi dubium ingerant, tum curet ſuper ijs cum aliquo religioſo conferre, qui ſit vnus ex magis in tali caſu verſatis, & ab omni proprio commodo alienis, eiuſque, quoad fieri poteſt, vtatur conſilio. Hac enim efficacior iniri non poteſt ratio ad euitandum, ne in eiuſmodi euentibus aliquis contingat error, aut defectus. Pro certo proinde perſuadeat ſibi Prælatus, neminem inter mortales eſſe, ſit demum tam ſagax, prouidus, & expertus, ac eſſe poſſit, qui non paucis in caſibus alieno non indigeat conſilio, & haud exiguam ſapientiam eſſe, ſi modum bene quis calleat ab alijs capeſſendi conſilium, vt conſtat ex hoc Salamonis effato *Qui ſapiens eſt, audit conſilia*. Qui ſapit, præbet aures danti conſilium. Et quamuis hæc doctrina ſit communis pro omnibus, ea tamen illis potiſſimùm eſt vtendum, qui ſe, & alios moderari ex muneris ratione tenentur, quantacunque demum inclareſcant prudentia. Non ſine cauſa ergo Bizantini Præſulis aſſertum eſt, neminem eſſe, cui non opus ſit, ab alijs conſilium poſcere, eſto ita prudens, & perfectus exiſtat, vt cum Moyſe, qui artem regendi Deo præceptore didicerat, æquiparari poſſit. Si propria eius verba velitis, hæc eſſe ſcitote. *Conſiliarijs omnes opus habent, etiamſi Moyſi conferri poſſint*. In pari ſententia etiam Diuus Bonauentura eſſe videtur, dum magna mala, quæ ex non petitione Conſilij, magna ſimiliter bona, quæ ex eiuſdem petitione exiſtunt, commemorat, ſuumque relatum his contexit ex verbis. *Inter omnes autem tentationes videtur iſta periculoſior cuique Chriſtiano, ſcilicet, proprio ſenſui*

Prouerb. 12. v. 15.

S. Chriſoſt. hom. 9. de laud. Pauli.

S. Iſidor. lib. 3. ſent. c. 36.

nimis

Digitized by Google

nimis inniti. Cùm enim nemo reperiatur ita perſpicacis intelligentiæ, quin poſſit in aliquibus falli, qui hoc totum, & ſolum reputat iuſtum, quod ipſe ſenſerit, aſtuto aduerſario ad varias ſeductiones ſub ſpecie boni liberum aditum pandit. Et infra. Vnde cautum eſt ſemper Rectori, conſilia libenter audire, & humiliter quærere. Et in hoc triplex vtilitas conſiſtit: Primò, ſi alij idem ſentiunt, quod & ipſe, ſecurior eſt, quod non decipitur. Secundò, quidquid fecerit cum prudentium conſilio, ſi aliquid inde euenerit contrarij, minùs ei poterit imputari, quàm ſi de ſuo tantùm ſenſu id feciſſet. Tertiò, quod ſæpe merito humilitatis talis, Deus det ei agnoſcere per ſe; vel per alium, quod ante intellexit. Hinc Moyſes, cui Deus facie ad faciem loquebatur, conſilium Ietro Soceri ſui gratum habuit, & ſeruauit. Inter tentationes pro vno Chriſtiano periculo magis obnoxias illa cenſenda eſt, ſiquis proprio nimis fidat iudicio: nemo enim hominum datur in mundo, qui non quandoque decipiatur in ferendo de bonitate alicuius rei iudicio. Ex quo fit, vt ille, qui per ſe ſolum rem aliquam iudicat eſſe bonam, viam Diabolo adaperiat, & anſam præbeat ad ſe ſub ſpecie boni decipiendum, qui verò cum omni ſummiſſione animi apud ſe ſtatuit ab alijs poſtulare conſilium, extra hoc ſe ponit diſcrimen, & triplex inde bonum conſequitur. Primum eſt, quia ſi alij cum ipſo eiuſdem ſint ſententiæ, tum erit à deceptione magis ſecurus. Deinde ſi aliorum ſequendo opinamentum aliquem committat defectum, tum erit minùs culpæ obnoxius. Poſtremò in ſuæ animi modeſtiæ præmium Deus ipſi concedet lumen, quo cognoſcat, quòd priùs acie mentis ſuæ expedire non poterat. Moyſes quocum Deus facie ad faciem loquebatur, hoc nixus principio æquis auribus excepit, & petijt à Ietro ſocero ſuo conſilium, & optimum ab ipſo eſt conſecutus. Super hos porrò, quos diximus, adiungi poteſt adhuc alius fructus, quem cum alijs collatio, & conſultatio ſi fiant, poſt ſe relinquunt, & eſt, quod incrementum capiat, & magis perficiatur noſtræ intelligentiæ modus.

S. Bonau. de ſex alis Seraph. c. 7. in fin.

S. &

Digitized by Google

§. & Conſilium VI.

Vt res difficiles, & non exiguæ perfectionis ex ſententia ſuccedant, nihil eſt tutius, quàm illorum ſequi conſilium, qui, quod conſulunt, faciunt.

VT in conſilio capeſſendo quis tutiorem ineat rationem, aduertere oportet, quòd quantò inſtituta ſunt perfectiora, maioremque curam, ſpiritum, abnegationem, animum, vires, & robur, vt à ſubditis promptè amplectatur id, quod maioris perfectionis eſt, requirentia, tantò maior à Prælato ſit adhibenda vigilantia, ſapientia, & magnanimitas ad eos in vita perfectionis dirigendos, & animandos. Ex quo ſequitur, non omnes conſiliarios, & data ab ipſis conſilia quadrare, & in rem eſſe pro Prælatis, qui huiuſmodi moderantur perſonas. Idcircò conſultum eſt, vt tale obtinentes gubernium, vtantur conſilijs, quæ Archimandritæ, & inſtitutores eiuſmodi cœtuum poſt ſe ſcriptis conſignata reliquere. Deinde in conſilium pariter adhibeant viros prudentes, & in eodem, vel admodum ſimili viuendi inſtituto non obiter verſatos conſiliatores. Quia extra diſceptationem eſt, non omnia conſilia pro omnibus ordinibus poſſe quadrare, & apta eſſe, nec eodem modo poſſe intelligi, & in opus deduci, tametſi daremus, eorum aliqua eſſe communia.

Si res propiùs inſpiciatur, tum toties à Spiritu Sancto hac veritate imbuimur, quoties ipſe bene agere iacit pro fundamento ad bene docendum, & conſulendum. Pro Magiſtris ergo, & ſapientibus, atque vtilibus conſiliarijs (teſte Matthæo Apoſtolo) à nobis illi ſunt habendi, & æſtimandi, qui in illis excellunt operibus, pro quibus faciendis ab ipſis poſtulatur conſilium. Tales enim viri ſunt verè ſapientes coram Deo, & vt tales prœmio afficiuntur ab eo, magiſque ſecuri exiſtunt ad nos ſuis conſilijs dirigendos. *Qui autem fecerit, & docuerit, hic magnus vocabitur in Regno Cælorum.* Præcedentia autem huius loci verba, quæ ſunt, *Qui ſoluerit*, (id eſt transgreſſus fuerit) *vnum de mandatis iſtis minimis, & docuerit ſic homines, minimus vocabitur in Regno Cælorum*. Hæc, inquam, verba Sanctus

Matth. 5. v. 19.

Iſido-

Iſidorus commentans ſuper ijs ſic inquit. *Vides, quòd auctoritate magiſterij caret, qui, quod docet, non facit.* Non prætermittas aduertere, illum, qui, quod docet, neutiquam facit, auctoritatem, & fidem ita perdere, vt bonus magiſter, perfectuſque conſiliarius eſſe non poſſit. Huic doctrinæ vniuerſim ſubſcripſere quà Ethnici quà Chriſtiani Philoſophi, eamque Ariſtoteles tanti fecit, vt ſolo lumine naturali doctus dixerit, in arte aliqua, virtutumque materia expertis tantùm fidei adhibendum eſſe, quantùm demonſtrationibus Methaphiſicis, & Mathematicis. Do eius propria verba, & hæc ſunt. *Oportet attendere expertorum, & ſeniorum, & prudentium indemonſtrabilibus, & opinionibus non minùs quàm demonſtrabilibus: propter experientiam enim vident principia.* Hæc doctrina ea nititur ratione, qua in aperto eſt, per ſolam experientiam expediri occultiora ſecreta, & ſingularium veritates enunciatorum (de quibus hic ſermo) quas ſola ſpeculatio aſſequi non poteſt, cùm vnius praxeos ſit proprium ad minutiſſimas ſe demittere circumſtantias, quibus circumſtatur hic cognoſcendi, & indicandi modus. Plures Sanctorum Patrum ſtylo ſuo hoc proſecuti ſunt argumentum, & quia pro Prælatis res magni momenti eſt, referam tres, aut quatuor eorum auctoritates, vt inde perſpiciamus, quantùm in vno conſulente neceſſaria ſit rerum notitia per experientiam comparata. Et imprimis in rem noſtram eſt illud Baſilij Magni, quo aſſerit, quòd, ſi participemus, & dubia noſtra conferamus cum illis, qui eiuſdem fidei, & profeſſionis nobiſcum ſunt, ac iuxta tales, qui litteraturæ ſuæ, ac rerum experientiæ argumenta dedere, tum apud tales tutum, quod quærimus, ſimus inuenturi conſilium, per quod noſtra deliberatio, ſi mala ſit, corrigatur, ſi bona, magis ſtabiliatur. Sed libet propria eius verba audire, quibus ſic loquitur. *Communicando cum his, qui eiuſdem nobiſcum animi ſunt, fideique, ac intelligentiæ ſuæ certum documentum dederunt, vt deliberatio noſtra, ſi mala ſit, corrigatur, ſi bona, confirmetur.* Facit pariter nobiſcum Diuus Laurentius Iuſtinianus, qui hoc ſuper argumento tali ratiocinatur exemplo. *Quemadmodum nullus à natiuitate cæcus, quamuis naturalis ingenij acumine polleat, non niſi opinatiuè de coloribus valet iudicare, ita neque de ſpiritualibus poteſt ad plenum ſenſum proferre, quiſquis eorum extiterit inexpertus.* Sicut ille, qui cæcus ex vtero matris prodit in lucem, ſit demum ingenio tam acutus, ſagax,

Ariſt. 6. Ethi. c. 11. in fine.

D. Baſil. in reg. breuior. Interrog. 227

S. Laurentius Iuſtin. Prologo ad vitam ſolitariam in princ.

Digitized by Google

gax, & ſolers, ac eſſe poſſit, differere, & certum de coloribus iudicium ferre non poteſt, ita experientia defectus de rebus Sacris fundatè, & aſſeueranter ratiocinari non valet.

Abbas Iſaac admodùm fusè hanc pertractat materiam, eamque diuerſis diſcutit, & abſoluit aſſertis. Imprimis inibi docet, neminem ab aliquo pro conſiliario eſſe requirendum, niſi ſit eiuſdem profeſſionis cum petitore conſilij. Deinde aliquem experientiam rei, de qua agitur, habentem, tametſi multæ litteraturæ non ſit, pluris faciendum, alio excellenter docto, acuto, ſubtili, magnique nominis Philoſopho, experientia tamen nudato. Relatis poſtmodum varijs circa actiones, & exercitationem earum ſeſe offerentibus rebus, quæ licèt, puram ſpeculationem ſi attendas, bonæ ſint, in praxi tamen obnoxiæ multis ſunt erroribus. His, inquam, relatis pro noſtra tandem inſtructione ſubnectit, vnius conſiliarij experientiam non debere eſſe exigui temporis, ſed multorum annorum, quæ in iuuenibus dari non poteſt. Ad extremum ſuæ ratiocinationi finem imponens his verbis concludit. *Illo ergo conſiliario vtere, qui nouit probare in patientia res diſcretionis. Propter hoc autem non eſt quilibet fide dignus ad dandum conſilium, niſi priùs bene voluntatem propriam gubernauit, & actores, & detractores non pertimeſcit.* Illum in conſilium voca, & adhibe, qui multa ſui exercitatione, & tolerantia, verum circumſpectum, prudentiam, atque experientiam ſibi didicit comparare. Ex quibus liquidò conſtat non quemlibet eſſe dignum, aut authoritate fulgentem, vt eius dicto confeſtim habeatur fides, aut habilis credatur ad boni conſiliarij munere ritè fungendum, ſed illum ſolummodo, qui priùs bene didicit voluntati propriæ imperare, & nec metus, nec amoris ergo à recto tramite vnquam deflexit, ſciuitque toleranter perpeti, & ſufferre eos, qui quandoque murmurationes ſuas aduersùs eum euomuere, & mala ipſi reddidere pro bonis. Talium virorum ergo eſt vera Sapientia, atque prudentia, quæ non ſolùm ex bonis efficiunt Sanctos, ſed eòs etiam, quibus optimè conſulunt, ad Sanctimoniæ prouehunt dignitatem.

Abbas Iſac to. 5. Biblioth. lib. de contemptu Mundi 39.

§. &

Digitized by Google

§. & Conſilium VII.

Longè abſit à Prælato facilitas credendi omne, quod dicitur, quod ſi faciat, multa, quæ non conueniunt, euitabit.

OPortet Prælatum magnæ prudentiæ, maturique, & non præproperi virum eſſe iudicij, cui tamen doti directè opponitur, ſiquis facilè, quod dicitur, vel refertur, credat, & hoc relatu loco regulæ actionum ſuarum vti velit, ex quo (ſi teneatur) agendi modo magna abſurda oriri ſolent, quæ non ſolùm cedunt in damnum exiſtimationis regentis, verùm etiam in non leue detrimentum pacis,& profectus ſubditorum. Hoc Siracides indicare voluiſſe videtur, dum dixit. *Qui credit citò, leuis corde eſt, & minorabitur.* Facilè credens ſui leuitatem cordis, veræque prudentiæ manifeſtat tenuitatem, eoque magna damna, & incommoda in ſuæ curæ experietur commiſſis. Non enim eſt dubium, quin magna varietas rerum contingat, ſi clauum tractans regiminis ad quemlibet flatum eius, quod dicitur, ſe verſet, quod eſt euidens magnæ imprudentiæ argumentum: Salomone enim teſte: *Cor ſtultorum diſſimile erit.* Minùs habentes ſemper animo commutabiles ſunt, & nunquam vnum hominem agunt: quia non ducuntur tutis, & prudenter expenſis rationibus, ſed varijs relatibus, & non bene fundatis opinamentis. Quapropter licèt ſagax Prælatus non debeat omni narratui aurium fores occludere, & taliter obfirmatus eſſe, vt nihil omnino velit audire, quod ſubditi proponunt, & monitum veniunt, id tamen non debet ipſi eſſe pro regula, qua inducatur ad aliquid ſtatuendum; præſertim ſiqua fiat delatio de defectibus aliorum, cum hoc tamen ſtat, quod eiuſmodi relatio debeat Prælato eſſe incitamento, vt experrectiore inuigilet animo, ita tamen, vt bonam ſubditorum ſuorum opinionem, & æſtimationem in nullo imminutum eat; ſed in eam potiùs curam intendat,vt verbo, & exemplo omni eorum malo magna prudentia anteuertat, & hac ratione animæ ſaluti ipſorum opportunè proſpiciat. Hoc tamen vt dixi, ita circumſpecto faciendum eſt modo, vt hominum

Eccl. 19. v. 4.

Prou. 15. v. 7.

Digitized by Google

nemo aduertere poſſit, ſibi aliquid hac ſuper re eſſe relatum: ſi enim ſecus Superior faceret, variarum inquietudinum, atque diſſentionum cauſa exiſteret, &, quod caput eſt, omnem inter ipſos interturbaret, & euerteret pacem.

§. & Conſilium VIII.

Quàm plurimum boni Regiminis intereſt, Prælatum eſſe retinentem ſecreti.

NVnquam Superior ad arduarum, magnique momenti rerum in gubernio occurrere aſſolentium notitiam pertinget, quamdiu non fuerit rigidus cuſtos ſecreti, operamque non dederit, vt idem obſeruetur ab illis, quos conſulit: quia cum res ad maius bonum, ordiniſque reformationem non leuiter facientes non bene capiantur ab omnibus, & communiter libertati, quacum maior pars viuere cupit, ſint contrariæ, ſi ante executionem earum à Superiore alijs mora concedatur de ijs loquendi, & diſſerendi, tum oppoſitiones; & inquietudines, quibus Dœmon impedire conatur, ne ſuum ſortiantur effectum, erunt tam magnæ, vt adigatur ab incæptis deſiſtere, vel multa conſtabit ipſi eas exequendi difficultate, maioreque quandoque labore, quàm ſi clam eas executioni mandaſſet. Exactè (prout Abulenſis aduertit) obſeruauit Propheta Samuel hoc ſalubre conſilium, dum in animo habens vngere Saulem in Regem, ipſi ſuggeſſit, iuberet ſeruum ſuum, quem ſecum habebat præcedere: verebatur enim, ne, ſi hoc Dei mandatum non in ſecreto ad opus deduceretur, populus ſeditionem moueret, & rebellaret; quemadmodum Moyſi vſuuenit, dum Fratrem ſuum Aaron in Summum Sacerdotem renunciauit, qua in occaſione nec æſtimatio, quam habebat apud Deum, nec authoritas, qua pollebat apud populum, quærimonias, & motus plebis potuere impedire. *Samuel dixit ad Saul, dic puero, vt antecedat nos, & tranſeat, tu autem ſubſiſte paulisper, vt indicem tibi Verbum Domini.* Etiam Abraham Patriarcha ab hoc ſeruando non receſſit ſecreti conſilio, dum à Deo in mandatis accepit, vt ſuum ſibi filium immolaret: hanc enim iuſſionem ita cautè exequi eſt adorſus,

1. Reg. 9. v. 27.

vt

vt nec vxori, nec ſecum acceptis ſeruis, imò nec ipſimet filio Iſaac, & quidem roganti, vbi victima foret, quicquam aperire voluerit, certò ſibi perſuadens, quod, ſi in hoc tam tragico caſu adeò ſtrictè non ſeruaret ſecretum, exponeret ſe periculo, vt iuſſionem Dei implere non poſſet. Hoc ipſum affirmante Chryſoſtomo) erat, ad quod in hac tam inſolita tentatione, atque probatione diuinum conſilium imprimis oculos aduertit, & reſpexit. Quare idem Sanctus Doctor de Patre Iſaaci habens ſermonem, bonum filium in perſona Dei in hunc modum alloquitur. *Neque turbatus eſt mente, neque rem communicauit Matri tuæ, neque pueris: neque tibi ipſi à ſe ſacrificando, ſed forti menti, & contenta alacritate feſtinauit, vt mandatum meum impleret.* Præclarus genitor tuus non conſternatus eſt animo, iuſſionem à me ſibi clam factam matri tuæ non aperuit, eius nec ſeruos, nec teipſum in Sacrificium offerendum rei conſcium fecit; ſed heroico animo, & imperterrito corde expediuit ſe, vt à me ſibi imperata perficeret. Liranus Rabbi Salomonem ſecutus aſſeuerat, Deum Giezi, cùm ad reddendam vitam, filiumque Sunamitidis baculo Eliſæi reſuſcitandum mitteretur, ſuam non porrexiſſe auxiliatricem manum, eò quod non cuſtodierit iura ſecreti: Cùm enim à Propheta mittente in mandatis haberet, ne in via obuiam venientibus ſibi quicquam diceret, hoc ipſe ſecretum celatum non habuit, ſed in apertum produxit, ità vt ſe iactare ſit auſus, ſe ire ad aliquem à morte reſuſcitandum, vti ex his Lirani verbis ſat patenter colligere licet. *Hoc fuit propter demeritum Giezi, qui non ſeruauit præceptum Eliſæi, ſed occurrentibus ſibi hominibus iactanter dicebat, ſe miſſum ad ſuſcitandum mortuum.* Quo facto Rectores informantur à Deo, quòd eorum cauſa non infrequenter intermittat operari res magni momenti, quia non vtuntur debita circumſpicientia, atque prudentia, quam in non publicando aliquid adhibere deberent, quoad vſque congruum appeteret tempus.

S.Chryſoſt. ho.51.in Gen. ad med.

Rabbi Salomon apud Liranum in 4. Reg. 4.

Non abs re ergo Prouerbiorum 25. conſulit Spiritus Sanctus, negotia noſtra à nobis tranſigenda eſſe cum illo, cui tanquam fideli, veroque amico nos ipſos confidimus, nec vnquam ſecretum committendum eſſe extraneo. *Cauſam tuam tracta cum amico tuo, & ſecretum extraneo non reueles.* Ex quibus verbis conficitur, certius non extare indicium, ex quo poſſit cognoſci, duos paris voluntatis, & ſententiæ eſſe, ſincerosque amicos, quam

Prou.25.v.9.

Digitized by Google

quàm ſi ſibi inuicem ſeruent ſecretum, contrarium verò indubitatam teſſeram eſſe diſcrepantiæ cordium. Ex præhabitis tandem in rem noſtram infertur, Prælatos, qui exacti ſunt cuſtodes, ſecreti, hac via non ſolùm conſilia ſua ad optatos perducere exitus, verùm etiam ſubditis recludere aditum ad arcanos conſcientiæ ſuæ ſinus ipſis omni cum ſinceritate, & confidentia reſerandos, cùm pro certo habeant, hoc, quod in eorum deponunt ſinum perinde eſſe, ac ſi penes ipſos maneret reconditum. Quando verò ſubditi aduertunt aliquem huius rei in Superiore defectum, tum non audent ipſi aperire ſua, vel confidere: ſibi enim perſuadent ſinum, & cor Prælati eſſe quid extraneum, alienum, & à ſe longè abiunctum; idcircò credunt, rem fidei ipſorum commiſſam, non eſſe in tuto poſitam, & bene aſſeruatam, ac cuſtoditam.

§. & Conſilium IX.

Fit perſpicuum, quàm ſit res vtilis, & ſecura petere conſilium, & inter mille vix vnum reperiri, qui agere poſſit dignum conſiliarium.

INter omnes actus, qui à virtute prudentiæ ea gratia producuntur, vt rectus in iis, quæ homines agunt, ordo ſeruetur, primum ex Diui Thomæ aſſerto obtinet locum de medijs
D. Th. 12. q. 57. art. 6. conſultatio. *Circa agibilia autem humana tres actus rationis inueniuntur, quorum primus eſt conſiliari.* Quapropter ſi in mediorum deliberatione aliquis committatur defectus, tum neceſſe eſt, vt omnes reliqui prudentiæ actus inuoluantur confuſione. Ex quo clarè perſpicitur, quàm magna Prælati neceſſitate premantur vtendi conſilijs aliorum. Nemo enim per ſe ſolum par, & ſatis eſt ad id totum plenè diſpiciendum, quod probabilibus ſolummodo nititur fundamentis, cujuſmodi fermè ſunt, quæ circa guberníum ſolent occurrere, cum frequentiùs ex diuerſis pendeant circumſtantijs, ſoli experientiæ ſatis compertis, quæ ſi priùs ſatis perſpectæ non habeantur neceſſariò poſt ſe trahunt errores, & imprudentiæ actus. In quos ne incurramus, tali nobis ab Eccleſiaſtico proſpicitur conſilio. *Fili ſine*
Eccli. 32. v. 24. *conſilio nihil facias, & poſt factum non pænitebis.* Fili abſque conſilio

ſilio nil agito, & facti non pœnitebit. Sciendum tamen adhæc Prælato eſt, quòd, quamuis in omni alicuius momenti caſu conſilium capeſſere multùm expediat, id tamen potiſſimùm faciendum eſt in delectu boni conſiliarij, in quo permultùm conſiſtit, admodum tamen impromptum eſt, qui talis conditionis ſit, aliquem inuenire: teſte enim Eccleſiaſtico dantur pauciſſimi, quorum conſilium tutò quis ſequi poſſit, vtì hæc eius verba iudicare videntur. *Multi pacifici ſint tibi, & conſiliarius ſit tibi vnus de mille.* *Eccli.6.v.6.*

Non laboratur amicorum inopia, conſiliarium verò vnum inter mille peroperoſum eſt inuenire, & ſi ſtudiosè quæſitus, vnus forſan reperiatur, qualiter conſtitutus is eſſe debeat, docet Diuus Bernardus his verbis. *Quærendi ſanè, quibus nec defectus timeatur, nec profectus operetur, vtpote iam perfectis.* Tales conſiliarij ſunt quærendi, de quibus nulla cauſa timendi ſit, eos tum tempore futuros malos, nec ſperandum, in meliores mutandos, ſed qui ſint viri conſummati, & omnibus numeris abſoluti. *D.Bern.lib.4 de conoſiden. c.4.*

§. & Conſilium X.

Cum ijs, qui ſunt ſincerioris mentis, & probioris vitæ, oportet Prælatum frequentiore conſuetudine, & commercio vti.

QVamuis ex mente Doctoris gentium deceat Prælatum cum omnibus ſuis ſubditis indiſcriminatim conuerſari, vt omnes Deo lucrifaciat, prout ſe feciſſe teſtatur his verbis idem gentium Prædicator. *Omnibus omnia factus ſum, vt omnes facerem ſaluos.* Pro ſuo tamen peculiari profectu opus eſt, vt iuxta Eccleſiaſtici monitum frequentior ipſius conuerſatio cum prudentioribus, & maiore vitæ Sanctimonia præditis intercedat. *Cum Sapientibus, & prudentibus tracta.* Sicut namque incumbit Prælato ſuorum proſpicere indigentijs ſubditorum, ita tenetur etiam ſuæ conſulere animæ neceſſitati, bonoque communi inde pendenti. Qua in re eò accuratiores eſſe tenentur Prælati, quò maior eſt numerus illorum, qui ſubdolè admittuntur loqui Superioribus de eorum commodis, & ſen- *1.Cor.9.v.22* *Eccli.9.v.21.*

ſuum

Digitized by Google

ſuum blandimentis, inferiores verò ſint numero, qui ipſis colloqui audent de ijs, quæ ad eorum ſpectant animæ profectum. Idcircò ſecundùm communionem, quam par eſt habere ſtudeant cum Deo, qui prima, & ſuprema veritas eſt, nil pro ipſis vtilius eſſe poteſt, quàm ſæpiùs familiari conſuetudine vti cum ſincerioribus ſuæ communitatis, & in rebus ad ſalutem animarum facientibus, magis verſatis, ita, vt de Prælatis hoc facientibus non ex vano aſſeri poſſit, quod Paulus Apoſtolus his verbis retulit de Hebræis. *Acceſſiſtis ad iudicem omnium Deum, & Spiritus iuſtorum perfectorum, &c.* Per moderationem, & ſummiſſionem animi propinquaſtis Deo, reputantes vobiſcum ipſum non aliorum modò, ſed veſtri etiam iudicem eſſe, & conſueta conuerſatio veſtra interceſſit cum hominibus iuſtis, atque perfectis, quorum animus ita alienus, & intactus erat à mundanis affectibus, proprioque compendio, vt viuentes in carne, puri ſpiritus eſſe viderentur. Non alio, ſed pari prorſus modo, & Theophilactus, & Diuus Thomas hæc Diui Pauli verba interpretati ſunt, & amborum interpretamentum in rem noſtram eſt, ac in his conſiſtit verbis. *Acceſſiſtis &c. vt habentis ſocietatem cum Spiritibus Sanctorum, qui ſunt iuſti, & perfecti.* Quando autem Prælatus in ſuo gubernio hoc ſe gerit modo, tum res non in exiguum ſubditorum cedit profectum, & primò quidem, quia, quò plus Prælatus ſibi acquirit perfectionis, eò plus alijs habebit ad impertiendum: vulgaris enim, & trita paræmia eſt, quòd quilibet det, quod habet, non verò, quod non habet. Deinde, quia virtus, & Sanctimonia vitæ, auctoritatem ſibi aſtruunt, pro modo æſtimationis, quam de ambabus facit Prælatus, quod demum cauſæ eſt, vt ſubditi cum iure merito habeant pro viro bono, illi Vatis Regij inſiſtentes effato, quo dicitur: *Cum Sancto Sanctus eris.* Si enim quis libenter, & ſæpe numero conuerſetur, cum bonis, argumentum inde credendi deſumitur, aliquem virum bonum exiſtere, vel vt in numerum bonum referri mereatur, deſiderare. Quæ exiſtimatio ſiquando concipiatur de Prælato, tum pro virtute præclarè res agitur, omneſque animantur, & inducuntur ad ſequendum eam.

Ad Hæb. 12. v. 23.

Theophil. ibi, & S. Thom.

Pſ. 17. v. 26.

§. &

§. & Conſilium XI.

Vitanda eſt Prælato prudentia, quæ in ſpeciem talis, & vulgaris duntaxat eſt, ipſique danda opera, vt in omni actione ſua firmioribus, & magis tutis nitatur fundamentis.

NVnquam rem aliquam, quam facere cogitat (maximè ſi ea magni momenti, & effectu ardua ſit) è ſententia fluxuram firmiter ſperet Prælatus, vel pro certo fundamento boni ſucceſſus quicquam idcircò habeat, quod communi ab omnibus acceptetur applauſu: hoc namque intereſt, veram inter, & falſam prudentiam, quod prima ſe fundet in illo, quod eſt rationi conueniens, nec curet, ſiue placeat, ſiue diſpliceat alijs. Quod affirmante Diuo Bernardo in cauſa eſt, vt veræ prudentiæ præditi, ſint admodùm rari: cuius verba in libris de conſideratione ſunt iſta: *Paucorum prudentia eſt*. Falſa verò prudentia ſolùm attendit, quid dicendum, vel cogitandum ſit, ſi hoc, vel illud fiat, hoc ſemel aſſecuto contenta, & expleta quieſcit. Et quoniam rationis, & experientiæ documento compertum eſt, eos, qui curant ea, quæ maioris perfectionis ſunt, quærere, & conſeruare, minore numero eſſe, idcircò vbi Prælatus aduerterit, à ſe definita, & conſtituta maiore approbari à parte, tum pro certo habeat, ſe in ſuis ordinibus errore potiùs lapſum, quàm acu rem attigiſſe. *S. Bern. lib. 2. de conſid.*

Volenti proinde negotia ſua ad optatos perducere fines, conſilium dat Spiritus Sanctus, ne eorum priùs det partem vera deſtitutis prudentia. *Cum fatuis conſilium non habeas: non enim poterunt diligere, niſi quæ eis placent*; ac per hoc tales approbare non norunt, niſi quæ ſenſui arrident, & ad proprium eorum compendium faciunt. Ex quibus concluditur illud, quod maiori diſplicet parti, plerumque melius, & ſecurius eſſe. Eapropter ad prudentiam ſpectat, in ducendis huius formæ hominibus eam inſiſtere viam, quæ rei ab ipſis approbatæ directè opponitur. *Eccli. 8. v. 21.*

Fundo hoc dictum in verbis Eccleſiaſtici in hunc modum

loquen-

Eccli. 37. v. 12. loquentis. *Cum viro irreligioſo tracta de Sanctitate, & cum iniuſto de iuſtitia; cum timido de bello, cum ſeruo pigro de multa operatione, non attendas his in omni conſilio. Sed cum viro Sancto aſſiduus eſto, quemcunque cognoueris obſeruantẽ timorem Dei, &c. Anima viri Sancti enunciat plus aliquando vera: quàm ſeptem circumſpectores ſedentes in excelſo ad ſpeculandum.* In congreſſu cum homine prophano, & in cultu pietatis remiſsè ſe gerenti miſce ſermones de Sanctitudine, atque deuotione, cum iuſtitiæ violatore loquere de iuſtitiæ virtute, cum meticuloſo de belli periculis, deſides, & acediæ debitos excita ad feruorem, & bene operandum; caue autem, ne eorum vnquam ſequaris conſilium, ſed Sanctorum adhære ſententiæ, & dato caſu, quòd vnus tantummodo eſſet, dummodo certus ſis, eum talem exiſtere, ſecundùm eius mentem te regito: quia multoties ipſe ſolus plus ſcopum veritatis attingit, & loquitur, quàm plures alij ſimul, qui ſapientes habentur, & multa cum ſubtilitate, ac magniloquentia rationes ſuas deducunt. Ex quibus non fallente conſecutione infertur, indubitatum indicium eſſe, quòd aliquis Prælatus ſaniorem tradat doctrinam, & oraculis Ieſu Chriſti in Euangelio contentis magis conformem, ſi maior pars eam non approbet, & applauſum non impendat: maioris enim partis approbatio, & applauſus communiter non ſequitur, quod certius, & ſecurius eſt, nec laudare nouit vtiliorem Prælatorum cum ſubditis agendi modum, ſed molliorem, & ſenſui conſentaneum. Affatur Diuus Hieronymus Præſulem, & diſſuadet ipſi, ne ſe iactantiæ tradat, ſi doctrinæ ſuæ complures habeat ſectatores, & encomiaſtes: Dei enim filius per totam Iudæam Sacri præconis functus eſt munere, & tamen non habuit, niſi duodecim Apoſtolos ipſum ſecutos, è contra verò maior pars populi applaudebat, & extollebat doctrinam Phariſæorum Verba allegati Eccleſiæ Sanctæ Doctoris hoc ſuper argumento

S. Hieron. to. 9. ep. 6. in reg. Monaſt. correct. & doctr. præſident poſt princ. ſunt talia. *Ne glorieris, quòd multos Diſcipulos habeas, Filius Dei docuit in Iudæa, & duodecim illum tantùm Apoſtoli ſequebantur; Phariſæorum autem doctrinæ omnis populus applaudebat.*

§. &

§. & Conſilium XII.

Propter conqueſtiones, & murmura ſubditorum non facilè mutet Prælatus modum regendi ex bono ſemel inceptum conſilio.

POſtquam Prælatus rem apud ſemetipſum bene expendit, Deoque in oratione non perfunctoriè commendauit, tum conſultum non eſt, vt propter querimonias, & diſplicentias nonnullorum priuatorum facilè mutet moderandi, docendique rationem, quam ſemel bene iniuit; dummodo poſt inſtitutum, factumque prudens examen, captum conſilium, imploratamque Dei clementiam ſatis perſpiciat, quid facto opus ſit: ſi namque hac in re ſit facilis ad mutandum, in multa ſe præcipitabit errata. Interim pro certo pariter habeat, quòd licèt doctrina eius, regendique modus, ſint tam bone, ac eſſe poſſint, ſemper tamen futuri ſint aliqui effutientes querelas, perperaſque eructantes locutiones, à quibus nec ipſum Sapientiſſimum Regimen, & nulli culpationi obnoxia doctrina Seruatoris noſtri Ieſu Chriſti fuit immunis. Idcircò ab omnibus recepta non fuit, quin imò non verebantur aliqui dicere, eam duri quid ſapere, & ægrè aſſequi poſſe. *Durus eſt hic ſermo, & quis poteſt eum audire.* Ioan. 6. vbi. His tamen Cœleſtis Magiſter nil motus ab ea tradenda non abſtinuit, quin imò ſumpta inde occaſione, eandem fidentiùs, & liberiùs inculcauit, veritatum, quas docebat, puritati innixus. Quapropter clam non habuit ipſis, ſe optimè ſcire, quod de ſua conquererentur doctrina, omnes tamen hæ quærelæ apud ipſum tantùm non potuere, vt reticeret eam, quin potiùs, vt fortiùs inſtaret ad perſuadendam, & propugnandam eam; huius rei gratia proteſtabatur ipſis verba ſua, eſſe verba Spiritus veritatis, & vitæ: *Verba, quæ ego locutus ſum vobis, Spiritus, & vita ſunt.* Ibid. v. 64. Quidquid autem dixerit, impedire omnino ex ipſorum parte non potuit, quin à non paucis, qui ipſum ſequebantur, deſererentur, nec hoc immutauit eius conſtantiam animi, ſed ad duodecim conuerſus Apoſtolos, in hæc feruore plena prorupit verba. *Nunquid, & vos vultis abire?* Ibid. v. 68. Quaſi dicere vellet, ſi & vos relinquere me velitis, per me licet, ſed ſciatis velim, me ob querimonias,

Digitized by Google

nias, & muſſitationes veſtras non ceſſaturum veritatem ingerere, in qua, mihi conſtat, pro bono veſtro multùm conſiſtere. Hoc tanti Magiſtri exemplum magno deberet eſſe ſolamini, magnanimis, & zelum Dei, ac legis habentibus Prælatis, ne turbentur, ſi ſe à ſubditis ſuis conſpiciant derelictos, qui propter ſimiles [vt diximus] cauſas quærunt ſibi laxos, & modici animi ſuperiores eorum infirmitatibus facilè concedentes. Prælati, qui propter conqueſtus, perperamque fundatas, & ex ipſa, quam doctrina veritatis ſecum affert, difficultate naſcentes obmurmurationes mutant ſtylum, & ex rationis præſcripto ſemel inceptum regendi modum, facilèque imperfectis, & ad defectus committendos procliuibus conniuent, & cum ipſis diſſimulanter agunt, in duo non leuia ſe induunt abſurda. Quorum primum eſt, quia ſi huiuſmodi quæritantes ſemel aduertant, ſe hac via ad deſtinata poſſe pertingere, & adipiſci, quod cupiunt, ſuiſque queſtibus, & lamentis inducere poſſe Prælatos ad deſideria eorum explenda, tum planam ſibi ſternunt viam faciendi cum Superioribus quidquid voluerint, ſuaque ad optatum exitum perducendi minùs recta conſilia, quod tamen ſi permittatur, in magnum vergit damnum, & imminutionem authoritatis, poteſtatis regendi, veritatis, bonique communis. Alterum inconueniens eſt, quod in ſimilium hominum viuendi, & agendi ratione, quam ſequuntur, nihil ordinatum, firmum, & ſtabile reperiatur: inſtar enim maris irrequietis multiplicium deſideriorum motibus velut fluctibus agitantur. Si ergo Superior ipſis in omnibus, vt quietos habeat, ſatisfacere velit, non raró propter ipſos cogetur æquabilem regendi modum mutare, cùm tamen contrarium facere maior neceſſitas ſuadeat: hoc namque conducit, primò ad pacem, & vniformem communitatis viuendi modum, deinde ad prudenter regendum, poſtremò ad huiuſmodi licentioſos, & inquietos coercendos, ac pro imperio in officio continendos.

§. & Conſilium. III.

De accurata circumſpectione, quæ in omnibus actionibus ſuis, & dandis iuſſis eſt vſurpanda Prælato.

ECcleſiaſticus inter felices illum computat, qui iugiter ſapientiæ acquirendæ incumbit, & pro ſibi præfixo fine habet

bet iuſtitiæ obſequelam; vt autem talis homo ſapientia potiatur, omnem ſuum impendit ſpiritum, vt modum, & diſpicientiam pernoſcat, & (quoad licet) penetret, qua Deus omnia prænoſcit, atque gubernat. *Beatus vir, qui in Sapientia morabitur, & qui in iuſtitia ſua meditabitur, & in ſenſu cogitabit circumſpectionem Dei.* Ex hoc enim Dei regendi modo cernit, & addiſcit talis diſcipulus, quid facto ſibi opus ſit, qualique omnibus in occaſionibus modo ſe gerere teneatur. Diui Thomæ doctrina eſt, ad prudentiam (qua in ſui ipſius regimine quilibet indiget) comparandam, cunctis vniuerſim, & ſpeciatim Prælatis neceſſariam eſſe circumſpectionis virtutem, maximè ſi tales Prælati ſint, qui in prudente ſuæ curæ commiſſorum directione, & regimine Supremum omnium animarum Paſtorem verè imitari deſiderant. Cur autem circumſpectio multùm ad prudentiam conferat, imò neceſſariò requiratur, cauſam huius rei Sanctus Doctor his verbis aſſignat. *Ideo neceſſaria eſt circumſpectio ad prudentiam, vt ſcilicet homo id, quod ordinatur in finem, comparet etiam cum ijs, quæ circumſtant.* Proprium proinde circumſpectionis officium eſt, circumſtantias, quæ rem faciendam afficiunt, bene diſcutere, atque examinare, ita vt ſatis non habeat, ſi finis in ſe conſideratus ſit bonus, ſed inſuper opus eſt, vt omnibus bene expenſis ſolerter aduertat, vtrum eiuſmodi finis ſit expediens, taliterque ſibi conducens, vt noxius, inutilis, & infructuoſus reddi non poſſit, dum Gregorius Magnus hoc tam neceſſario documento informat Prælatos requirit ab eis, vt quoad fieri poteſt, ſimiles eſſe nitantur myſtici Ezechielis animalibus, multoſque intus, & foris habere oculos curent, vt intenta animi conſideratione, viſuque perſpicaci id totum pernoſcere valeant, quod agendum occurrit. Circumſpectio enim talis efficientiæ eſt, vt homines in Deos quaſi tranſmutet, myſteriorumque gnaros efficiat, ac Supremo omnis boni auctori perſimiles. Ad hanc proinde tam oculatam virtutem ita Prælatos adhortatur Gregorius. *Admonendi ſunt, qui præſunt, vt per circumſpectionis ſtudium oculos peruigiles intus, & in circuitu habeant, & cœli animalia fieri contendant, Oſtenſa quippe cœli animalia in circuitu, & intus oculis plena habentur, & ſic deſcribuntur.* Paris opinamenti mihi videtur eſſe Chryſoſtomus, quandoquidem de Superioribus loquens, affirmat, neceſſitatem, qua prudentes, circumſpecti, & vigilantes eſſe tenentur, tam magnam exiſtere, vt ſi integrum foret, ſexcen-

Eccli. 14. v.22.

D.Thom. 22. q.48. art. vnico.

Ibid. qu. 49. art. 7. in corp.

S.Greg. to. 2. part. 3. paſtor. admon. 5. ad med.

ſexcentos oculos habere, & in Sacrarum peritia rerum argos eſſe oporteret, quatenus condigna circumſpectione circumſtantias in regimine occurrentes, eorumque, quos regunt, qualitates, & animi habitus inſpicere, & pernoſcere poſſent. Ita eum ſentire, hæc eius propria verba vobis adduco in teſtem. *Multa quidem opus eſt Paſtori prudentia, ſexcentis etiam, vt ita dicam, oculis, vt rectè vndique humani animi habitum circumſpicere poſſit.*

S. Chryſoſt. tom. 5. lib. 2. de Sacerdotio ante med.

§. & Conſilium XIV.

Percautè abſtinendum eſt Prælato ab omni doctrina, quæ ſubditis occaſionem dare poſſit in aliquod incidendi extremum, virtuti, aut veritati contrarium.

PRudentiæ, de qua hic agimus, officium eſt, res ad debitam mediocritatem, in qua virtus conſiſtens immunem ſe ſeruat à vitioſis extremis, reducere, vt autem magna cura, quam ad ea euitanda adhibere oportet, meliùs percipiatur, vſui eſt aſſertum Diui Thomæ, quo inquit, nullam dari virtutem moralem, quæ dictis non ſepiatur extremis virtuti contrarijs, vno per exceſſum, altero per defectum, in quorum aliquod ſub ſpecie honeſti plerumque impingitur, quamuis nomina eorum non ſemper teneantur. Inueniuntur verò huiuſmodi extrema non in operibus virtutum tantùm, verùm etiam in verbis, & doctrinis, tam autem hæc, quàm illa, imò hæc in certis euentibus intentiore cura ſunt vitanda, potiſſimùm à ſacris inſtructoribus, aliorumque regimini admotis, ſi velint, vt eruditio, & ſermo eorum ſale, & appoſito condimento ſint inſperſa, quæ ambo per vſum æquæ mediocritatis obtinentur. Chriſtus Dominus dignatus eſt ſemel ſuos diſcipulos inſignire titulo lucis mundi, vt hac nomenclatura ipſos commonefaceret modi, quo ſacrarum rerum notitiæ ab ipſis eſſent tradendæ, ne eorum ignorarent diſcipuli, quale iudicium de quacunque earum ab ipſis eſſet ferendum, quemadmodum lux omnes res ex materia conſtantes ob oculos ponit, vt de ipſis quilibet lumine non orbus cognoſcere, & iudicare poſ-

D. Thom. 2. 2. qu. 47. art. 7. ad 2.

Idem. 12. q. 64. art. 1. & 3. in concluſ.

Digitized by Google

poſſit. Alia præterea idem Dominus vſus methaphora nuncupauit ipſos ſal terræ, cuius voculæ proprietate, & efficacia, ipſis inſinuatum eſſe voluit ſaporem, gratumque condimentum, quæ ſermoni ineſſe oportet, vt auditoris voluntas ineſcetur, & ad tenendam mediocritatem virtuti præſcriptam pelliceatur.

Huius conſilij pondus, & momentum ille aſſequi poterit intellectu, qui magnam experimento compertam habuerit differentiam, quæ eſt inter ingenia, indoleſque naturæ non in habitudine animi tantùm, ſed in ipſis actibus etiam natiuarum affectionum, ſiue bonæ ſint, ſiue malæ. Tanta autem ingeniorum, animique diuerſitas motuum exquiſitam expoſcit condituram, bonumque inſtructionis ſalem, ratione periculorum, quibus exponerentur, ſi inſtructio paratu tali careret. Huc reſpexiſſe videtur Apoſtolus, dum in hæc verba Coloſſenſibus ſcripſit. *Sermo veſter ſemper in gratia ſale ſit conditus.* Locutiones veſtræ ſint inſtar Sapidorum ciborum, bene ſemper paratæ, ſaleque prudentiæ conditæ, & mediocritati, quam eadem virtus præſcribit, attemperatæ, vt hac ratione damno eſſe non poſſint, ſed magnum potiùs, ſi debita moderatione ſumantur, operentur profectum. Diuus Anſelmus hunc ſuo commento dilucidans textum affirmat, verba noſtra, vt huic conſilio pro modo debiti ſatisfiat, nulla debere eſſe falſitate permixta, ac proinde nulla extremitate à veritate diſſona adulterata, ſed medio virtuti poſito conſentanea, ſaleque ſapientiæ ſalutaris Sapida, & genuina veritate conſtantia. Ita ipſum ſentire, vt dico, his proprijs eius verbis confirmo. *Nec corruptus per admixtionem falſitatis, ſed ſemper ſale ſpiritualis ſapientiæ conditus, & integritate veritatis incorruptus.* Idipſum preſſiùs, & paucioribus verbis Apoſtolorum Princeps dicere voluit, in hæc verba locutus. *Si quis loquitur quaſi ſermones Dei.* Veritatis æmulatorum, & Religiosè viuentium virorum, potiſſimùm verò Prælatorum verba ſint inſtar verborum Dei, cuius obtinent locum, taliterque limata, & minutim expenſa, vt in illis nec defectus, nec exceſſus ab vllo poſſit aduerti; quemadmodum verba Dei in ſe aliud non continent, niſi quod confert ad faciendum in auditoribus fructum. Hoc itaque potiſſimum eſt, quod Diuinus Magiſter à doctrinæ ſuæ ſatoribus, ſactiſque Magiſtris requirit, dum ſuis in hæc verba præcipit Diſcipulis. *Habete in vobis ſal.* Quibus verbis indicare voluit ipſis, opus eſſe

Ad Coloſſ. 4. v. 6.

D. Anſelmus, in 4. tom. ad Coloſſ.

1. Petri. 4. v. 11.

Marci. 9. v. 49.

eſſe, vt eorum pronunciata, atque doctrinæ ſemper ſint ſale prudentiæ & reliqua verborum conditura reſperſa, illoque ſapore, & vigore prædita, qualem ſal conferre ſolet corporalibus cibis, quos ratione temperamenti, quod tribuit, reddit guſtatui gratos, & conducentes ſumentibus. Quod ergo fit in paratu ciborum corporalium, idem proportione ſeruata vt fiat, poſtulat prudentiæ medium, in doctrinis moralibus comcomparatè ad intellectum. Per hæc tamen quæ hactenus diximus, nolumus reprobare hyperbolem, quæ certa figura eſt, qua Rhetores vti ſolent ad veritatem aliquam declarandam, quibuſdam materijs condignum medium iure poſcentibus, ſed tantumodo conſultum volumus, vt hyperbolicorum vſus verborum ſit valde cautus, & circumſpectus, illis maximè in occaſionibus, in quibus ſubeſt periculum, ne per exaggerationis, vel imminutionis exceſſum de veritate non rectum, & indubitatum formetur iudicium. Ea propter artis Rhetoricæ periti affirmant, in huius vſu figuræ taliter ad medium habendum eſſe reſpectum, vt ad declarandam meliùs veritatem ipſa limites, & modum, qui ipſi tenendus eſt, non excedat, ne in quibuſdam occaſionibus nimia ad rem aliquam vel laudandam, vel vituperandam propenſio cauſa ſit, vt aliqua ſeminetur doctrina minùs vera, vel inutilis. Prælati aliqui ad Zelum plus æquo propendentes ſolent ſe plerumque in hoc diſcrimen conijcere, potiſſimùm oblata occaſione correptionis culparum, quas multùm ſentiunt, ſeque ob eas plus æquo affligunt. Huiuſmodi tamen viri aduertere deberent, per paſſionem, & feruorem immodicum, quem in eiuſmodi produnt occaſionibus, haud leuiter authoritatem eorum imminui, ſanamque doctrinam, quam in alijs dant occaſionibus, eneruari. Volens Gregorius Magnus huic anteuertere malo, ſtudioſè inculcat Prælatis, vt non ſolùm euitent dare doctrinam, quæ obeſſe poſſit, ſed etiam dantes ſanam pro poſſe fugiant exaggerationes immodicas, quæ plerumque impediunt fructum, ac ſalutarium, quæ in occaſionibus alijs ſuis dant ſubditis, conſiliorum profectum, qui propter immoderatam, minùſque prudentem exaggerationem, quibus ſuperiores in ſuis vtuntur monitionibus, atque correptionibus, exuunt erga eos affectum, & ad auerſionem animi proritantur. Digna ſunt, vt bene memoriæ imprimantur tanti Eccleſiæ Paſtoris verba, in hunc modum ab ipſo hac ſuper re prolata. *Prouidendum*

Digitized by Google

dum quoque eſt ſollicita intentione Rectoribus, vt ab eis non ſolùm praua nullo modo, ſed nec recta quidem nimiè, & inordinatè proferantur: quia ſæpe dictorum virtus perditur, cùm apud corda audientium loquacitatis incauta importunitate leuigatur: & auctorem ſuum hæc eadem loquacitas inquinat, quæ ſeruire auditoribus ad vſum profectus ignorat. Nec aliud, vt arbitror, Doctor gentium dicere voluit, dum in hæc verba ad Titum Diſcipulum ſcripſit. *Verbum ſanum, irreprehenſibile, vt is, qui ex aduerſo eſt, vereatur, nihil habens malum dicere de nobis.* Sint verba veſtra ſana, taliſque conditionis, vt in ſubditis veſtris fructum facere poſſint. Vtitur autem adiectiuo *ſani*, quod cibo tribuitur, qui ſanus dicitur ſi ſumenti conferat ſanitatem. Addit proinde verba irreprehenſibilia eſſe debere, quod Sanctus Thomas ſic explicat. *Cùm dicit irreprehenſibile, id eſt, vt proferatur cum omni decentia, & prouocatione ad correctionem.* Quaſi dicere vellet, ſint ita congrua, & bene commenta, atque ad ſubditorum correctionem in tantùm expedientia, vt licèt ob malam animi habitudinem aliquam contra Prælatum haberent auerſionem, in eo tamen nihil culpatione, vel reprehenſione dignum inuenire poſſint, tametſi ab eo ob ſuos defectus corripiantur, & reprehendantur.

S. Gregor. to. 4. parte 2. Paſt. c. 4.

Ad Titum. 2. v. 8.

D. Thom. ibidem.

§. & Conſilium XV.

Quàm intenta cura, & diligentia Prælatis ſit neceſſaria.

NEgligentia eſt generale quoddam vitium, vniuerſis, quæ ſunt ex obligatione, virtutibus, præſertim verò parti prudentiæ, quæ in diligentia conſiſtit, ita contrarium, vt directè euertat omnem diligentiam, & experrecti animi curam. Ad hoc itaque vitium euitandum decet Prælatum eſſe expeditum, & non ſegnem, in exequendo eo, quod, poſtquam ſecum in animo bene ventilauit, atque diſcuſſit, iudicauerit expedire pro fine gubernij, & maiore ſubditorum bono: Quamuis enim deceat Prælatum eſſe reſtitantis animi, & cunctabundum ad decernendum in rebus dubijs alicuius momenti, bono tamen conſilio ſemel accepto ſuadet ratio, vt ſit promptus ad ea, quæ prudenter ſtatuit, exequenda. Ita nobis

bis faciendum ſuadent tam Diuus Thomas, quàm Ariſtoteles, quorum ille affirmat, hac agendi alacritate reddi diligentiam, vtpote prudentiæ quà ſpecialis, quà communis, virtutis compotem. Ad dicti ſui ex auctoritate probationem adducit in teſtem Sanctum Iſidorum, qui in deſcriptione hominis ſolliciti aſſeuerat, ipſum eſſe promptum in agendo, induſtrium, diligentem, gnarum ad congrua excogitanda media, quatenus eorum vſu ad ſibi præfixum valeat pertingere ſcopum, & hac poſtmodum promptitudine, ſiue ſedulitate naſcitur expedita, & tempeſtiua executio rei faciendæ. Verba itaque Diui Thomæ in hanc rem ſunt talia. *Sollicitus dicitur quaſi ſolers citus, in quantum ſcilicet aliquis ex quadam ſolertia animi velox eſt ad proſequendum ea, quæ ſunt agenda. Hoc autem pertinet ad prudentiam, cuius præcipuus actus eſt, circa agenda præcipere de conſiliatis, & iudicatis.* Cùm itaque præcipuus prudentiæ actus ſit præcipere, vt ad opus deducatur quod executione dignum eſt iudicatum, idcircò dicendum eſt, ſollicitudinem propriè ad prudentiæ actus ſpectare. Ad rei confirmationem allegat præcitatus Doctor Philoſophum in hæc verba loquentem. *Oportet operari quidem velociter conſiliata, conſiliari autem tardè.* Exequendum eſt promptè, quod conſultatum eſt lentè. Hæc virtus eſt Prælatis ita neceſſaria, vt Sanctus Paulus perſequens obſequia, mutuumque reſponſum, quæ caput, & membra ſibi inuicem præſtare tenentur, dicat oportere Prælatos non quomodocunque, ſed in gradu eminenti, diligentia, & ſollicitudine eſſe dotatos. *Qui præeſt in ſollicitudine.* Propterea laudi ſibi vertebat memoratus Apoſtolus, quòd ſua aſſidua vigilantia ortum traheret ex ingenti ſollicitudine, quam de Eccleſijs gerebat vniuerſis. *Inſtantia mea quotidiana, ſollicitudo omnium Eccleſiarum.* Ex hac Diui Pauli tam doctrina quàm exemplo, ſolidè comprobatur, non decere Prælatos eſſe Socordes, ſed ipſis ex muneris ratione incumbere, aſſiduam gerere curam, & exſomni animi vigore excubias agere, ſi ſuis quàm plurimis ſatisfacere obligationibus velint, potiſſimùm, ſi animabus Deo omnimodè conſecratis, magnamque profeſſis perfectionem, regendis ſint impoſiti, contra quas totus infernus ſemper ſtat in armis, pedicæque, ac laquei, quos inuidi ſaluti earum inimici ſtruunt, ad irretiendas eas, propemodum ſunt inumeri, & perdifficiles obſeruatu.

D. Thom. 22. q. 47. art. 9. in Concl.

Ariſtot. 8. Ethic.

Ad Rom. 12. v. 8.

2 Cor. 11. v. 28.

Summa ergo poſtulat ratio, vt iuges, & indeficientes ſint

Præ-

Prælatorum vigiliæ: ex muneris enim eorum, quod gerunt, ratione, tenentur eas pro poſſe defendere, & indemnes præſtare, ac pro tuendo earum iure Angelorum cuſtodum fungi officio. Opportunè ſe hic offert occaſio, rem haud leuis momenti, & pro animarum inſtructoribus, atque Prælatis ſcitu perneceſſariam aduertendi, memoriæque commendandi, & eſt, quòd, quando erudiunt alios, & veritatis maximè Euangelicæ tradunt doctrinam, conſultum, & expediens non ſit, vanorum cauſa timorum id omittere dicere, vel reticere, quod ad maiorem facit animarum ſecuritatem, ſed oportet res, vt in ſe ſunt, proponere, & in illis præſertim euentibus hoc facere memorati tenentur, in quibus periculum ſubeſt, ne eorum ſubditi, proprio inducti amore ad id inclinent, quod ipſis arridet, & effrænatam ipſorum apperentiam fouet. In tali ergo, & ſimilibus caſibus incumbit Prælato non celare ſubditis diſcrimen, cui ſe exponunt, modumque, quo illud euadere poſſint; præſcribere, quod ſi faciat, partes veritatis tuetur, eamque tradens, ſua fidelitate inducit Deum ad ſubditorum animos taliter comparandos, vt doctrina bonum in ipſis operetur effectum. Ab hac deinde inſtructoris fidelitate redditur doctrina bona inuincibilis, maiorque adijcitur authoritas danti eam. Ob id affirmat ſapiens, os veritatem loquens inconcuſſum perſiſtere: quia nullius falſitatis argui, aut conuinci ab vllo poteſt. *Labium veritatis firmum erit in perpetuum.* *Prou. 12. v. 19.* Huc aduertiſſe animum Diuus Thomas videtur, cum dixit. *Cùm aliquis veritatem loquitur, vinci non poteſt, cum quocunque diſentiat.* *D. Thom. in c. 13. Iob. lect. 2.* Veritatem proferens non ab vllo, qui ſuper ea inquirere velit, poteſt conuinci. Eiuſdem prætereà Sacri Doctoris aſſertio eſt, à veritate reddi homines celebres, & animo infractos, ſint de cætero tam viles, atque deſpecti, ac eſſe poſſint, mendacium verò ſibi addictos his qualitatibus priuare, & contrarias inducere. Do propria Doctoris hæc aſſerentis verba, quæ ita ſonant. *Veritas deſpectos, facit claros, & fortes, ſed mendacium facit oppoſita iſtorum.* *Idem in c. 9. Iob.* Iuſtam proinde habuit Apoſtolus cauſam in diuerſis locis honori ſibi ducendi, quòd veritatem ſemper propugnauerit, nec vnquam ſe periculo expoſuerit, eam ob aliquem reſpectum vitiandi. Idcircò aliquo in loco clam non habet, ſed confitetur palam, ſe nunquam à verbo Dei per alterius cuiuſque rei eò non pertinentis admiſtionem receſſiſſe, ſed manifeſtationi eius ſemper incubuiſſe, hocque

 agen-

Digitized by Google

agendi modo fidem, & authoritatem doctrinæ ſuæ conciliaſſe. *Neque adulterantes verbum Dei, ſed in manifeſtatione veritatis commendantes noſmetipſos.* Hæc, *in manifeſtatione veritatis*, Apoſtoli verba exponens Diuus Thomas inquit ea hunc ſenſum reddere, ac ſi Apoſtolus diceret: *Proficimus in manifeſtatione veritatis, id eſt, veritatem puram manifeſtamus.* Nos veritatem annuntiamus ſine omni mixtura, & vltra rerum augmento, quæ eius puritatem eleuare in aliquo poſſent. Qui ergo ad hanc congruenter diſſerere vult doctrinam, cogitare non debet, contra virtutem aliquam, aut condecens exercitium eius eſſe, ſiquis cum omni veritate aperiat; in quo ratione extremorum tali virtuti aduerſantium aliquis committi poſſit defectus, & hanc ob cauſam vnà damnum detegat, quod in qualibet re, ſi naturæ noſtræ corruptelam attendere velimus, contingere poteſt. Ex quibus omnibus vt certum demum ſtatui poteſt, illud tam in tradenda doctrina, quàm virtutum operibus pro vero habendum medio, quod maiorem perinde in doctrina, ac veritate, tam communiter, quàm priuatim cunctis attentis pollicetur durationem. Ad huius etiam rei confirmationem non extra propoſitum eſſe videtur, illud tritum inter Philoſophos axioma, quo dicitur, ex vero non niſi verum ſequi, ex falſo verò quandoque verum, quandoque falſum exiſtere.

2.Cor.4.v.2.

D. Thomas lect. 1. in caput. 4. 2. ad Cor.

DISCVRSVS VNDECIMVS.

De magna animi fortitudine, qua opus habent Prælati ad introducendum, integrumque præſtandum, quod in vna communitate ad maiorem facit perfectionem.

§. & Conſilium I.

Variæ ex Scriptura adducuntur in ſenſu methaphorico ſumptæ nomenclaturæ, quibus Spiritus Sanctus planam facit animi fortitudinem, quam Prælati, & ſacri animarum inſtructores habere tenentur.

CVM prudentia, quæ in Prælatis requiritur, pro fine ſuo non ſolam cognitionem, & ſpeculationem boni, ſed eius etiam executionem habeat, conſequens inde eſt, fortitudinem animi, atque conſtantiam virtutes eſſe, quibus potiſſimùm opus habent Prælati: ſine his enim nequit eſſe vera prudentia. Quia, licèt ipſa ſine iſtis oculos habeat ad cernendum, quid faciendum ſit, caret tamen animo, & fortitudine, id quod faciendum cognouit, exequendi. Idcircò illa quatuor animalia vati Ezechieli in viſo oſtenſa (quæ teſte Gregorio Magno hunc ſuper locum ſcribente adumbrant Prælatos, ſacroſque animarum magiſtros) non hominis, & aquilæ tantùm præſeferebant figuram, ſed bouis etiam, atque leonis. *Similitudo autem vultus eorum, facies hominis, & facies leonis à dextris ipſorum quatuor, facies autem bouis à ſiniſtris ipſorum quatuor, & facies aquilæ deſuper ipſorum quatuor.* Hoc viſo inſtruimur, dotem, quæ animarum Magiſtros, & prælatos efficit dignos, atque perfectos, Ezech. 1. v. 10.

non

non cognitionem ſolam, & ſpeculationem eſſe, per quam adinſtar aquilarum ad rerum Diuinarum contemplatum attolluntur in altum, nec ſolam naturalis ratiocinationis ſolertiam, vel humanam prudentiam, qua actiones bene ordinantur humanæ; ſed animi fortitudinem, imperterritique cordis vigorem, quibus Prælati efficiuntur fidentes ad difficultates in gubernio à Deo ſibi commiſſo occurrentes leonum inſtar aggrediendas, omnemque mouendum lapidem, vt valida legitimæ inſtitutionis ſuæ voce, eliminent vniuerſa perniciosa enunciata, minúſque ſanas doctrinas, ſuo verò Zelo, ac feruore exigant omnes in communitatem irrumpentes laxitates, & abuſus. Vltra hoc requiritur in Prælatis etiam tolerantia, & virium ſuppoſitio, quibus pares efficiuntur portando oneris obſeruantiæ regularis, ac ſubditorum ſuorum infirmitatibus, atque moleſtijs æquo animo tolerandis. Huius ſimiliter rei inſinuandæ gratia nuncupauit Spiritus Sanctus Prælatos quandoque columnas: ad ipſos enim ſpectat, factum, quod per virtutes erigitur, animarum ædificium ſuis humeris ſuſtentare, in quo Deus ſuam figit habitaculi ſedem. Huiuſmodi honorifico titulo compellare dignatus eſt Doctor gentium ſuos ſibi in munere Apoſtolatus conſortes, Petrum, Iacobum, & Ioannem, dum in epiſtola ad Galatas pacti, quod ſibi cum eiſdem de Euangelio prædicando conuenerat, fecerat mentionem, vbi in laudem eorum

Ad Galat. 2. v. 9. hæc Galatis verba perſcripſit. *Iacobus, & Cephas, & Ioannes: qui videbantur columnæ eſſe, dextras dederunt mihi*. Vocantur prætereà Rectores fidelium à Spiritu Sancto vrbes fortes, & mœnibus cinctæ, quæ cunctis inſultibus, ac vniuerſis infernalium inimicorum artis bellicæ machinamentis ſe opponere debent, ſuæquæ à Deo commiſſos curæ tutos, & indemnes præſtare. Tali titulo eſt honoratus Hieremias Propheta, dum Deus animandi gratia ipſum his verbis eſt allocutus. *Ego quippe dedi te*

Hierem. 1. v. 10. *hodie in ciuitatem munitam, & in columnam ferream, & in murum æreum ſuper omnem terram Regibus Iuda, & principibus eius*. Scias, velim, quòd ex hodierna die conſtituam te Præſidem, & verbi mei præconem, teque in altum tollo, ac ſuper terram impono, vt ſis inſtar ciuitatis benè munitæ, ſolidiſque operibus validæ, adhæc inſtar columnæ ex ferro confectæ, murique ex ære fuſi aduersùs Reges, & Principes Iuda, quibus, volo, vt intrepidè te opponas. Denique quaſi prædicta non ſatis euin-

cerent

Digitized by Google

cerent magnam in Prælatis requiri animi fortitudinem, compellat ipſos Deus etiam nomine ſilicum, & adamantum propter renixum validum, quo ambo hi lapides pollent: compertum eſt enim: potiùs rumpi duriſſimos ferri malleos, quàm adamantem domari. Quapropter vt Prophetæ Ezechieli ignotum non eſſet, qua firmitudine animi inſtructus eſſe deberet, edoctus fuit verbis à Deo. *Vt adamantem, & ſilicem dedi faciem tuam*. Non latere te volo, me vultui tuo tantam indidiſſe fidentiam, & infracti animi robur, quaſi inuincibilis adamantis, & pyritis induiſſes naturam, qui percuſſus euomit ignem. His itaque metaphoris, & parabolicis locutionibus notum vult nobis Deus, quanta fortitudine, & animo Prælati, animarumque ductores indigent, ſi ſatisfacere velint partibus, quas eorum poſt ſe trahunt officia, prout ex conſilijs ſupra allatis iam conſtat, & ex infra dicendis ampliùs patebit. *Ezech. 3. v. 9.*

§. & Conſilium II.

In quo enucleatiùs expendimus, quanta fortitudine animi Prælatum dotatum eſſe oporteat ad ardua aggredienda, & quæ multo labore constantia in regimine occurrunt, heroico animo exantlanda.

VIrtus fortitudinis conſiſtit in firmitudine cordis, quæ requiritur ad perferendum, & reſiſtendum rebus arduis, ac operoſis, dum quis pro virtute, & gloria Dei magnis imperterrito animo ſe exponit periculis, prout Sanctus Thomas definitionem Tullij approbans his verbis docet *Fortitudo importat firmitatem animi in ſuſtinendis, & repellendis his, in quibus maximè difficile eſt firmitatem habere, ſcilicet in aliquibus periculis granibus. Vnde Tullius dicit in ſua Rethorica, quòd fortitudo eſt conſiderata periculorum ſuſceptio, & laborum perpeſſio*. Ex quibus habetur, quàm multùm hæc virtus pro magnis per ſingulas quaſi horas in gubernio offerentibus ſe difficultatibus, & periculis Prælato ſit neceſſaria, quæ omnia heroico, & interrito corde ipſi ſunt ſuperanda, ſi cum vigore, atque perfectione, vt tenetur, regere velit, cunctis, ſi ſe perperam, & ſine cauſa op- *D.Thom. 22. qu.123.art.2.*

po-

Digitized by Google

ponant, ſine exceptione, nec vllius perſonæ habita ratione in faciem reſiſtendo. Optimè quadrat Prælatis, quod Angelus prædixit Agar ancillæ de Iſmaele eius filio locutus, ipſum ſcilicet futurum contra omnes, & omnes contra ipſum, ſuaque tentoria in conſpectu fratrum ſuorum fixurum. *Manus eius contra omnes, & manus omnium contra eum, & è regione vniuerſorum fratrum ſuorum figet tabernacula*. Ad hoc autem magno opus eſt animo, nec minor ſufficit, à Deo prophetis tum conceſſo, dum ipſos inſtruxit armis ad ineundum certamen contra ſcelera, & nequitias hominum, ad fungendum magiſtrorum perfectionis officio, ad veritatem vniuerſis dicendam, eoſque ob ſuos defectus corripiendos. Talis fuit ſpiritus fortitudinis, quo præuenit Deus Michæam Prophetam, vt ipſemet eſt teſtis his verbis. *Ego repletus ſum fortitudine ſpiritus Domini, iudicio, & virtute, vt annunciem Iacob ſcelus ſuum, & Iſrael peccatum ſuum*. Refertus ſum fortitudine ſpiritus Domini, fidentia, & animo, vt obijciam flagitium Iacob, & Iſraeli noxam ſuam. Eandem gratiam præſtitit Deus prophetis Ezechieli, & Hieremiæ, prout antegreſſo oſtenſum eſt conſilio. Si Prælatus hac fortitudine, & animo careat, ſine his armis ad decertandum pro Deo (cuius locum tenet) in arenam deſcendat, tum innocentia in diſcrimen adducitur, iuſtitia imminuitur, & tota diſciplina regularis citato gradu properat ad ruinã. Sanctus Cyprianus Martyr Cornelio Papæ ſcribens optimè robur, & animum, quem Epiſcopi, & cæteri Eccleſiæ Dei Prælati habere tenentur, ſicut è contrario ingentia pariter damna, quæ Eccleſia patitur, ſi Prælati hac fortitudine careant, his grauibus ad viuum depinxit verbis. *Quod ſi ita res eſt, frater, vt nequiſſimorum timeatur audacia, & quod mali iure, & æquitate non poſſunt, temeritate, ac deſperatione perficiant, actum eſt de Epiſcopatus vigore, & de Eccleſiæ gubernandæ ſublimi ac diuina poteſtate, nec Chriſtiani vltra aut durare, aut eſſe iam poſſumus, ſi adhoc ventum eſt, vt perditorum minas, atque inſidias pertimiſcamus &c. Manere decet apud nos, Frater, fidei robur immobile, & ſtabilis, atque inconcuſſa viribus contra omnes incurſus, atque impetus oblatrantium fluctuum velut petra obiacentis fortitudine, & mole debet obſiſtere*. Si procacia, perditorumque audacia timorem nobis incutiat, ſi id, quod bono indipiſci non poſſunt modo, temeritate, inſolentia, & deſperatione conſequantur, tum eſt actum de vigore, & robore dignitatis Epiſcopalis, ac de eminente at-

Geneſ. 16. v. 12.

Mich. 3. v. 8.

epiſt. 55. Ad Cornel. de Fortunat. & Feliciſſimo poſt princip.

atque diuina poteſtate, qua Eccleſia in ſuo ſolet vti gubernio; imò tum nos Chriſtiani vltra conſeruari non poſſumus, totumque eſt perditum, ſi formidemus improborum interminationes, technas, atque inſidias. Fortitudo ergo, quæ indiuidua eſt comes, & ſoror fidei, ac ſemper conſtans ſibi, & immota virtus, fixa perpetim apud Prælatos maneat, vt aduersùs omnes vndarum conſternantium impetus, & incurſus, inſtar ſolidi, & ex oppoſito in altum ſtantis ſcopuli imperterritè reſiſtere valeant.

Aduertendum hic admonet locus ad hanc tam neceſſariam conſeruandam virtutem multùm referre, vt Prælatus procul à ſe faciat omnem nulla ratione nixum timorem, quo timeat, ne à nonnullis ſubditorum minùs ametur, ſi in eo hunc prudentem, & iuſtum impauidi animi vigorem animaduertant: huiuſmodi enim metus, eſt res, quæ tali prudentiæ maximè aduerſatur, redditque Prælatos ignauos, & ad regendum omnino inhabiles, vti hæc Senecæ verba ſatis indicare videntur. *Qui odia nimirùm timet, regnare neſcit.* Qui plus æquo, odio haberi timet, non eſt aptus ad gubernandum, & licèt par ſit, vt timorem quis habeat, ne ab aliquo, quicunque ille ſit, non ametur, decet tamen Prælatum, vbi ratio ſuadet, pro gloria Dei, ſuæque communitatis emolumento huic moleſtiæ, & difficultati ſe exponere, illa vſurpantem verba, quæ Sanctus Cyprianus ſupra allegato dixit loco, & ſic ſonant. *Conuitia eorum, quibus ſe, & vitam ſuam quotidie lacerant, non timemus, fuſtes, lapides, & gladios, quos verbis parricidalibus iactitant, non perhorreſcimus, quod in illis eſt, homicidæ ſunt apud Deum tales, negare tamen non poſſunt, niſi eis Dominus necare permiſerit.* Probra, & contumelia propriam diſcerpentium vitam, non metuimus, neque nos mouent iacti verborum lapides, & vibrati per auras minarum gladij illorum hominum, qui ſe parricidas ſuorum in Chriſto Patrum conſtituunt: quia licèt ſint tales coram Deo, quantumcunque tamen ſeſe efferant, ac iactuosè audeant, vel etiam agant, lædere tamen, malumque aliquod inferre non poſſunt, niſi ad id faciendum poteſtatem fecerit Deus.

Seneca.

S. Cyprian. vt ſupra parum infra.

Digitized by Google

§. & Conſilium III.

Quantum referat, & proſit, vt omnes norint, & compertam habeant prudentia moderatam in Prælato animi magnitudinem.

MVltùm in hoc conſiſtit, vt ſubditi non habeant ſuum Prælatum pro homine meticuloſo, inerte, & flaccido, quia ſi in ipſo nihil generoſi cordis, & animi ad dicta ſua ſuſtinenda animaduertant, tum inde arripient libertatem, quidquid ſibi magis placuerit, faciendi, aut mentis erunt, ipſum vel non ſcire, quod faciunt, vel ſi reſciat, non habiturum animum, ad ipſos ratione eius, quod forſitan fecerint, iuſtè corripiendos. Ea propter conſulit Tito ſuo Paulus Apoſtolus, vt in docendo, & exhortando, & arguendo ea cum fidentia, & imperio ſe gerat, vt nullus ob harum rerum defectum ipſum contemnat. *Hæc loquere, & exhortare, & argue cum omni imperio, nemo te contemnat.* In caſu ergo, quo cauſa regiminis agitur, non debet committere Prælatus, vt humilitatis obtentu ſua peſſum eſt authoritas; alioquin contraueniret Diui Auguſtini effato, quo inquit. *Ita eſt habenda humilitatis ratio, vt regendi non frangantur.* Taliter à regiminis munus obtinente eſt exercenda virtus modeſtiæ animi, vt per hoc ſuperior authoritatem ſuam imminutum non eat. Idem ſuadetur à Gregorio Magno in hæc verba locuto. *Sic ſeruanda eſt virtus humilitatis, vt non ſoluantur iura Regiminis, ne dum Prælatus quiſque plus ſe, quam decet, deijcit; ſubditorum vitam reſtringere ſub diſciplinæ vinculo non poſſit.* Ea ratione à Prælato colenda eſt animi moderatio, vt nihil derogetur poteſtati gubernij: ſi enim plus æquo ſe abijciat, tum ſubditorum ſuorum defectus cum authoritate corrigere, & emendare non poteſt.

Ad Titum 2. v. 15.

S. Auguſt. in ſua regula prop. fin. tom. 1.

S. Gregor. tom. 4. lib. 1. Regiſtri epiſt. 24. col. 5.

Sentit etiam nobiſcum Ioannes Climacus, hac tamen adiecta conditione, vt exiſtimet, in ijs euentibus, qui non cedunt in detrimentum gubernij, eſſe à Prælato forti animo amplectendum aliquem contemptum. Cum eadem reſtrictione loquitur Ioannes Chryſoſtomus hac verborum forma. *In his quidem, quæ ad ſe pertinent, ſi contemnatur, ſanè conſtantiſſimè ferat, ita enim per patientiam virtus prædicationis oſtenditur, verùm in*

Climacus tract. de bono paſt. tom. 5. Bibliotb. S. Chryſoſt.

Digitized by Google

his, quæ aliorum tangunt ſalutem, contemptui omnino non pateat. Id quippe non manſuetudinis eſt, ſed ſtultitiæ. Si Prælatus ſuæ præciſè ratione perſonæ habeatur contemptui, vel minùs, quàm par eſt, æſtimetur, nec ibi aliquod ſe intermiſceat periculum, ratione cuius authoritas in aliquo periclitetur, tum magna hoc ferat animi æquitate, idque pro certo habeat, per hanc tolerantiam, virtutem præconij verbi Dei magis in conſpectum dari, bonique exempli viribus intendi. Quando verò aliquid tangitur, quod boni communis, & ſalutis animarum interſit, tum nulla ratione ſe contemni ſuſtineat: hoc namque in tali caſu permittere non lenitas animi, ſed fatuitas eſſet. Vt autem ab eo non recedatur, quod in hoc dictum conſilio eſt, oportet Prælatum omnem vanum à ſe fugare timorem: hic enim per plurimùm officit ſancto zelo, & animi magnitudini.

tom. 4 hom. 13. in 1. ad Thimoth. 4. in princip.

§. & Conſilium IV.

In quo agitur de binis extremis, in quæ Prælatus poteſt incurrere tam concedendo, quàm negando ea, quæ ſubditis arrident, & in animi expletionem cedunt.

SVperiore conſilio tractatum eſt de fortitudine animi, qua Prælatus virum ſe præſtare debet, vt non facilè obſecundet phantaſticis, & importunis ſubditorum petitibus, vbi, res, quæ petuntur, aduerſantur ipſorum obligationibus, & cum inſtituto eorum cohærere non poſſunt. In hoc verò, & ſecuturis conſilijs docetur, qua ratione Prælatus ſine incurſione alicuius extremi ſubditorum vota, ac deſideria explere, & ſatisfactionem præſtare teneatur, ſi rebus ſupra tactis nullum obſtet contrarium. Dantur aliqui Religioſi, qui in ea ſunt ſententia, vt exiſtiment, poſſe, & debere permitti, quidquid directè, & apertè eorum inſtituto non contradicit, & quod hi tales in Prælatis magni faciunt, & præcipuè laudant, eſt, ſi in huiuſmodi ipſis facere norint occaſionibus, acquieſcendo & annuendo voluntati, & poſtulatis ipſorum, ita vt hoc pro fallente aſſumant regula ad iudicandum, quodnam ſit bonum, & prudens gubernium. Verumtamen hi tales non ſatis expe-

Digitized by Google

diunt difficultatem, quæ in hac materia maior inuenitur, quàm prima fronte aſpicitur. Idcircò ne in errorem inducamur, conſultum, expediens, & rationi conueniens iudico, certiores aliquas, ac tutiores, quoad dari poſſunt, hoc loco tradere regulas, priùs tamen pro certo ſtatuto acceſſum ad medium à prudentiæ virtute præſcriptum haberi non poſſe ſine receſſu ab extremis. Hoc itaque fundamento præiacto, regulæ, quæ traduntur ſunt ſequentes. Vna illorum eſt, qui non grauatè, quod petitur, concedunt, ſi poſtulatum directè, & expreſsè non ſit contra leges, vbi verò id contra leges eſt, tum cenſent ſat cauſæ eſſe negandi, quod oratur. Huic itaque ſtando opinamento aſſerendum, eſt, in cunctis occaſionibus, in quibus talis cauſa non obſiſtit, obſequendum, & ſatisfaciendum eſſe ſubditorum votis, & petitionibus. Verùm enim verò, vt meliùs capiamus, & penitiùs inſpiciamus, quid mali ex hoc aſſerto ſequi poſſit, pro certo à nobis ſtatuendum, & habendum eſt, naturam noſtram peccati corruptela non patum deprauatam multoties ſibi noxia appetere, quæ tamen (licèt falsò) ſibi expedientia iudicat, & hoc obtentu pro ſe poſcit, & inhiat, ac adipiſci laborat, vt ſatis conſtare videtur ex illis in libro Geneſis contentis verbis, quibus ita effertur.

Geneſ.8.v.21 *Senſus enim, & cogitatio humani cordis in malum prona ſunt ab adoleſcentia ſua.* Ponamus itaque caſum, Prælatum aliquem ea in opinione verſari, qua ductus aſſerat, ſubditis, ne contriſtentur, permittendum eſſe, quod petunt, ſi apertè malum non ſit, nec legibus repugnans. Tali, inquam, ſi Prælatus inſiſtat opinamento, & ex eius præſcripto hac in materia ſe dirigere velit, tum multa inde ſequi poſſunt abſurda. Inter quæ illud primum eſſe exiſtimo; quia, licèt petitum apertè malum non ſit, nec legibus aduerſans, fieri tamen poteſt, vt vitioſæ propenſioni naturæ noſtræ, quæ ſibi paſſim blanditur, non conducat; quamuis damnum, quod inde ſequitur, non ita ſubitò ſe prodat. Veriſſimum ergo eſt, illud pronunciatum Siracidis ita locuti. *Non omnia omnibus expediunt.* Non cunctæ, quæ vi-

Eccli.37.v.31 dentur res licitæ, omnibus æquè in profectum cedunt. Haud abſimile eſt illud Diui Pauli Apoſtoli in hunc modum loquen-

1.Corinth.12. tis. *Omnia mihi licent, ſed non omnia expediunt.* Non omne, quod non eſt prohibitum, mox cenſendum eſt eſſe permiſſum, & conducibile animæ. Alterum abſurdum eſt, quod Prælatus hoc agendi modo, ſuam ſubditos doceat propriam ſequi volun-

luntatem, ex quo prouenit, vt eam poſtmodùm, cùm ſubijci, & frangi deberet, experiantur rebellem, ſapiente atteſtante, qui ait. *Qui delicatè à pueritia nutrit ſeruum ſuum, poſtea ſentiet eum contumacem*. Qui à teneris vnguiculis delicatè habet ſeruum ſuum, cum tempore comperietur ipſum iuſſis ſuis parere nolentem. Præterquam quod iſtá petitis annuendi facilitas cedat etiam in damnum obſeruantiæ legum, quibus quiſque pro ſuo ſtatu tenetur, In confeſſo eſt enim, illos in partibus ſuis explendis plus difficultatis ſentire, qui appetentijs ſuis laxare habenas, propriæque voluntati concedere, & indulgere pro conſuetudine habent, eſto, id fiat in rebus ex genere ſuo omni nudatis malitia. Abſurdum ordine tertium eſt, quòd malum non raró in ſcenam prodeat larua boni obtectum, vt nobis imponat, & malitiam ſuam, ne cognoſcatur, abſcondat. Idcircò non facilè iudicandum, & pro bono illud omne habendum eſt, quod primo intuitu non æſtimatur, vt malum, ſed matura inſpectione, atque examine oportet nos ipſi laruam retrahere, illud Sapientis effatum non tradentes obliuioni, quo dicitur. *Eſt via, quæ videtur homini iuſta, nouiſſima autem eius deducunt ad mortem*. Eſt via quæ ſub initium recta eſſe videtur, in progreſſu autem ita tortuoſam ſe prodit, vt extrema eius inducant ad interitum vitæ. Poſtremum, quod ex facili poſtulatorum conceſſione exiſtit, abſurdum eſt, quia communi ſcripturarum conſenſione compertum eſt, indubitatam teſſeram eſſe, qua liquidò cognoſcitur, aliquem eſſe derelictum à Deo, ſi cuncta ad votum habeat, & nihil eius denegetur petitibus, ita vt nullus inueniatur, qui appetitibus ipſius ſe opponat, aut contradicat. Huius rei teſtem ipſemet Deus ſe facere dignatus eſt vatis regij ore ita locutus. *Dimiſi eos ſecundùm deſideria cordis eorũ, ibunt in adinuentionibus ſuis.* Hoc tam formidabili derelictionis ſupplicio referunt acta Apoſtolorum, eſſe animaduerſum in gentes. *Dimiſi omnes gentes ingredi vias ſuas*. Quando enim facilè poſtulationes explentur, ac voluntati, appetitui, quod permiſſum, & licitum videtur, conceditur, tum ad curſum habenæ laxantur, & facilè quis ad illicitá prolabitur. Quamobrem prudentes, Zelumque Dei habentes Antiſtites non facilè permittunt, quod petitur, præſertim, ſi ſit aliquid, quod inter commoditates, recreationes, auocamenta, & exitus è domo, vel res cum eorum inſtituto non multùm patibiles, connumerantur. Omnes ſanctimonia, & pru-

Prou.29. v.21.

Prou.14. v.12.

Pſal.80.v.13

Actor.14. v.15.

Digitized by Google

& prudentia clari rectores, potiſſimùm verò ordinum inſtitutores hanc inſiſtere agendi viam, prout de ipſis litteris conſignatæ fidem hiſtoriæ faciunt. Quorum tamen ſi nobis non ſuperent exempla, illud ſolum Diuiniſſimi Seruatoris Ieſu Chriſti ſatis exiſteret, qui licèt ipſa dulcedo, & benignitas eſſet, in non raris tamen occaſionibus, & licitis quidem non annuit, nec fecit ſatis voluntati, & placitis æque diſcipulorum, ac aliorum conuerſantium ſecum: intermina enim ſapientia ſua præuidebat poſtulata, ſi concederet, conducibilia non fore, ſiue hoc eſſet ratione periculi, quamuis remoti, quod poterat ſubeſſe, ſiue habitudinis cauſa, quam in eorum ſingulis pernoſcebat, vel denique propter alias huiuſmodi rationes, & hoc agendi modo vſus eſt in diuerſis occaſionibus, quarum illa eſt vna, qua quendam noluit voti compotem facere, qui ipſius cupiebat accenſeri diſcipulis, cui poteſtatem nonfecit, vt ſuum priùs, quod petebat, tumulo mandaret parentem, tametſi res iuſta, & pietas admodum congrua videretur. Nec ad alterius ſe flecti permiſit rogatus, qui, cùm ſe obtuliſſet ad ipſum ſequendum, petebat, vt hoc ſuum conſilium priùs aperiret ſuis Patri, & Matri. Quamuis autem hæc ambo orata res viderentur adeò iuſtæ, ac conſonæ rationi, ea tamen neutiquam rata habere, vel concedere voluit: quia iuxta arbitratum magni Baſilij perferre non poterat, vt hi, qui deputabantur pro regno Cœlorum à ſua ſancta ſocietate, ſacroque influxu, etiam tam breui temporis ſpatio, quale illud erat, ſe abſentarent, ne in aliqua re cœleſtis vocationis dignitatem minùs condecente, ſe, ſuamque figerent mentem, perque rerum terrenarum, & pereuntium cogitatum cor ſuum abiectum, & ignobile redderent. Qua de re ita ſentire Baſilium Magnum, ſunt hæc eius verba pro teſte. *Aliqui, quæ vterque rogabat; rationi maximè conſentanea eſſe videbantur, ac iuſtiſſima, ſed neutiquam ea Saluator probauit, neque vel ad punctum quidem temporis ſeiungi ab ipſo cæleſtis regni alumnos permiſit, ne ſublimi illa, & cæleſti animi elatione humiliùs aliquid vel facerent, vel cogitarent, mente in rerum terrenarum. fragiliumque cogitationum depreſſa, & accliui.* Ille etiam agendi modus hoc loco in rem noſtram faciens, dignus eſt obſeruatu, quo Chriſtus Dominus cum ſuis vſus eſt diſcipulis. Poſtquam enim ex binis piſcibus, & quinque panibus ſupra quinque millia hominum in deſerto cibauerat, tum poſt patratum hoc miraculum, adegit diſcipulos

S. Baſilius in conſtit. monaſticis cap. 21. ad med.

pulos

pulos incomitatos, inuitos nauem conſcendere, factum refert Euangeliſta Matthæus his verbis. *Et ſtatim compulit Ieſus Diſcipulos aſcendere in nauiculam, & præcedere eum trans fretum, donec dimitteret turbas.* Vbi Doctores Dalmata, & Bizantinus aſſerunt, cauſam, propter quam diſcipuli hac in occaſione ægrè parebant, fuiſſe magnum, quo erga ſuum diuinum ferebantur magiſtrum, amorem, ratione cuius non parùm ſentiebant, quod ab eo etiam per breue temporis ſpatium ſeparari deberent. Licèt autem tam deſiderium, quo tenebantur, quàm cauſa, qua mouebantur, honeſtiſſima forent, vtraque tamen, etiam ſimul iuncta, tantùm non potuere, vt ipſis gratificaretur, & votis ipſorum annueret. Aliam verò huius cum diſcipulis ſuis Chriſti Domini actionis aſſignat Hugo Cardinalis cauſam, dum ſuper hunc locum ſcribens ſic inquit, *Compulit quaſi vi, quia imbecillis eſt natura ad contemnendum poteſtatem, vt dicit Tullius.* Opinamentum ergo huius purpurati interpretis, eſt, rationem, qua Chriſtus Dominus inductus eſt, tanto cum diſcipulis vtendi rigore, fuiſſe: quia paſtus ille populus in animo habebat, ipſum ſibi aſſumendi in regem. Metuens ergo prouidentiſſimus Dominus, ne fragilitas diſcipulorum, dum perciperent rem de honore agi, obijcerentur periculo, neue ipſi mouerentur, vel tentarentur ſtudio, & appetitu honoris, cautè diſpoſuit, vt ſe retraherent inde, & quaſi per vim à ſua perſona recederent. Quod autem hac in materia omnem admirationem ſuperat, eſt, quòd prudentiſſimus Dominus, nec cùm ſua dilectiſſima mitius egerit matre, vti ex facto in nuptijs Cana Galileæ compertum eſt, vbi, quod Ipſa ſumma cum animi modeſtia orabat, non illico conceſſit, licèt quid charitati conſonum, & tandem concedere placitum fuerit, imò è contra, ſaltem ſpecie tenus, ei ſatis ſiccè reſpondit, vt coram exiſtentes non fugeret, vel quòd humanis non moueretur reſpectibus, vel quia non ſatis adhuc de indigentia vini conſtabat, vel quia tempus opportunum patrandi miraculi nundum aduenerat (prout ex Sancto Chryſoſtomo licet colligere) vel denique, quia præſtolabatur, vt pro eadem re vniter ab omnibus præſentibus inſtaretur.

Matth. 14. v. 22.

Hugo Card. in hunc loc.

Ioan. 2. v. 4.

S. Chryſoſt. in c. 2. Ioannis

§. &

§. & Conſilium V.

Agitur de alio extremo, quod eſt nulli petenti ad votum eſſe, nec ſubditis etiam id, quod ex ratione eſt, concedere.

ALterum extremum, in quod Prælatus ſe impingere poteſt eſt, ſubditis nihil, quòd petunt, concedere, ſed propemodum omnia, tametſi licita, imò quandoque neceſſaria ſint, negare, Hoc extremum plurimùm dedecet ad clauum ſedentem. Prælatus enim, cùm inſtar matris (Diuo Bernardo teſte) erga ſubditos ſuos ſe gerere debeat, tenetur erga eos habere viſcera charitatis, ipſique cura habenda eſt de bono ipſorum, tam ad corpus quàm ad animam pertinente, vt hac ratione, & modo agendi eos Ieſu Chriſto conformes efficiat. Audiat & bene apud ſe expendat lector melliflua Doctoris Melliflui verba mel diſtillantia in hunc modum. *Matres fouendo, Patres vos corripiendo exhibeatis. Manſueſcite, deponite feritatem. Suſpendite verbera, producite vbera, pectora lacte pingueſcant non typho turgeant.* Hac ratione ſe geſſit Paulus Apoſtolus cum ſuæ diſciplinæ ſequacibus, quod non obſcurè ex vocabulo conijci, poteſt, quo ipſos nominabat filiolos; vtebatur autem hac tenera, amoriſque pleniſſima, ac matribus conſueta compellatione, vt ipſis exprimeret animi ſui promptitudinem, quo cupiebat ipſis de nouo poſſe conferre, tametſi ſubeundi eſſent eius formæ dolores, quales puerperæ patiuntur, quos eouſque perferre paratus erat, donec ipſos Ieſu Chriſto procreaſſet conformes. *Filioli mei, quos iterum parturio, donec formetur Chriſtus in vobis.* Alio præterea affirmat loco, ſe ipſos genuiſſe, & opera doctrinæ Euangelicæ eſſe incorporeum impertiuiſſe. *In Chriſto Ieſu per Euangelium ego vos genui.* Ex quibus inferre licet, quòd ſicut humanus Pater, & amabilis Mater ſuis omne permittunt filijs, quod in iuſtam animi cedit expletionem, & ex altera parte obeſſe, aut damnum aliquod inferre non poteſt, ita Prælatum erga ſubditos ſe gerere decet. Tenetur inſuper ſuperior partes nutricis in ſe ſuſcipere, & obire, quæ, quidquid nocere non poteſt, puellulo, quem nutrit, permittit, ducta amore, quo erga ipſum afficitur. Si Theſſaloni-

S. Bernard. ſer. 23. in Cantic. poſt. princ.

Ad Galat. 4. v. 19.

1. Cor. 4. v. 15.

lonicenſes hanc nutritiam charitatem in Magiſtro gentium non fuiſſent experti, tum ipſe nunquam auſus fuiſſet, ad eos ſcribere in hunc modum: *Facti ſumus paruuli in medio veſtri, tanquam ſi nutrix foueat filios ſuos.* Mores indui paruulorum, veſtræque me accommodaui infantiæ, & inſtar nutricis me geſſi vobiſcum, quæ in more habet, ſuo ſe conformare, quem habet, puerulo, & quidquid ipſi acceptum aduertit, id totum concedit, præſertim ſiquid ſit, quod ipſi bono vertit. Ad huius dilucidationem textus ſcribit Diuus Thomas ſequentia verba. *Tanquam nutrix, quæ ſcilicet condeſcendit infanti, balbutiendo ei loquens, vt puer loqui diſcat, & in geſtibus ei etiam condeſcendit, omnibus omnia factus ſum & cæt.* Quemadmodum nutrix balba locutione aſſumpta imitatur paruuli ſui loquendi modum, vt ipſum inſtituat bene loqui, & ad eius mores, omnes ſuos, quod licet, mores conformat, vt ipſum contentum præſtet, ita ſe cum ſuis gerebat Paulus diſcipulis, & quidquid poterat, permittebat, vt omnes Ieſu Chriſto adiungeret, & lucrifaceret. Ad extremum intentè pariter in eam curam incumbendum eſt Prælato, vt dominium obtineat ſuper corda ſubditorum ſuorum, eaque ipſi vtendum tractandi animos dexteritate, vt amorem omnium ſibi conciliet, & adſciſcat, caſu, quo velit (vt par eſt) comiter, & vtiliter regere. Hoc conſilium eſt ex melleo Doctoris Melliflui penu depromptum, vtì videre licet in ſupra allegato loco, vbi ſic inquit. *Diſcite, ſubditorum Matres vos eſſe debere, non Dominos. Studete magis amari, quàm metui.* Tam diu verò permanet atque perdurat hic amor, quàm diu bene facta continuant: Sicut enim ignis extinguitur, ſi illi materia ſubtrahatur, ita flamma amoris intercidit, ſi iugibus beneficijs non increſcit, vti experimento compertum eſt; ad lucrandos enim malè affectorum animos nuſquam gentium potentius extat medium, quàm ipſi pro poſſe facere bene. Ita nobis Diuus Paulus vult ſuaſum in hæc verba locutus. *Si eſurierit inimicus tuus, ciba illum ſi ſitit, potum da illi: hoc enim faciens carbones ignis congeres ſuper caput eius.* Si aduerſarius tuus cum fame luctetur, porrige ipſi cibum ad manducandum, ſi ſiti vexetur, da ad bibendum, hac enim ratione capiti eius carbones ſuperinijcies, quòd eſt dicere, prouocabis ipſum ad te amandum. Vt Prælatus liberè negare poſſit ſubditis res non expedientes ipſis, licet cæteroquin boni ſpeciem præſeferant, permittat ipſis alias, in quibus

Ad Theſſal. 2 v. 7.

D. Th. in 1. Corinth. c. 9.

S. Bern. vbi ſupra parum antea.

Ad Rom. 12. v. 12.

Digitized by Google

nullum ſubeſſe poteſt periculum. Si difficultas, quæ in religioſorum ſolet eſſe regimine, penitiùs inſpiciatur, tum ſatis ratione quis aſſequi poteſt, eam in hoc potiſſimùm conſiſtere, quod præfata duo extrema non bene perſpecta habeantur, atque de ijs, non, vt par eſt, formetur, & feratur iudicium. Hæc namque damna iam quaſi in more poſita ſuam exinde trahunt originem, quod à medio tenendo, de quo agimus, recedatur. Ad admouendum autem huic malo remedium, noſſe oportet, Patres ipſos, qui tradunt has regulas, inter ſe variare, ita vt aliqui dicant, tale eſſe cauendum extremum, alij è contra ſuadeant, euitandum eſſe contrarium. Quapropter ſi illorum regulæ non teneantur bene, tum ex ijs ſiniſtrè, & perperam intellectis ab inſincerè regentibus deſumitur argumentum, quo ſuam in regendo imprudentiam magis confirment, atque propugnent. Ratio eſt: quia eadem illa opera, quàm in adaugendis vtriuſque extremi damnis Sacri eo fine poſuere Doctores, vt nos ad ea cauenda, & fugienda inducerent, præbet malè comparatis occaſionem permittendi ſe trahi ad id, quod eorum ingenio, ſpiritui, amori proprio, & habitudini de præſenti magis arridet. Hoc autem prætextum, & obtentus (quorum vitio naturæ propenſio, & cuiuſcunque ingenij conſtitutio ſuperno influxu, & cœleſti lumine orbæ probas gubernij inuertunt regulas, eaſque ſuo adaptant modo, & genio) talis ſunt conditionis, vt plerumque in lapſum; & errorem inducant, & quò minùs taliter conſtituti viri errorem ſuum agnoſcunt, ac naturæ ipſorum conditio ad vnum ex his extremis magis propendet, eò maiore tenacitate innituntur, & adhæreſcunt ſuo ſenſui, aliorumque aſſertis, modiſque ratiocinandi, quæ pro ipſis facere videntur.

Iam ex dictis conficere licet, illos ſolos eſſe veros, & vtiles Prælatos, qui omni allucinatione (quantùm humana permittunt) Superiores, veram rerum comparauere notitiam, atque infimul continenter orationi, & abnegationi ſui ipſius operam dantes, Sanctorumque, ac in vera perfectionis apprimè verſatorum hominum conſilijs, & exemplis ſe conformantes, didicere veras à falſis, & veri ſpeciem ſolummodo præſeferentibus diſcernere rationes, varijſque adinuentis, & argutis, ac ſubdolis modis laruam detrahere, quibus vijs natura noſtra corrupta plerumque ſeipſam quærere contendit, quando ad extrema, vbi ſuum inuenit paſtum, conuertitur. Ex præhabi-

Digitized by Google

tis, inquam, inferri poſſe affirmo, tales, vt modo deſcripſimus, eſſe veros, & vtiles Rectores Monaſticos. Hi enim ſoli habent heroicos, & ab omni proprio quæſtu alienos, ac paratos ad illa omnia ſine exceptione animos, quæ pro veritate, rebuſque maiorem perfectionem promouentibus, tàm tuendis, quàm conſeruandis ſeſe offerunt, perferenda, ac proinde præter tales ſunt haud alij, qui Sanctorum, quæ de modo ad perfectionem perueniendi, tradidere præcepta, eo, quo ipſi intellexerunt, & executi ſunt, ſenſu interpretantes, & opere implentes, ſcitè norunt duo ſupradicta declinare extrema.

Hi enim perinde, ac Sancti ſunt facti, & comparati ad potiundum cælitus tam præclaram prudentiæ ſpeciem, ac talem de rebus ad nos, alioſque ſpectantibus iudicandi modum, qui cunctis hominum votis, & optatis ſit ſupereminens, & tranſcendens.

Ad confirmationem huius opportunè occurrit illud tritum dictum, quo aſſeritur, opus eſſe, vt ille, qui boni Prælati aliorumque Magiſtri munere fungi deſiderat, ad perfectionis gradum priùs debeat eſſe euectus, ac prudentia, vtpote virtute rectoribus propria, & prorſus neceſſaria multùm ſpectabilis, omniſque proprij commodi neglectu perquam conſpicuus, in quo tanquam vnico noſtrorum vitandorum extremorum remedio Paulus Apoſtolus omnium Præſulum, & Paſtorum animarum exactum exemplar nemini concedebat. Non mirum ergo, quòd hac de re aliquoties in epiſtolis ſuis non vanitatis, ſed honoris Deo dandi ergo fuerit gloriatus. Operæ pretium, & animaduerſione hic dignum eſt, ſigna, ex quibus certò cognoſci poteſt, vtrum aliquis hæc duo extrema ſatis calleat, & cautè euitare ſciat, alia non eſſe, quàm ipſos gubernij effectus, & fructus: his enim in certam notitiam deducimur, qua diſtinguere poſſimus, quodnam ſit bonum, vel malum gubernium, non ſecus, ac ex fructu fertur iudicium, an arbor ſit ferax, vel infœcunda, & inutilis. Soli autem illi Rectores producunt bonos gubernij fructus, qui ſui ipſorum obliti, illa ſolummodo cum Apoſtolo curant, & quærunt, quæ ad promouendam animarum ſalutem magis conducere poſſunt; qui ſimiliter difficultates in Præfecturæ munere, illo præſertim, vbi ſollicitiùs ad perfectionem contenditur, plerumque obuiantes non fugiunt, ſed corde aggrediuntur heroico, ac viriliter amplectuntur, ſuam in diuino ſpem reponentes auxilio, cunctiſ-

Digitized by Google

que laboribus, & arduitatibus, quæ intercurrere poſſunt, ſe exponentes. Pro firmamento dictorum egregiè deſeruit illa
Io.10.v.11. definitio, quam Chriſtus Dominus de bono ſic inſit. *Bonus Paſtor animam ſuam dat pro ouibus ſuis.* Siquis bonus ſit Paſtor tum vitam exponit pro ouibus ſuis, omnes Sancto aggrediens zelo difficultates, vigilias, atque labores, qui in profectum earum ſunt impendendi. Illum verò deſcribit non eſſe, nec imitari verum Paſtorem, qui refugit difficultates, ſuaſque de-
Ibidem. ſerit oues, lupique permittit arbitrio. *Mercenarius autem, & qui non eſt Paſtor, cuius non ſunt oues propriæ, videt lupum venientem, & dimittit oues, & fugit, & lupus rapit, & diſpergit oues.* Talis ſiquidem ſuam, licet in ſuarum perniciem ouium, falſam quærens pacem ſe retrahit, ſuumque corpus difficultatibus eximit, omniaque grauia per fraudem, & aſtutiam, vt commodè viuat, in leuia conuertit. Ah Deus bone, quam facilè Prælati ſuorum, ſuarumque communitatum damnorum radicem aduerterent, ſi redeuntes ad ſe ipſos niterentur ſcire, quàm frequenter, vel irrationabili, & immodico alicuius priuati detrimenti timore, vel proprij emolumenti ſtudio ſe abripi, & mancipari permittant, qui tamen affectus ſalutaria definita, & concluſa ad ſacrum ſubditorum, & communitatis bonum neceſſariò requiſita eneruant, & penitus infringunt; quod eſt damnum, ſiue malum adeò ſubtile, & occultum, vt ille ipſe, cuius intereſt, & nocet, id non aduertat.

§. & Conſilium VI.

In quo nonnullæ traduntur regulæ præſcribentes modum quo tenendum eſt medium, vt in danda religioſis ſatisfactione, & conſolatione tam parcitas, quàm ſuperfluitas euitetur.

STabilito ſemel prudentis Prælati officium eſſe, ſingulari cura illa duo, quæ hic ſupra tetigimus, euitare extrema, ſupereſt modo dare aliquas regulas, quæ ipſi vſui eſſe poſſunt ad medium tenendum, in cuius ſequela bonum, ac vtile conſiſtit gubernium. In quem finem ante omnia pro certo ſtatuendum eſt, opus eſſe, vt ad tria præcipuè ſuos aduertat animum, & ocu-

Digitized by Google

& oculos Prælatus. Primum ad ſalutem animarum, & vniuerſim, & priuatim, quæ ſcopus eſt, ad quem ipſius officium potiſſimè deſtinatur. Deinde ad leuamentum, & ſolamen, quæ quis priuatim petit, vel ſi modeſtiæ, aut puſilli animi cauſa non petit, ijs indiget ſaltem.

Antequam autem Prælatus ſimilium rerum faciat gratiam, priùs accuratè diſpicere debet, vtrum expenſis maturè omnibus, quæ in ſimili caſu intercurrere poſſunt, circumſtantijs, gratia, quæ petitur, cedat in bonum animæ ſubditi petentis. Poſtremò ad damnum, vel vtilitatem, quæ inſtituti, & legum eius habita ratione, reliquæ communitatis parti afferri poſſunt; ſi animi laxamentum, & ſolamen, quæ petuntur, ſupplici concedantur; conſolationes enim, & temporalia animi curarumque auocamenta debent cuiuslibet hominis ſtatui, in quo viuit, eſſe commenſa, non ſecus, ac quælibet bene ordinata, ac gubernata religio ſe conformare tenetur modis temporalium recreationum in eam iam introductis, & vſu receptis, per quas rigor diſciplinæ religioſæ nonnihil temperatur, & obſeruantia regularis toleratu facilior redditur.

His itaque præmiſſis ſit hæc prima ordine regula. Quotieſcunque ſine damno, & violatione boni, ac perfectionis tam communi, quàm ſpecialis religioſus aliquis ſolari poteſt, & permiſſu rei æqua ratione petitæ eius ſatisfieri deſiderio, tum dignum, & iuſtum eſt, vt Prælatus id faciat. Ex hac enim gratificatione bonam arguet ſubditus voluntatem, & affectum, quo Prælatus erga ipſum propendet, & inducetur ad ſuum Superiorem magis amandum. *I. Regula.*

Vt autem ſenſus huius regulæ meliùs percipiatur, ſtylum ad ſingularia inclino, & aſſero, Prælatum teneri ex officio, vt toties, quoties indigentia ſuadet, & poſtulat, ſuis ſubditis ſuccurrat, ſiue poſtea indiguerint congruente inſtructione, ſiue bono conſilio, ſiue ſereni vultus oſtenſione, bene affecti animi indice, ſiue denique humana, & amicabili conuerſatione. Incumbit Prælato ſuis ſubditis in cunctis neceſſitatibus proſpicere, & ſubuenire, ſiue eas patiantur ſanitatis, ſiue infirmitatis, ſeu conualeſcentiæ tempore, & quia ſimilium rerum prouiſio omnino eſt neceſſaria, debita, & non ſolùm pro conſeruatione boni communis, & opus habentis, ſed etiam ad conſolationem cæterorum multùm conducens; idcircò tenetur Prælatus ſe in hac diſpenſatione non parcum, ſed liberalem oſten-

oſtendere: hoc enim agendi modo animantur communitates ad alacriter in ſeruitio Dei pergendum,& ſatisfactionem exinde percipiunt, obligatur ſimiliter Prælatus dare ſubditis lubenti animo, bonoque ex corde recreationes, tam ordinarias, quàm extraordinarias pro modo inſtituti, quod ſectantur præſcriptas.

Solerter denique cauendum Prælato, ne ſuos ſubditos factu arduis obedientiæ grauet operibus, quibus faciendis ipſos iudicat impares, ſiue hæc impotentia proueniat ex defectu virium naturalium, ſiue naturam ſupergreſſarum. In his itaque omnibus, & pluribus alijs talis conditionis rebus tenentur Prælati ſuis ſuccurrere ſubditis, Patriſque ſolliciti, & condolentis Matris agere partes, monſtrando ſe in hoc admodum accuratos, vt, dum in alijs, quas petunt, non neceſſarijs rebus, nolent ipſis ſatisfacere, neque eorum poſtulatis annuere, nihilominus contenti maneant, & firmiter credant, aliud per hoc non quæri, niſi maius ipſorum bonum, & perfectam obligationum, quas habent, obſeruantiam. Habemus huius in regendo vſurpati modi manifeſtum in Apoſtolo Paulo exemplum, qui ſuis ſuadet Corinthijs, ne quemquam offendant, ſed omnibus, quoad licet, placendi operam nauent, vt autem, quod ſuadet, perſuadeat, proponit ſe ipſis in exemplum his verbis. *Si-*
1. Cor. 10. v. 33. *cut & ego per omnia omnibus placeo, non quærens, quod mihi vtile eſt, ſed quod multis, & ſalui fiant.* Perinde ac ego in quacunque occaſione vniuerſis pro mea parte placere ſtudeo, nec meum compendium, vel propriam vtilitatem, ſed omnium quæro, vt ſalutem conſequantur, ita deſidero, vt quemadmodum ego facio, ita & vos faciatis. Nequis autem falſa opinione deceptus arbitraretur, Apoſtolum fidelibus in rebus omnibus, quæ arridebant, voluntati eorum, generatim ſtuduiſſe placere, continuò ſe explicauit, qua in re hæc ſua fuerit ipſis placendi voluntas, in eo ſcilicet, quod ipſis cedere poterat in animarum vtilitatem, quod per hæc eius verba ſatis conſtare vi-
Ibidem. detur, quibus ſic inquit: *Vt ſalui fiant.* Quorum verborum genuinum ſenſum reddit Diuus Auguſtinus in hunc modum.
S. Aug. tom. 4. in expoſit. ep. ad Galat. c. 1. *Nulli autem prodeſt, vt ſaluus fiat ſi homo ei propter ſe ipſum placeat, qui non placet vtiliter, niſi cùm propter Deum placet, id eſt, vt Deus placeat, & glorificetur, cùm dona eius attenduntur in homine, aut per miniſterium hominis accipiuntur: cùm autem ſic homo placet, non homo, ſed Deus placet.* Placere proximo nihil conducit ad ſalutem,

lutem, ſiquis illi placere ſtudeat amore proprij emolumenti inductus, & ſolius priuatæ ſatisfactionis habita ratione, qui verò ipſi placet, Deo placendi gratia, quod eſt dicere, vt proximus placeat Deo, eius gloriæ promouendæ cauſa, tum hoc non eſt placere homini, ſed Deo, cui, vt homo placeat, per ſtudium placendi homini procuratur. Hoc itaque modo placere proximo conducit, & proficit ad ſalutem, & ad fratris noſtri animæ vtilitatem, adeò vt ſollicitudo, quam Apoſtolus habebat placendi fidelibus, non fuerit ad ipſis promiſcuè concedendum, & permittendum, quaſcunque res licitas, ſed ex temporalibus illas ſolummodo, quæ vſui eſſe, & aliquid conferre poterant ad animarum profectum. Idem Apoſtolus cunctorum in Chriſtum credentium vniuerſalis Magiſter volens Quirites huius etiam Sancti conſilij eſſe ſequaces, his ad eoſdem hoc ſuadendi gratia vſus eſt verbis. *Vnuſquiſque veſtrum proximo ſuo placeat in bonum ad ædificationem.* Quilibet veſtrum placeat proximo non in malum, ſed bonum, quod tamen tale ſit bonum, vt vſui eſſe poſſit pro ædificatione animæ eius. Vbi Apoſtolus curam placendi, & gratificandi proximo ea moderatur conditione, vt ipſam quidem in bonis fieri velit rebus, non tamen in omnibus bonis, ſed ijs præciſè bonis, quæ aliquam vtilitatem conferre, & vſui eſſe poſſunt ad augmentandam in anima proximi fidem, & charitatem, prout iam iam referendus aduertit peropportunè Angelicus Doctor: frequenter enim contingit, dari res aliquas, quæ ex natura ſua ſunt bonæ, ſed non conducunt ad bonum animæ cuiuſcunque. Hanc Diui Thomæ animaduerſionem declarat hic verborum eius contentus. *Vnde ſubdit, ad ædificationem, id eſt, propter hoc, quod aliorum voluntati condeſcendentes ipſi ædificentur in fide, & dilectione Chriſti.* Ad vnum tamen hoc in loco animum curioſè aduertere oportet, & eſt, quod iuxta hunc (cuius in hac regula ſit mentio) poſtulatis acquieſcendi, & ſatisfaciendi modum Prælato non ſit vſurpanda æqualis erga omnes agendi ratio: imbecillis enim, & minùs in virtute progreſſis, cùm magna infirmitatum ſatis moleſtarum, quas habent, tolerantia permittendæ nonnunquam ſunt res, quas meliùs comparatis, & in via vitæ religioſæ longiùs prouectis concedere, aut permittere non conueniret, nec expediret. Modum autem agendi, qui Prælatis Eccleſiæ cum debilibus eſt vſurpandus, præſcribit Paulus hiſce verbis. *Debemus autem nos firmiores imbecillitates*

Ad Rom. 15 v. 2.

D. Th. in hũc locum.

Rom. 15. v. 1.

Digitized by Google

litates infirmorum ſuſtinere, & nobis placere. Nobis, qui fortiores eſſe obſtringimur, incumbit patientes ferre, & aliquid indulgere imbecillitati debiliorum nulla habita ratione priuati compendij, propriarumque commoditatum. Qua ratione loquendi oſtendit, & tradit tantus gentium Doctor modum ſpecialem ac talem cum huius formæ miſellis in regimine obſeruandum qualem eorum commiſeratione digna conditio, & neceſſitas ex æquo poſtulat, & requirit.

Regula II. Secunda ordine regula eſt. Quando ſubditi non contenti rebus in prima tactis regula volent, & petent res præter morem, & aliàs non conſuetas, tum Prælatus perdiligenter apud ſe diſcutiat, vtrum huiuſmodi res ſint contrariæ bono communi, vel alicuius religioſi priuati, ſi tales eſſe aduertit, vel anceps hæſerit, ne tales forſitan ſint, tum nullo modo eas permittat, aut concedat: ſunt autem multæ huiuſmodi res, quæ licèt expreſsè non ſint lege prohibitæ, ſi tamen inſpiciantur bene, tum contueri licet, eas plerumque aliquibus regularis diſciplinæ ſcitis aduerſari, puta, vel receſſui cellæ, vel abnegationi religioſæ, vel ſaltem ſenſim inducunt ad defectus prædictis, vel alijs obſeruantiæ articulis contrarios committendos. Hoc non niſi illis facilè pateſcet, qui ſpeciali Dei lumine illuſtrati compertum habent, quantùm inconſultè, & maturo prætermiſſo examine ad votum fuiſſe, ac placitis, & appetentijs ſubditorum ſatisfeciſſe, offecerit perfectæ trium votorum ſubſtantialium obſeruantiæ, in qua tamen vera abnegatio Euangelica, ac ſana, & religioſa pronunciata, quæ ſunt orationis, & ſolidæ renunciationis fructus, imbibuntur. Qui enim ſatis tenet, quàm ſint res delicatæ, paupertatis, caſtitatis, & obedientiæ vota, nec non orationis, & auſterioris vitæ ſtudium (ſiquis ijs non perfunctoriè ſed exactè ſatisfacere concupiſcat) hic, inquam, hoc bene cognitum habet, is ignorare etiam non poterit, quàm facili negotio ea lædi, & damno affici poſſint ratione abuſuum, qui ex phantaſticis ſubditorum cupiditatibus procreantur, & contra prædicta exercitia, pro dolor, non rarò introducuntur. Et ſi Prælati non habeant firmum animum, qui omnino neceſſarius eſt ad huiuſmodi deſideria, quæ cum perfectione ſtare haud poſſunt, non explenda, tum nec Deo, nec Religioni cenſebuntur fideles, prout conſtat ex verbis Apoſtoli ſuper hoc argumento ita

Ad Galat. 1. v. 10. pronunciantis. *Si adhuc hominibus placerem, Chriſti ſeruus non*

eſſem

Digitized by Google

eſſem. Si ſatisfacere vellem hominibus, Chriſti ſeruum non agerem, nec munus meum ritè obirem. Ex præſcripto ergo Diui Bernardi votis, & placitis ſubditorum ita eſt ſatisfaciendum, vt nimia facilitas nec nobis, nec ipſis poſſit eſſe cauſa ad lapſum. Cæterùm ſi ad horum cœtuum regulas, ſtatuta, bonaſque conſuetudines (caſu quo adhuc in ſuo flore permaneant, & prout par eſt, intelligantur) attendatur animus, tum ſat luminis ſufficitur ad iuſta auocamenta, & ſolatia dignoſcenda, quæ Prælati ſuis ſubditis ſine vllo damno boni communis permittere poſſunt, & debent, dummodo inter ordines facere non negligant debitam diſtinctionem: quia licèt in cunctis ordinibus tria vota ſubſtantialia, abnegationem ſui ipſius, internumque cum Deo tractum ſit admodum difficile conſeruare, è contra verò perquam facile ipſis quadantenus nocere, in illis tamen nihilo ſecius ordinibus, qui ad aſſiduum cellæ receſſum, orationis ſtudium, & ad arctioris vitæ rationem viuere tenentur, maior intendenda eſt cura non permittendi ſubditis eas recreationes, & animi laxamenta, quæ ſenſuum, animique collectioni poſſent officere, & impedimento eſſe continenti orationis, & contemplationis exercitio.

Congruenter ad præmiſſa loquendo pro tertia ſtatuenda aſſerendum eſt regula, in illo inſtituto, quod magnam profitetur perfectionem, Prælatos, & ſubditos ſtrictiùs obligari, ad non admittendam rem aliquam, ſit demum tam modica, ac eſſe poſſit, quæ Sancta exercitia ibi vſu recepta imminuere, aut impedire valeat. Pro noſtra verò Religione eſt ſingulariùs aduertendum, quòd cùm auocamenta, quæ communiter quæruntur, conſiſtant in nimis frequente è conuentu exitu, vel in conuerſatione, quam domi, foriſque cum ſecularibus habere cupiunt, & inquirunt, vel in mutua cum amicis, & propinquis communicatione, aut alijs ſimilibus rebus, quæ notabiliter obſunt cellæ receſſui, ſilentio, orationis ſtudio, ad quæ nos præ alijs ſtrictiùs obligamur. Idcircò in noſtra religione maior vrget neceſſitas non acquieſcendi, aut ſatisfaciendi appetitibus ſubditorum, ſi hoc facere præfata exercitia impediat. Plura alia ſilentio tranſmitto, quæ licèt expreſsè legibus non ſint prohibita, concedi tamen, aut permitti non poſſunt ex eo capite, quia vel cum animi modeſtia, vel tolerantia, aut alijs virtutibus cohærere non poſſunt, quarum tamen exercitio Religioſis incumbit promouere ſe ad perfectionem. *Regula III.*

Regula IV. nem. Quarta regula pro illis ſolummodo aſſignatur Prælatis, quibus Deus fecit gratiam ſub ſe habendi ita comparatos Religioſos, vt pro amore eius plus cæteris perpeti, & pro ratione inſtituti, quod tenent, ad perfectionem seriò ſe promouere deſiderent. Siquis ergo Prælatus taliter conſtitutos ſub ſe nactus ſit ſeruos Dei, tum incumbit ipſi bonis eorum obſecundare conatibus, & magna cum prudentia ſpiritus operam ſuam conſociare feruenti eorundem deſiderio. Complures Sancti Patres optimis diſciplinis in eremis imbuti, vbi in magnos euaſere viros, hac agendi cum ſimilibus ratione ſunt vſi, conſtat hoc ex relatu Ioannis Climaci, Præſulis in Libani Monte, qui huius regulæ faciens mentionem commemorat vnum illorum in hæc verba locutum. *Sicut crudele eſt ex ore famelici infantis manibus panem rapere, ita & ſeipſum, & operarium lædit, qui animas ſuſcipit regendas, niſi illis coronas, quantas illum ſuſtinere poſſe nouit, horis ſingulis prouidere ſatagit, ſiue per contumelias, ſiue per ignominias, ſiue per abiectiones, ſiue per ludibria.* Quemadmodum inhumanus eſt, qui panem rapit ex ore multam famem habentis, ita Prælatus ſibi ipſi, & alijs immitis eſt, ſi curam non gerat ipſis in ſingulas horas dandi occaſionem tot merendi coronas, quot attentis virtutibus & animi præparatibus prænoſcit ipſos poſſe acquirere, virtutem ipſorum exercendo per defectuum exprobrationes, deſpicatus, viles tractationes, atque deriſiones, tametſi adhuc nullam prorſus dederint cauſam. Aſſignat poſtmodum huius cum ſimilibus agendi modi triplicem rationem, quia ſi hoc modo Prælatus facere non curet, tum imprimis priuat eos merito, & præmio huiuſmodi exercitionis, vel (vt vocant) mortificationis. Impedit deinde profectum, quem alij ex viſa eorum, qui ſic tractantur, & exercentur, virtute percipere poſſent. Poſtremò, nonnunquam illi, qui admodum tolerantes eſſe, multùmque virtutis habere videntur, ſi iſtiuſmodi careant cribrationis beneficio, tum perdunt totum, quod lucrifecere longo tempore, non ſecus, ac terra, ſit tam vbera, & fertilis, ac eſſe poſſit, ſi non colatur, & irrigetur, tum ſpinas, & tribulos germinabit tibi. Legatur Caſſianus lib. 4. Suarum inſtitutionum. cap. 24. & ſequentibus, vbi aliqua, quæ hanc tangunt materiam, adducit exempla, fusè hanc ibi perſequens Regulam. Et quamuis non inficias eam, verum eſſe, feruorem moderno tempore non eſſe ampliùs in eo perfectionis gradu,

Climacus to. 6. Biblioth. in ſcala gradu 4. de obedien. col. 7.

Digitized by Google

du, vt olim, cùm tempora mutentur, & nos mutemur in illis, nihilominùs tamen, ſi Prælati curent cooperari bonæ aliquorum ex ſuis ſubditis voluntati, tum plura forſitan cum gratia Dei, quàm olim fiebant, facere poſſunt. Ad minùs ſemper bonum, & vtile eſt, ſalutari doctrina, firmiſque rationibus corda ſubditorum ad maiorem perfectionem accendere. Obſeruetur tamen circa hanc regulam, eam vniuersè vſurpandam non eſſe, niſi percautè, valde prudenter, & circumſpectè, ac cum illis duntaxat, quos taliter comparatos Religioſos eſſe certò conſtiterit.

Per quintam, & vltimam regulam præſcribitur Prælato, vt ſi bene obſeruare velit, quod in ſupra memoratis dictum eſt regulis, contendat ſe ſpoliare omni vanæ gloriæ ſenſu, priuatiſque commoditatibus, nec curando aliud, quàm purè placere Deo, ſuiſque ſubditis propter Deum, vt hac ratione omnes modo ſupra tacto non ſibi, ſed Deo lucrari valeat. Hæc regula illi indubitato innititur principio, cuius Sanctus Hilarius in rem noſtram facit mentionem, & eſt, quod ille, qui agit aliquid ſolius proprij emolumenti, & commodi habita ratione, communiter vni alteri officiat; quia, quòd vni eſt vtile, alteri eſt obnoxium, & hoc prouenit ex miſera humanarum rerum conditione. Qui verò aliud non quærit, quàm gloriam Dei, ſuæque, & aliarum animarum profectum, neminem lædere poteſt, quia talis ſtudet bono promouendo alterius, ſuo ſaltem temporali, neglecto. Hac itaque ſuper re, vbi Eccleſiæ Doctor Hilarius fecerat mentionem, in fine poſtmodum hæc verba ſubiunxit. *Et hanc eſſe cauſam probabilem placendi cunctis Apoſtolus docuit: quia vtilitatis ſuæ negligens, vtilitati ſe dediſſet alienæ.* Et hic eſt ille modus, quò vult Apoſtolus, vt ad exemplum ipſius omnibus placeamus, & proximi voluntati in rebus licitis obſequamur, qui nullo rei ſuæ, priuatique commodi habito reſpectu, ſimplici, & ſincero corde quærebat bonum alterius. Paſtores, qui ad imitationem Apoſtoli dant operam placendi, ſuiſque ſubditis in rebus, quæ eos veriſimiliter ad maiorem Dei amicitiam prouehere poſſunt, gratificandi, dum nihil priùs habent, quàm ſacrum ouium ſuarum profectum, ſeque omni commodo temporali exſpoliant; idem indipiſcuntur, quod Apoſtolus hac agendi ratione pro gloria Dei, pro ſuo, & ſubditorum ſuorum ſacro profectu eſt conſecutus.

Regula V.

S. Hilarius in Pſal. 52. ad illa verba Deus diſſipauit oſſa eorũ qui hominibus placent.

Illis verò Prælatis, qui regularum, quas dedimus, obſeruantiam negligentes, nec alium finem, quàm proprium commodum ſibi præfigentes, ac illud vnicum, vt ab alijs amentur, & æſtimentur, inhiantes, connituntur animum ſubditorum explere, placitiſque eorum ſatisfacere, id contingit, quod propheta regius longè ante de ſimilibus eſt vaticinatus his verbis. *Quoniam Deus diſſipauit oſſa eorum, qui hominibus placent, confuſi ſunt, quoniam Deus ſpreuit eos.* Vbi per oſſa eorum accipiendæ ſunt animi fortitudo, poteſtas, & auctoritas eorum, quibus prudenter vtendum ipſis fuiſſet in regimine ſuo. Obfirmet ergo Prælatus animum ſuum, talique vtatur in regendo vigore, vt non facilè aſſentiat poſtulatis ſubditorum ſuorum, caſu quo petant recreationes, cibum, potum, confabulationes, conuerſationes, nota, quæ talis conditionis ſint, vt in ordine eorum in morem non ſint introductæ, aut vſu receptæ. Miſſam idcircò faciat Prælatus omnem apparentem, & irrationabilem pietatem, quæ ipſi incitamento eſſe poſſit ad ea, quæ præter morem petuntur, facilè concedenda: quia ſi infracto, & obfirmato ſtet animo non acquieſcendi petitis eorum, caſu quo ſint res cum reformatione eorum haud patibiles, ſacroque animarum progreſſui dantes impedimentum, quod ſi Superior hoc faciat, tum tranſacta negationis occaſione, maiorem ſibi aſtruit reuerentiam, & auctoritatem apud eos, qui ſimilia petiuere, ipſiſque adimit libertatem alia vice res petendi eiuſmodi, & licèt principiò grauatè id accipiant, pauci tamen ſunt, qui dum oculos ſuper ſe retorquent, remque in oratione oculatiùs expendunt, non iudicent bene factam negationem, & non dignoſcant, Prælatum animum, & oculos aduertiſſe ad profectum eorum, ideoque muneri ſuo ſatisfeciſſe. Quin imò non rarò contingit, vt ſubditi conquerantur, & ægrè ſe ferre clam non habeant, ſi Superiores hoc firmo animo, & libertate non vtantur, prout magnus Libani Abbas Climacus animaduertere non neglexit in hæc ſuo tempore verba locutus. *Qui verò ſecundùm apparentiam in benignitate, & condeſcenſione talibus indulgentiam donat, in tempore exitus facit ſe miſerabiliter maledici, ſicut qui eos magis ſeduxit, & non profectus vtilitatem fecit.*

Pſal. 52. v. 6.

Climacus to. 5 Biblioth. de officio Paſtoris prope fin.

Contra Prælatos ergo iuxta mentem huius Abbatis, qui ſe plures æquo pronos, & faciles ad concedenda, quæ perſequimur, petita monſtrarunt, vbi ſuis ſunt defuncti officijs, lin-

guæ

guæ laxantur in murmura tanquam de perſonis, quæ ſuæ communitati plus detrimenti, quàm vtilitatis attulerint. Inter alia verò damna, quæ viri huic obnoxij vitio inferunt, illud etiam vnum eſſe exiſtimo, quod reddant futurum regimen perquam oneroſum, atque difficile, pro illis præſertim ſucceſſoribus, qui excelſitate animi præditi, omni proprio quæſtu generosè contempto ad ſolam ſui inſtituti, & ſubditorum ſuorum bonum reſpiciunt: quia ſubditi præteriti memores gubernij cenſent modernum nimis rigoroſum, atque difficile. Aduertendum tamen pro fine hìc eſt, hanc tam rectæ intentionis puritatem, qua Prælati propriæ ſatisfactioni, & commodo maiorem Dei gloriam, verum ſubditorum progreſſum, atque perfectionem conſtanter præferunt, magnas in regendo difficultates, atque labores inuoluere. Niſi enim Superior aliquis hoc in propoſito ſit multùm exactus, & rigidus, tum facilè, & abſque labore certos erroris ſui honeſtandi inuenire poteſt prætextus. Illi namque Rectores, qui huiuſmodi ſunt, ſolent communiter dicere, recreationes, & animi laxamenta eſſe ſubditis neceſſaria, ſeque ipſis ad arbitrium eſſe, & in petitionibus gerere morem eo ſolūmodo fine, vt murmura, & inquietudines è medio auferant, aut ſaltem, ne potiùs pro rigoroſis, vel minùs prudentibus habeantur, & proclamentur, quàm pro Zelum habentibus gloriæ Dei, boni communis, ac ſubditorum ſuorum ſacri profectus.

§. & Conſilium VII.

Quàm multùm magnanimitatis, & tolerantiæ virtutis Prælato ſint neceſſariæ, & quantum ambæ conferant, ad acquirendam veram prutiam, & inconcuſſam in bono permanſionem.

OMnes, qui vnquam, quantum ſit pondus gubernij, probauere ferendo, experimento habent comperto, quàm multùm Prælatus opus habeat magnanimitatis virtute: Siue enim

enim temporalia, ſiue incorporea, & ad animam ſpectantia attendere velis, perquam multæ dantur res, quæ à Superioris diligentia, & proſpicientia pendent, idcircò magnus requiritur animus, ſiquis earum omnium dignæ velit curationi vacare: Superiori enim ex vi muneris cura incumbit proſpiciendi ſubditis, in quacunque neceſſitate, ſiue malè valeant, ſiue bene, & quidem eo enim tempore, quo monaſteria ob bella graſſantia rerum penuria premuntur: inueniuntur enim Religioſi aliqui, qui paupertate, quam profeſſi ſunt, non contenti, quærunt, & in religione habere volunt, quod in ſeculo, ſuorumque parentum domo nec habuiſſent, nec habere potuiſſent. Incumbit Præterea Prælato ſuos ſubditos, ſi in aliquo deficiant, corrigere, vtilibuſque præceptionibus erudire, & quia fieri haud poteſt, vt omnes ſint dociles, beneque morati, conſequitur inde, vt loco prœmij pro impenſo à ſe labore multas moleſtias perferre, variaſque iniurias, & offenſas, velit, nolit, deuorare cogatur, perquam multis ſeſe offerentibus exercitionis, faſtidiorumque occaſionibus. Genuinam ſimiliter opus eſt, Prælatus dicat ſuis ſubditis veritatem, quæ nonnumquam talis conditionis eſt, vt pauci futuri ſint, qui eam æquo animo velint accipere, bonoque corde amplecti. Denique Superioris pariter munus eſt, id omne à ſuis ſubditis multa circumſpectione auertere, quod apparentiam quandam, ac ſpeciem recti præſeferens damnum aliquod poteſt inferre. Quæ omnia ſi bene conſiderentur, tum pro concluſione deducere poſſumus, eos, qui non bene ſunt animo comparati, ipſo exulcerari remedio, & occaſionem exinde arripere contra ſuum auerſationem contrahendi Superiorem, qui eorum voluntatibus, & appetentijs renuit ſatisfactionem præſtare. Prælatus ergo, ſi non heroico, & imperterrito dotatus ſit animo, partes ſuas, prout muneris poſtulat ratio, explere neutiquam poteſt. Diuina ſua ſapientia callebat optimè Deus, quantum hæc magnanimitatis virtus ad eiuſmodi difficultates, & labores exantlandos, ac cum pace, & æquanimiter tolerandos conferret, & quod ſine hac virtute regiminis prouincia ritè adminiſtrari non poſſet, idcircò cum Salomon ſupplex quondam inſtaret, hanc ſibi Deus faceret gratiam, & ad ingreſſum ſui regiminis cor ſibi docile largiretur, vt ex diſpoſitione Diuina cum ſummiſſione, & animi docilitate ſe duci permitteret, hacque ratione ſubiectum

Digitized by Google

ſibi populum ſcitè tegere poſſet, pergratam ſibi habuit Deus hanc Regis petitionem, & quod enixè petijt, perquàm munificè ei conceſſit, prout his verbis Regnorum narrat hiſtoria. *Dedit quoque Deus Sapientiam Salomoni, & prudentiam multam nimis, & latitudinem cordis quaſi arenam, quæ eſt in littore maris.* Contulit Deus ipſi non ſolùm ſapientiam magnam, & latitudinem cordis, quanta eſt arenarum in maritimis oris iacentium, quæ vndarum furioſa illiſione, & impetu emaculatiores redduntur, & expolitiores euadunt, quod prouenit inde: quia licèt aquæ in tanta ſint copia, vt ad eas abſorbendas, & penitus ſubmergendas abundè ſufficerent, Dei tamen ipſas vltra procedere non permittentis imperio retentæ hunc præclarum in arenis producunt effectum, impetuoſæque procellæ remanent ab arenis domitæ, ac ſuperatæ. Huiuſmodi autem effectum, Dei eſſe imputandum imperio, teſtis eſt tolerantiſſimus Iob, qui introducit Deum mari in hæc verba imperitantem. *Vſque huc venies, & non procedes ampliùs, & hìc confringes tumentes fluctus tuos.* Per quam Dei legem aquis maris poſitam, & paulò ante relatum Salomonis rogatum inſinuatur Prælatis, compendioſiorem viam, ac rationem iniri non poſſe ad hanc cordis magnitudinem obtinendam, quàm eam flagitare à Deo, fluctuſque inſectationum, & faſtidiorum ipſis accidentium inſpicere, atque conſiderare, tanquam à Deo non eo immiſſos fine, vt ab ipſis hauriantur, & immodica perturbentur triſtitia, ſed vt in ipſis veram generent animi lenitatem, & inuictam tolerantiam, quæ inter aduerſos caſus, & anxietates comparantur, & progignuntur, quæ tamen limites à Diuina, & amabili prouidentia Dei poſitos tranſilire non poſſunt, qui non ſunt aliud, quàm voluntas Dei, qua ſibi placet, vt ſimiles aduerſitatum caſus ope, & gratia ſua toleranter ſufferant, magnumque inde hauriant animæ ſuæ profectum, & lucrum. Prout Diuus Paulus huius rei teſtem his verbis ſe facit. *Fidelis autem Deus eſt qui non patietur vos tentari ſupra id, quod poteſtis, ſed faciet etiam cum tentatione prouentum, vt poſſitis ſuſtinere.* Cùm Doctor Africanus ſequentia Vatis Regij verba: *Fundamenta eius in montibus Sanctis*, quæ non ſolùm Apoſtolis, & Prophetis, verùm etiam Prælatis, & miniſtris illis ſuccedentibus non incongruè aptari poſſunt, exponeret rationem, cur fundamenta vocentur, his aſſignauit verbis. *Quare fundamenta ſunt Apoſtoli, & Prophetæ? quia eorum auctori-*

3. Regum 4. v. 19.

Iob. 38. v. 11.

Cor. 10. v. 13.

tas

S. Auguſt. to. 8. Pſal. 36. in illa verba fundamenta eius in montibus Sanctis.

tas portat infirmitatem noſtram. Cauſam, propter quam omnes, quos diximus, fundamentorum inſigniantur vocabulo, eſt, quia auctoritate, prodentis gubernationis induſtria, verbo, & exemplo, earumque tolerantia rerum, quas hæc præſtando perferunt, portant grauem, & moleſtam ſubditorum imbecillitatem, eoſque animant, & confirmant impendijs patientiæ, & perpeſſionis ſuæ.

Hipponenſi Antiſtiti adſtipulatur Præſul Carthaginienſis, diſertiſſimus Cæcilius Cyprianus, qui, ne minorem, quam Auguſtinus deferret Eccleſiæ Dei adminiſtris honorem, eos etiam ipſe non abſque ratione vocat fidei, & perfectionis Euangelicæ fundamenta, quibus verba, quæ ipſe ſcribit in patientiæ laudem, haud inconcinniter adaptantur, hæc autem verba eius, ſunt talia. *Ipſa eſt, quæ fidei noſtræ fundamenta firmiter munit*. Hæc eſt virtus (de patientia loquitur) quæ firmitudinem, & ſtabilitatem tribuit fundamentis ſupra petram angularem, quæ eſt Ieſus Chriſtus, fundatis, vt ſudore, ac labore ſuo ingentis ædificij, quod eſt Eccleſia, pondus, onuſque ſuſtentent. Quæ ab his duobus ſunt dicta Doctoribus, obſignantur quaſi ſigillo, illo conſilio, quod Paulus Apoſtolus dedit Timotheo ſuæ Diſciplinæ ſequaci, in quo paucis inſinuat, quid ipſi opus ſit, vt veri Paſtoris, & digni ſibi commiſſorum inſtructoris officio ſatisfacere valeat, in quem finem requirit ab eo breui ſententia patientiam nullis malis cedentem. *In omni patientia*. Cuius virtutis proprium officium eſt, immodicam in homine moderari triſtitiam, ex malis, & aduerſitatibus, quæ accidunt, proficiſcentem, prout Auctor eſt Doctor Angelicus. Ad idem propoſitum contribuunt verba Auguſtini Sancti in hunc modum loquentis. *Patientia hominis eſt, qua mala æquo animo toleramus, id eſt, ſine perturbatione triſtitiæ, ne animo iniquo bona deſeramus, per quæ ad meliora tendamus*. Patientia eſt virtus, quæ cum hilaritate cordis aduerſa pati docet, id eſt ſine mœrore, vel animi deiectione, nos plerumque perturbante, & ad omiſſionem boni impellente, quo prouehi ad perfectionem deberemus. Quapropter licèt totus mundus tolerantia opus habeat, propter tot aduerſitates, & moleſtias, à quibus nulla hominum conditio eſt exempta, Prælatis tamen potiore ratione eſt neceſſaria, qui cæteris perfectiores eſſe tenentur, & plures ſine omni controuerſia præ alijs, quas poſt ſe trahit onus gubernij, habent occaſiones ſufferendi acerbitatis, faſti-

S. Cyprianus lib. de bono patien. col. 12

Ad Thimoth. 4. v. 2.

D. Thom. 22. quæſt. 136. art. 1.

S. Auguſt. to. 4. lib. de patien. cap. 2.

Digitized by Google

faſtidia : Licèt enim vltro ſuperſedeam de cura loqui temporalium, quæ in anguſtia rerum domeſticarum non modicum procreat faſtidium, agere tamen cum tot ingeniis, & inſolitarum naturæ propenſionum, ac morum hominibus, eos adhæc conformiter ad ea, quæ religio permittit, contentos, & ſatisfactos præſtare, eoſdem præterea taliter regere, vt maius ipſorum promoueatur bonum, ſimulque legum, & inſtituti iura, & ſcita inuiolata conſeruare, ſunt profectò res effectu per quam arduæ, operoſæ, & innumeris faſtidijs obnoxiæ. Quis ergo inficias ire poterit? Quin omni ferè momento Prælatus ſuccumberet oneri, guberniumque indubitatè nimis graue, & quaſi intolerabile redderetur, ſi Prælatus hac in virtute ſolidè fundatus non eſſet. Ad hæc, cùm ſtatus Religioſus ſit aſſidua Crux, & martyrium, ideoque perquam multa carni repugnantia contineat, quæ hominem naturaliter tædio afficiunt, & contriſtant, propterea incumbit Prælato ſuos ſubditos ſæpenumerò ad tolerantiam adhortari, vt verò hortamentum ipſius vi, & efficacitate ad perſuadendum polleat, opus eſt, vt bono confirmetur exemplo, quod in occurſuris à Prælato eſt dandum occaſionibus, ne eius verba verecundentur, & erubeſcant, ſi operis exhibitione deſtituantur, quod non inſcitè obſeruauit Tertullianus in hunc modum Locutus. *Ne dicta factis deficientibus erubeſcant*. Accerſit præterea patientiæ virtus maiorem Prælatis obſeruantiam, ac debiti cultus obſequium, quæ licèt decori vertatur in omnibus, in ſenibus tamen plus honoratur, atque ſuſpicitur, alium in teſtem non aduoco, quàm proximè citatum Tertullium, ſiue magis arrideat nominare Tertullianum in hæc verba loquentem. *Amatur in puero, laudatur in iuuene, ſuſpicitur in ſene*. E contrario verò impatientiæ vitium reddit Prælatos viles, & aſpernatione dignos. Ipſis enim cùm ratione ætatis, & muneris, quod gerunt, plus cæteris hac in virtute ſolidati eſſe deberent, vertitur hoc vitium ſocordiæ atque torpori.

Tertullian. lib. de pat. cap. 1.

Ibidem cap. 15.

Quemadmodum iracundiæ proprium eſt, homines extra ſe ponere, nec facultatem concedere, vt potentes ſui ipſorum, mentiſque, ac rationis compotes ſuæ, pace perfrui poſſint, ita è contra tolerantiæ munere redduntur homines prudentes, & ſapientes, quia ipſa iuxta oraculum Diuiniſſimi Seruatoris noſtri, confert pacificam animarum, omniumque hominis facultatum poſſeſſionem, vt quis ipſis taliter vti norit, prout

Digitized by Google

Lucæ 21. v. 19. occaſiones expoſcunt. *In patientia veſtra poſſidebitis animas veſtras*. Et cùm Prælatos tot circumſtent occaſiones, in quibus ipſis incumbit admodum circumſpectè, & prudenter ſe gerere, idcircò oportet ipſos hac in virtute eſſe bene fundatos, vt in cunctis euentibus ſibi nouerint imperare, quod obtinetur per virtutem tolerantiæ Salomone atteſtante, qui ait. *Qui patiens eſt, multa gubernatur prudentia, qui autem impatiens eſt exaltat ſtultitiam ſuam*. Patientia præditus ſe regit cum prudentia, ea deſtitutus, & pronus ad iraſcendum toti mundo palam facit fatuitatem ſuam. Ex quibus omnibus procul dubio apud ſe non indiligenter expenſis deducit Bizantinæ vrbis Epiſcopus totalem concluſionem, qua aſſerit, radicem, & originem omnis ſapientiæ, atque prudentiæ, quæ in hominibus reperitur, eſſe, ſiquis in patientiæ virtute ſolida poſuerit fundamenta, do verba eiuſdem ita ſuper hac re loquentis. *Patientia vniuerſæ Philoſophiæ radix eſt*. Quæ omnia haud dubiè non ſubterfugiebant acutum Iacobi Apoſtoli intuitum, non mirum ergo, quod eundem patientiæ, quem prudentiæ attribuere non dubitauerit effectum hiſce verbis. *Patientia opus perfectum habet, vt ſitis perfecti & integri in nullo deficientes*. Quemadmodum enim prudentia cunctis, quæ opera noſtra circumcingunt, bene expenſis circumſtantijs, ſuoque vniquique eorum ſeruato iure efficit, vt opera noſtra producantur perfecta, nulloque infecta defectu; pari modo, quia virtus patientiæ rationem in pace, & tranquillitate conſeruat, mentiſque oculum, ad circumſtantias perpendendas, & debitè diſponendas clarum, & à caligatione ſecurum præſtat, propterea etiam ipſi idem, qui prudentiæ, adſcribi ſolet effectus. Aduertit Diuus Thomas in ſuo ſuper hunc locum commento, Iacobum Apoſtolum poſt illa ſua verba, *opus perfectum habet*, ſine alterius interiectione his hæc, *vt ſitis perfecti, & integri, in nullo deficientes*: Subiunxiſſe eo fine, vt nobis perſeuerantiam in bono inſinuaret, quæ à patientia illis confertur, qui bene ſunt fundati in ipſa; vult verò per vltima ſuæ ſententiæ verba conſultum nobis Apoſtolus, quem loquimur, vt in noſtris operibus ſimus ex omni parte exacti, & inculpati, nec in quacunque re, quæ obligationis eſt, vllum admittens defectum, & in cœptis ſemel bene, perſiſtentes inconcuſſi. Ita Diuum Thomam hæc huius Apoſtoli verba interpretari ex his eius ita loquentis verbis pateſcit, *Opus perfectum habet, quia ſtabile, & firmum, vt ſitis perfecti*

Prouerb. 14. v. 29.

S. Chryſoſt. to. 4. hom. 33. in 1. Cor.

Iacobi 1. v. 4.

D. Thomas in hunc loc.

Digitized by Google

fecti in agendo, integri in patiendo, in nullo deficientes in perſeuerando.

§. & Conſilium VIII.

Qualiter à Prælatis ſint exercendæ magnanimitatis, & tolerantiæ virtutes, dum longa operiuntur mora, vt videant, qualem habitura ſint effectum ſacra pharmaca à ſe adhibita, quantorumque ſit cauſa malorum intolerantiæ vitium.

QVemadmodum in morbis corporalibus medicorum ſolertia, bonuſq; curæ ſucceſſus non conſiſtit in medicamentorum multitudine, ſed in magis conducentium bono delectu, & præſtolatione operationis eorum, ita in morbis animæ (qui ſunt vitia morumque defectus) eſt Prælato, cui incumbit cura admouendi remedium, habenda patientia, & operienda ſacrorum, quæ adhibuit, operatio medicaminum, ita vt ſe interim non afligat, nec diſcruciet, tametſi reprehenſus, & correptus perturbetur, & ſtomachetur, ſed fuſis precibus petenda eſt ipſi à Deo virtus, & efficacia, vt ſacra, quæ appoſuit, medicamenta bonum ſortiantur effectum: in Deo enim præcipua eſt ipſi reponenda fiducia; ſiquidem nullum humanum datur remedium, quod ſine diuinæ gratiæ adiumento liberam hominis curare valeat voluntatem. Indubitanter itaque credat Prælatus, ſibique pro certo perſuadeat, veram, & præcipuam malorum eiuſmodi curam eſſe orationem, & patientiam. Quia ſi ſuis flectat precibus Deum, tum bonam omnino ſpem ſibi facere poteſt, homines fore curandos, bonæque frugi futuros. Hoc ſe gerendi modo vſus eſt Patriarcha Iacob, cùm commotum contra ſe animum fratris ſui Eſau curare, & mitigare meditaretur, poſtquam enim omnes eius placandi gratia iniuerat rationes, & modos, qui ſibi ad hunc finem videbantur expedientes, anceps autem, ne forſan non procederent, recurrit pro vltimo remedio ad luctam in oratione cum Deo habendam, qua tantum effecit, vt

Digitized by Google

flexus eius precibus Deus ipſum voti ſui compotem fecerit; dum formato argumento à maiore ad minus, his eum verbis eſt allocutus: *Si contra Deum fortis fuiſti, quantò magis contra homines praualebis?* Si vires ad vincendum Deum, eiuſque animum in te flectendum habuiſti, quantò plus roboris es habiturus ad homines tibi ſubdendos, eorumque corda mutanda? abſit ergo à Prælato, vt ſe affligat, vel tædio, aut turbationi ſuccumbat, ſi non illico admonitionum, & correptionum ſuarum conſpexerit fructum, vel quod peius eſſet, eius quandoque contrarium, nec per hoc eas in tempore facere prætermittat, ac magna cum tolerantia, & perſeuerantia præſtoletur miſericordiam Dei, quo ſi Prælatus ſe gerat modo, tum in ſuis ſubditis myſticè videbit impletum, quod Sacra Scriptura in ſenſu hiſtorico refert de Romanis antiquis his verbis. *Poſſederunt omnem locum conſilio ſuo, & patientia, locaque, quæ longè erant valde ab eis.* Prudente conſiliorum ſuorum diſcuſſione, & vſu, longaque patientiæ ſuæ cunctatione, ſubegerunt ſibi loca, genteſque ſibi contrarias, tametſi vtraque longè ab eorum dominio diſſita erant, & vix credibile videretur, potentiam eorum ad tantam ſe extendere poſſe diſtantiam. Refert Caſſianus in ſuis elucubrationibus perquam moralem Abbatis Ioſeph doctrinam, quæ non parum vſui eſſe poteſt ad aſſequendum, quantum, ſi hæ vel ſimiles dantur occaſiones, in magnitudine cordis, animique excelſitate vnius Prælati conſiſtat. Hic itaque magna rerum aſceticarum experientia probatiſſimus Abbas illa verba: *date locum iræ*, expendens, hac philoſophatur ratione: *Ita mens noſtra amplitudine longanimitatis, ac patientiæ dilatata habeat in ſe conſiliorum ſalutares receſſus, in quibus receptus quodammodo, atq; diffuſus teterrimus iracundiæ fumus protinus euaneſcat.* Quaſi dicere vellet: dum Paulus Apoſtolus his vos verbis: *Date locum iræ*, adhortatur, tum petit à vobis non cor compreſſum, arctum, ſtrictum, & anguſtum, ſed requirit, vt cor veſtrum per virtutem patientiæ ampliatum, & dilatatum, ſpatium intra ſe habeat, in quo motus eius ſe poſſint recondere, atque extendere, vt hac facta extenſione, & dilatatione idem cor tempus habeat ſalutaria capiendi conſilia, hocque modo contingat fumis coleræ, quod ſæuo humani viſus inimico, fumo euenit naturali, qui amplum, & largum ad ſe extendendum nactus ſpatium per ſemetipſum euaneſcit, & diſſipatur, relinquendo clarum, & ſerenum, quem priùs vni-

Geneſ. 32. verſ. 28.

1. Machab. 8 verſ. 3.

Caſſian. collat. 16. c. 27. ex Abbat. Ioſeph. in illa verba. date locum iræ.

vnitus, & in vnum collectus obſeruauerat, & offuſcauerat aerem. Per hanc itaque cordis magnitudinem, & patientiæ largitatem conſeruantur, maturantur, atque perficiuntur ſana conſilia, & executio eorum, qua Prælati ſuos dirigunt ſubditos, & ad perfectionem perducunt. Vt autem magis perſpicua fiat neceſſitas, ob quam Prælati multæ patientiæ laude præſtare teneantur, non abs re iudico eſſe, ſi etiam aliquid de damnis, & malis ex impatientia promantibus dicamus: quia contraria iuxta ſe poſita magis eluceſcunt. Impatientia ergo eſt cauſa, & principium tam multiplicium abſurditatum, tamque multorum ſcaturigo malorum, vt Tertulliano viſum fuerit, quòd ipſa non ſolùm multorum ſiniſtrorum in mundo caſuum cauſa exiſteret, ſed generatim vniuerſorum, & quod ille neutiquam allucinaretur, qui definiret malum aliud non eſſe, quàm impatientiam omnis boni; ipſum autem hac in opinione fuiſſe, cuicunque promptum eſt, ex his eius verbis agnoſcere hoc tenore conſtantibus. *Hæc vt principalia penes Dominum delicta: nam vt compendio dictum ſit, omne peccatum impatientiæ eſt adſcribendum, malum impatientia eſt boni.* Quod ſolidè probat differendo ad longum de oppoſitione, quam contra præcipuas habet virtutes, pergendo poſtmodum porrò affirmat, ipſam omnium maximarum, quæ ab orbe condito factæ fuere, extitiſſe cauſam noxarum. Finem ad extremum ſuæ ratiocinationi imponens concludit, quòd, licèt peccata à ſe relata, quæ nunquam contra Deum commiſſa fuere, eſſent inter præcipua referenda, ac proinde ſufficientia ad abominandam, & deteſtandam eorum, quæ impatientia eſt, cauſam, addi tamen præterea poſſit, omnia peccata, vniuerſim loquendo, ex impatientia proficiſci, malumquè aliud non eſſe, quàm impatientiam boni, prout hæc omnia ſatis conſtare videntur ex his auctoris, quem diximus, verbis. *Nemo impudicus non impatiens pudicitiæ, & improbus, probitatis, & impius, pietatis, & inquietus, quietis.* Nemo ſectatur vitium, aut perpetrat aliquod malum, niſi quia non poteſt tolerare virtutem, vel bonum malo contrarium. Nemo eſt impurus, niſi ea de cauſa, quòd æquanimiter ferre non poſſit laborem, vel difficultatem, quam cultus puritatis trahit ſecum. Nemo eſt iniuſtus, niſi quia impar eſt ſuſtinendis incommodis iuſtitiam comitantibus. Nemo contra pietatem delinquit, niſi quia grauitatem, & moleſtiam, quam exercitium eius inuoluit, perferre detrectat.

Tertul. lib. de patientia c. 5 prope finem.

vbi ſupra.

ſtat. Nemo eſt inquietus, niſi, quia operam, quæ pro pace acquirenda, & conſeruanda debet impendi, impendere negligit; quod etiam in omnibus alijs vitijs, atque peccatis, eodem teſte, contingit.

Hæc verò doctrina licèt ex mente Tertulliani ſit veritati conformis vniuersè loquendo de cunctis hominibus, propior tamen vero habetur, ſi ſermo ſit de Prælatis, in quibus intolerantia, poteſtate, & dignitatis auctoritate munita, ac multiplicibus moleſtiarum, & tædiorum, quæ in regimine occurrunt, occaſionibus alta, & fomentata eſt longè maiorum procreatrix malorum. Ex quo fit, vt quando Prælatus patientia defectus iracundia inardeſcit, facilè in diſpoſitionibus ſuis, ſe præcipitem agat, alioſque vltra, quàm par eſt, odio habendo, vel præter æquitatem pœna plectendo, in iuſtitia, & charitate delinquat, ac in vna quandoque occaſione præ patientiæ impotentia voluntatem ſubditorum ſuorum in diſcrimen adducat, vel omnino perditum eat, quam per obſequia, & beneficia lucrifecerat, ſibique adiunxerat. E contra ſecus ſe res habet in Prælatis pro omni occaſione patientia inſtructis, & munitis: hi enim frænum iræ motui inijciunt, mitigant odium, omnemque deuitant iniuſtitiæ ſpeciem, Siquidem patientia eorum ſemper comitata incedit dulcedine, charitate, & æqui cuſtodia, quæ ſunt virtutes perinde Prælatis propriæ, ac neceſſariæ pro perfecto, & exacto gubernio, perfectionis promotione, & cura boni communis. Non ſine fundamento ergo dixit inter magis Chriſti dilectos vnus, Iacobus Apoſtolns, patientiam habere opus perfectum. *Patientia opus perfectum habet.* Patientiæ munus eſt, operari perfectè, ita vt ipſa operam præſtet prædictis tam præclaris virtutibus, & ſimul ab ipſis mutuam opem recipiat ad agendum perfectè. Quomodò autem hæc mutuæ opis collatio has inter vitutes fiat, doctè, more ſuo explicat Diuus Thomas, dum ita philoſophatur. Ex aduerſis, quæ nobis accidunt, rebus primum oritur impotens animi mæſtitia, cui patientia moderatur. Deinde inſurgit iræ commotio, indignans auctori rerum appententiæ diſplicentium, ſibique moleſtarum, & hæc ſedatur animi leuitate. Tertiùm contra eundem harum rerum auctorem concipitur odium, quod edomat charitas. Poſtremò iniuſtum ſequitur damnum, propter quod quis vindictam ſumere ſtatuit; quæ iuſtitiæ refrænatur imperio. Omnia autem hæc mala modo

Iacobi.1.v.4.

dictis

Digitized by Google

dictis contraria virtutibus patientia in principio ſtatim ampu-tat, eorum truncando radicem, quæ eſt immoderata triſtitia. Ex quibus videre licet, patientiam oppoſitorum prædictis ma-lis bonorum, atque virtutum, quibuſcum colligata eſt perfe-ctio, cauſam exiſtere per modum (vt Theologis mos eſt loqui) remouentis prohibens.

§. & Conſilium IX.

Caueat Prælatus, ne in more habeat ſuarum iuſſionum dandi ſubditis rationem.

QVando Prælatus, vt factu facile reddat, quod præcipit, dat iuſſi ſui ſubditis rationem, tum potiùs perinde, ac homines artem philoſophicam ſectantes obedire addiſcent, quàm vt ſimplices Ieſu Chriſti tyrones: tali namque in caſu non vnius, aut alterius tantùm mandati, ſed tandem omnium cupient ſcire rationem, non aduertentes ante omnia mentis ſuæ intuitum ad diſpoſitionem diuinam, quæ in ſimplici obe-dientia potiſſimè eſt attendenda. Siquis ergo ſuperiorum tali cum ſubditis vtatur agendi ratione, tum cauſam præbet non modici detrimenti, quod per hoc infert animabus ipſorum, quia non erunt ſemper cum ratione, quæ datur, contenti, & ſi ſemel ſuper illam ſe fundare conſueſcant, vel omnino non obedient, vel ſi obediant, facient hoc magna cum repugnan-tia, meritique deceſſione. Ab his tamen damnis prudenter cauere poterit ſuis ſubditis Prælatus, ſi ſui imitator eſſe volue-rit factoris, qui in more non habuit rerum, quas iubebat cre-brò reddere rationem illis, quos perfectos volebat habere obe-dientes, eoſdemque nobis pro huius virtutis forma, & exem-plari relinquere, tametſi permultæ rerum ab ipſo præcepta-rum eſſent plerumque arduæ, & effectu perquam difficiles, humanamque tranſcendentes rationem, vt hoc ſuo agendi modo formam ipſos doceret, qua ipſi iubere, ſubditos verò, qualiter obedire deberent, ſcilicèt abſque indagatione eius, quod præcipiebatur, ſciendi rationem. Sanctus Baſilius Ma-gnus varijs, & validis exemplis copioſè probat huius conſilij conuenientiam, & neceſſitatem, ſuæque probationis initium ſumit

Digitized by Google

ſumit ab imperantis Abraham Parriarchæ datis, quæ tamen ipſe omnia cum magna animi ſummiſſione, & nonnunquam in occaſionibus perquam arduis eſt executus, non obſtante, quòd iuſſi ſui nec dederit ipſi priùs rationem, nec ipſe eam ſcire cupierit, quo cum ipſo agendi modo fecit ipſum Deus illuſtriſſimum omnium exactè obedientium ſpeculum. Contrahit deinde idem Sanctus Doctor ſui longi hac ſuper re inſtituti, & proſecuti ſermonis vela, & cauſam, cur magnus hic Patriarcha in materia obedientiæ tam ſtrenuè ſe gerere potuerit, aſſignans, aliam non fuiſſe affirmat, niſi quòd firmiter apud ſe ſtatuerit, animumque ſuum penitus obfirmauerit, exactè in omnibus obediendi Deo, & idcircò aliud non deſiderauerit, quàm imperata Dei, quæcunque demum eſſent, perfectè facere, omneſque ſuas vires eo fine impendere, vt perfectam, & conſummatam Deo redderet obſequelam. Ita Diuum Baſilium in laudes Magni Abrahami excurrere, nos dubitare non patiuntur eiuſdem propria ad hunc finem in hanc ſententiam concepta verba. *Qui enim ſemel in eo animum obfirmauerat ſuum, vt obediret Deo, nihil iam ampliùs illud ſpectabat, quid de ſe diſponeret Deus, ſed totus in eo erat cogitatione defixus, quomodo videlicet perfectiſſimam, atque omni ex parte abſolutiſſimam illi obedientiam præſtaret.* Deus autem, qui ipſum ſic obedire docuit, etiam ad hoc faciendum adiuuit., mandati ſui ratione priùs ipſi non indicata, ſed ſilentio preſſa, tametſi res imperatæ, & exequendæ eſſent quandoque admodum arduæ, & perquam operoſæ effectu. Ab exemplis obedientiæ ex antiquo teſtamento relatis, facit deinde gradum ad exempla teſtamenti noui, & inter alia refert ea, quæ inter magiſtrum verumque Prælatorum prototypon Chriſtum Dominum, & diſcipulos eius contigere, quibus ille ob eumdem quem nos ſupra tetigimus, finem, plerumque iuſſionis ſuæ rationem non dabat. Ea propter dicebat quandoque illis, ipſos à ſe mitti, vt agnos inter lupos; vice alia ipſos nominis ſui cauſa odio habendos eſſe ab vniuerſis hominibus. In his autem, & paris formæ præceptis rationem præcipiendi communiter reticebat, maiore habita ratione, vt tali eum ipſis agendi modo eos perfectam doceret abnegationem, & obedientiam, ac generoſos faceret Eccleſiæ ſuæ ductores, quàm vt plus æquo mandati ſui faciliorem redderet executionem. Recenſitis autem his de diſcipulis Chriſti Domini in materia obedientiæ exemplis conclu-

D. Baſilius in Conſtit. Mon. c. 23. de obed. ad med.

Digitized by Google

cludit ſæpiùs iam in auctoritatem adductus Baſilius, & inquit, ipſos præceptis omnibus auditis tam difficilibus executu rebus collum ſubmiſiſſe obedientiæ iugo, grandique, & hilari corde ſe expoſuiſſe periculis, prout hæc eius verba hac ſuper re aſtruunt fidem. *His igitur illi omnibus auditis ſubmiſſa mentis ceruice, obedientiæ iugum ſubierunt, alacrique animo in pericula proceſſere.* Tandem ad coronidem vſque prolixum ſuper ea, quæ diximus, ſermonem ſuum producens attollit, & calamo exauget operum magnitudinem, & difficultatem, quæ perfecti, & in viua fide fundati, de quibus hìc ſermo, confecere obedientes. Inibi item explicat, quomodo Deus ipſis auxilio fuerit ad earitè perficienda, qualiterque Prælatis in hoc imitandus ſit Deus, vtpote Vicarijs, & Subſtitutis eius, ac inter Deum, & homines officio mediorum fungentibus, vt hac ratione ex ſubditis ſuis, quos vice Dei gubernant, gratum conficiant ſacrificium Deo altiſſimo, cùm hoc facere numeret inter partes officij ipſorum idem Cappadociæ lumen, & decus Baſilius, cuius iſta ſunt verba. *Nihil eſt enim aliud antiſtes, quàm is, qui perſonam Chriſti ſuſtinet, & ſequeſter eſt inter Deum, & homines, eorum, qui in ipſius officio ſunt, ſalutem ſacrificans Deo.* Hoc autem ſacrificium præparatur Deo, opera inculpati, fideliſque gubernij, quo ſubditi adiuuantur ad omnibus numeris abſolutam ſuo capiti præſtandam obedientiam, quæ tantò erit præmio digniot, quò ſubmiſſior, ſimplicior, & in viua fide fundatior. Pro fine huius paragraphi bene notentnr illa verba Baſilij, quæ ſunt: *Salutem ſacrificans Deo*, quod tum dignè, & fideliter fit, ſi Prælatus eam inſiſtat regendi viam, quam hoc conſilio ipſi oſtendimus.

Ibi aliquantulum infra.

Parum infra

DISCVRSVS DVODECIMVS.

In quo agitur de virtute temperantiæ, quæ non pauca alia in ſe complectitur religioſa exercitia, quorum opera incumbit Prælatis ſuorum promouere ſubditorum profectum, ijſque verbo, & exemplo opem ferre, vt & ipſi ſibi hanc virtutem faciliùs comparare valeant.

§. & Conſilium I.

Plurimùm commendatur Prælato virtutum temperantiæ, & abſtinentiæ exercitium, ipſique ſuadetur, vt ſæpiùs exhortetur ſuos ſubditos ad frugaliter, ſobrièque viuendum.

OFFICIVM temperantiæ eſt, appetitum, & delectationem bonorum ſenſibilium moderari, Diuo Thoma atteſtante, qui ait: *Temperantia, quæ importat moderationem quandam, præcipuè conſiſtit circa paſſiones tendentes in bona ſenſibilia, ſcilicet circa concupiſcentiam, & delectationem*. Hæc virtus eſt multùm neceſſaria Prælatis, ex duplici capite, & quidem imprimis propter bonum, quod in actionibus externis dare tenentur, exemplum. Huius enim virtutis in bono rerum ſenſibilium vſu potiſſimùm conſiſtentis exceſſus, ſi contingat, ſubditis celari haud poteſt. Altera neceſſitatis ratio eſt: quia Prælati indigent viſu mentis linceo, vt opera ſerenitatis animi, & familiaris in oratione conuerſationis cum Deo videre, & diſpicere valeant, quid tam ad ſubditorum ſuorum priuatum, quàm bonum commune omnium conſlcientius eſſe poſſit, quæ profectò ſunt

D.Th. 22. q.141. art.3. in concluſ.

res,

res, quæ in corde intemperante, & paſſionibus, præſertim tamen cibi, & potus mancipato ſimul ſtare, & inueniri non poſſunt. Quapropter vas electionis Paulus Apoſtolus Titum ſuæ ſectatorem doctrinæ erudiens, ipſique habilitates, vel dotes, quibus Epiſcopus, vel Prælatus inſtructus eſſe tenetur, aperiens, nominat inter alias temperantiam, vtpote alijs inſtruendis, & regendis præfecto admodum neceſſariam: quia, quò vitia, quæ temperantiæ aduerſantur, ſunt magis vilia, & abiecta, iiſdemque obnoxios reddunt magis contemptu dignos, eò magis Prælato ſunt vitanda; Sunt etenim res talem perſonam maximopere dedecentes. Appoſitè ergo in rem noſtram Doctor Angelicus auctoritati Gregorij Magni inſiſtens, ſic inquit. *Vitia, quæ ſub intemperantia continentur, etſi ſint minoris culpæ, ſunt tamen maioris infamiæ. Nam magnitudo culpæ reſpicit deordinationem à fine; infamia autem reſpicit turpitudinem, quæ maximè conſideratur ſecundùm indecentiam peccantis.* Tametſi vitia ſub intemperantia contenta minùs habeant culpæ, plus tamen habent infamiæ: quia magnitudo culpæ iudicatur ex maiore elongatione à fine, infamia verò, quæ turpitudinem reſpicit, metitur ex indecoro, atque inconuenientia, quam vitium committenti inducit. Prælatus deinde, qui Sacris perſonis moderandis eſt impoſitus, ſatis habere non debet, ſi ſit ſobrius, ſed ipſum pariter abſtinentem eſſe oportet: hæc enim virtus eſt velut radix plurium aliarum, rectores maximè decentium virtutum, exceſſus verò, & intemperantia in edendo, & bibendo ſunt nutrimentum vitiorum modo dictis contrariorum virtutibus, quæ intellectum hebetem reddunt, & obcæcant, nobis in hoc dicto ſuffragante Hieronymo, qui ſic inquit. *Siquis exiſtimat, & abundantia ciborum, potionumque ſe perfrui, & vacare poſſe Sapientiæ, hoc eſt, & verſari in delicijs, & deliciarum vitijs non teneri, ſeipſum decipit.* Errore labitur, qui opinatur, ſe ſine ſobria in edendo, & bibendo vita vacare poſſe ſapientiæ Prælato perquam neceſſariæ, & ab illis, tutum ſe præſtare vitijs, quæ deliciæ in cibo, lautèque viuendi modi progignunt.

D. Th. 2.2. q.142. art.4. ad 1.

S. Hieron. tom. 2. lib. 2. contra Iouin col. 2.

Sanctus Iſidorus integrum non iudicat, quòd vnus perfectum alicuius virtutis gradum aſcendere poſſit, niſi priùs edomito per ſobrietatem, & abſtinentiam immoderato edendi, & bibendi appetitu, verba hoc aſſerentis ſunt talia. *Nemo poteſt virtutum perfectionem attingere, niſi priùs ventris edomuerit ingluuiem.*

Iſidor. de Summo bono.

Digitized by Google

uiem. Cùm ergo Prælatus teneatur fungi magiſtri officio, ſuiſque ſubditis bono præire exemplo, idcircò opus eſt, vt alios virtute abſtinentiæ antecedat; quia vt Sanctus Hieronymus Prælatos alloquens, & in rem noſtram perquam appoſitè diſſerens inquit. *Si in Apoſtolorum loco ſumus, non ſolum ſermonem eorum imitemur, ſed conuerſationem quoque, & abſtinentiam amplectamur*. Si Vicarium Apoſtolorum teneamus locum, eorumque perfungamur officio, imitemur eos non in modo loquendi tantùm ſed etiam in abſtinentia, ſobrièque viuendi modo, quem tenuere ipſi. Perſuaſurus Doctor gentium ſuis Corinthijs, ſe Vicarium Ieſu Chriſti fideliter, & fructuosè impleſſe officium, pro argumento ſuæ probationis aſſumpſit labores, quos partim etiamnum, dum ſcribebat, perpetiebatur, & eos inter, etiam ſequentes volens eſſe relatos, hoc vſus eſt tenore verborum. *In vigilijs multis, in fame, & ſiti, in ieiunijs multis*. Hos tamen tam multiplices, quos ibi refert labores, in ſe ſuſceperat, & ſubiuerat, non ad carnem duntaxat ſubijciendam ſpiritui, ſed etiam ad bonum alijs dandum exemplum, & ad ſuis ſubditis, atque diſcipulis efficacitate operis perſuadendam abſtinentiæ virtutem, vt rectè hoc loco Diuus Thomas aduertit inſpecta diſtinctione, quam Apoſtolus facit inter tolerantiam famis, & ſitis ex parte vna, & inter voluntariam, plurimorum ieiuniorum ſuſceptionem ex parte altera:quia (eodem Doctore teſte) pro primo inſinuat, quàm ſæpè ob neceſſitatem aliàs ex paupertate, aliàs ex perſecutionibus aduerſantium ortam, defectum cibi, & potus pertulerit, quibus tamen pro vitæ ſuſtentatione opus habebat. Pro ſecundo etiam in confeſſo eſt, eundem Sacrum Apoſtolum prædictis non raró voluntaria ſuperaddidiſſe ieiunia, vt exemplo ſuo ſubditos pariter, atqne Prælatos inſtrueret, quomodo pro faciendo aliquo animarum ſuarum priuato progreſſu carnem ſuam durè habere, & macerare deberent. Quam dicimus, animaduerſio Doctoris Angelici hac ſuper re eſt his contexta verba. *Suſtentationi verò cibi opponit duplicem ſubſtractionem cibi, vnam quæ eſt ex neceſſitate, vnde dicit in fame, & ſiti, quia ſcilicet ad litteram deficiebat ſibi aliquando cibus, & potus. Aliam, quæ eſt ex voluntate, vnde dicit, in ieiunijs multis ſcilicet voluntariè aſſumptis, & propter exemplum bonum, & propter macerationem carnis*. Prælatus non tanbono, quod dat temperantiæ, & abſtinentiæ exemplo inducere debet ſubditos ad exercitium harum virtutum, ſed inſuper

S. Hier. to. 5. in expoſit. Michææ c. 2. poſt med.

2. Cor. 11. c. 27.

D. Th. lect. 6.

per ſermonibus, & conuenientibus monitis eòs ad idem exhortari præſtandum: hoc enim modo colet terram cordis eorum, eamque parabit ad ſeminandam inibi diuinam magnæ perfectionis doctrinam: quia ieiunium, & abſtinentia ſunt inſtrumenta aptiſſima ad eradicanda ex anima vitia, eamque pro Iſagoge virtutum aptam reddendam. Huiuſmodi, & alios tam nobiles effectus adſcripſit Auguſtinus ieiunio, ad ſuos ſuo tempore in hæc verba locutus. *Ieiunium verboſitatem non amat, diuitias ſuperfluitatem iudicat, ſuperbiam ſpernit, humilitatem commendat, præſtat homini ſeipſum intelligere, quod eſt infirmum, & fragilem. Ieiunium purgat mentem, ſenſum ſubleuat, carnem ſpiritui ſubijcit.* Ieiunium mutiloquentiam odio habet, diuitias ſupereffluentiam reputat, elationem, propriamque æſtimationem contemnit, modeſtiam animi pendit magni, quæ docet hominem ſeipſum cognoſcere, ac imbecillem, & fragilem arbitrari, hacque via, & ratione (eodem teſte) purgat, & emaculat animam à vitioſis, quibus terram versùs proclinatur, affectionibus, & impotentibus animi motibus, attollit ipſam ad rerum cœleſtium cognitionem, & amorem, carnem ſubijcit ſpiritui, vt vitam ducat ex ratione, & virtutibus factam, ideòque ſpiritui congruentem. Ex his poterit Prælatus, qui animabus ad magnam perfectionem aſpirantibus moderandis eſt impoſitus, animo comprehendere, quantùm per hortamenta ad ieiunium eas promouere poſſit ad maiorem progreſſum.

S. Aug. ſer. de ieiun. & or. qui eſt 230. de temp. ibid. parum ante.

§. & Conſilium II.

Modeſta grauitas eſt Prælato ſeruanda, & ab ipſo ſubditis multùm eſt commendanda religioſa corporis compoſitio, & ſenſuum coercitio externorum.

GRegorius Magnus inter cœlites relatus, dum hæc Beati Iob verba: *Qui fecit ventis pondus*, exponit, affirmat per verbum *pondus* deſignari grauitatem, quam Deus dat animabus in Scriptura Sacra per ventos ſignificatis, in quorum expoſitione verborum multùm ſe diffundens, inter cætera inquit, huius ponderis, vel grauitatis officium eſſe, tollere malarum *Iob 18. v. 25.*

affecti-

affectionum leuitatem, & inconſtantem, ac vagam animam reddere in bono firmam, & immobilem. Hoc autem pondus ſtabilitatis, & conſtantiæ confertur à Deo animabus virtutis interuentu, & opera, quod ex his Diui Gregorij verbis colligere cuique promptum eſt. *Cùm Deus per gratiam reſpicit vagam mentem, in conſilij ſtabilitatem figit.* Grauitas autem, quam tractamus, ex communi deſcriptione eſt illa, quæ nos ad officia, ad quæ ex vi vocationis, & inſtituti ratione tenemur, intrepido animo, & magna cum perſeuerantia facienda inclinat, talem motibus, & actionibus præſcribendo rationem, & regulam, quæ nobilitati naturæ, dignitati perſonæ, modoque, quem locus, tempuſque requirunt, ſint conformes. Ita conſtat ex verbis Caroli Paſchaſij grauitatem hunc in modum definientis. *Grauitas eſt virtus, quæ neceſſaria vocationis officia conſtanter, hoc eſt, eodem modo facit, & omnes actiones, & geſtus, vt congruant cum ordine naturæ, perſonarum, locorum, & temporum.* Et quoniam grauitas Prælatis admodum neceſſaria eſt, operæ pretium erit, hic aliquos allegare textus, quibus idem auctor nobiles huius virtutis deſcribit prærogatiuas, & fructus, & in vno ſuorum textuum, ſic inquit. *Grauitas eſt interior lux animæ, quæ vt totum hominem veneratione circumfundat, ſuos radios eiectat in exteriora, & mores. Certè illa reuerenda ſpecies grauitatis ita eſt externum hominis bonum, vt priùs altas in præcordijs radices agat. Sola Sanctitas præſtat eum, quem vocamus hominem grauem, hoc eſt, nobile omnium virtutum exemplar. Grauitas inter homines eſt quædam veluti lex, aut regula vitæ.* Grauitas eſt internum animæ lumen, quod ſuos ad mores, & actiones externas diffundens radios, taliburque circumueſtit virum grauem ſplendoribus, vt omnium oculi ad ipſum cum reuerentia, & obſeruantia contuendum rapiantur, & conuertantur. Ex quo infertur, quòd, quamuis hæc grauitas ſe per actiones prodat externas, reddendo ipſas tempori, loco, & dignitati perſonæ conformes, ſuam tamen originem inclinet ab eo, quod eſt ab intra, & non eſt aliud, quàm bonitas, ac Sanctimonia vitæ: quia grauem eſſe perinde eſt, ac eſſe normam, & exemplar virtutum. Grauitas itaque virtutum inſtructu comitata eſt velut lex, bonæque vitæ regula, vel (vt phraſi Gregorij loquar) eſt inſtar ponderis, quo anima in ſuo firmatur centro, ac mediocritate virtuti præſcripta, quæ conſiſtit in expletione voluntatis diuinæ, & in ſibi non conſtantis immoderatarum affectionum leuitatis dere-

S. Greg. lib. 19 mor. c. 4.

Carolus Paſchaſius lib. de virtut. & vitijs c. 14.

Idem ibid.

Digitized by Google

derelictione, quæ animam elongabat à Deo, & abducebat ab eo, ad quod contrarijs motibus bene ordinata ipſius natura, pondere grauitatis virtute prædictæ ferebatur, & propendebat. Quæ omnia fundo in auctoritate Gregorij Magni in hanc loquentis ſententiam. *Pondus hoc accipiunt animæ, vt ab intentione Dei non tam leui motu diſſiliant, ſed in eum fixa conſtantiæ grauitate conſiſtant.* Idem ſupra laudatus auctor refert, aliam excellentiam grauitatis virtute inſtructæ Prælatis admodum neceſſariæ, & eſt, quòd Superiores ad ſui inſtituti obligationum obſeruantiam ſubditos ſuos tantùm non promoueant, & inducant ornatis, & plenis ſapientia verbis, quantùm per huius Sanctæ grauitatis efficaciam, atque pollentiam. Do hoc aſſerentis propria verba, quæ ita ſonant. *Nulla eſt eloquentia hominibus regendis, nulla parendi neceſſitas eſt tam valida, quæ id præſtare poſſit, quod vno momento grauitas morum non fecerit, quæ quoque vno nomine demonſtratur Sanctitatis.* Quia hæc grauitas eſt imago, & partis acceptio ex grauitate diuina, quam Deus imprimit animabus vnà cum admiſtione, & quaſi encauſtico omnium virtutum ornamento. Hæc virtus eſt corona, & ſceptrum omnis Imperij, cui promptius à ſubditis obeditur, quàm cuique alteri magiſtratui, qui multa cum ſapientia, dicendique facultate exercetur, etiam pro hoc noſtro aſſerto alium non acceſſo in teſtem, niſi iam ſæpiùs nobis adſtipulatum ſcriptorem, pro hac ſimiliter vice ſuis dictis noſtra firmantem, & ita loquentem. *Ex omnium vnitate, & concentu virtutum figuratur viua hæc Diuinitatis in membris humanis effigies, cui nomen grauitas. Hæc eſt corona Summi Magiſtratus, hoc eſt ſceptrum Regis.* Ex hac denique, & alijs eius à nobis ſupra allegatis ſententijs ipſe pro certiſſima infert concluſione, hanc omni veneratione dignam, & multùm amabilem grauitatem vniuerſis Rectoribus, cuiuſcunque Status, vel Ordinis ſint, eſſe perquam maximè neceſſariam: ſine ipſa enim dignitas, atque Maiéſtas, quibus Rectorem decet eſſe ornatum, ſubſiſtere non poſſunt, prout ſequentia ipſiſſimi verba ad faciendam huius rei fidem abundè ſufficiunt. *In omnibus Reipublicæ moderatoribus, quocunque nomine cenſeantur, deſideratur illa reuerenda, & amabilis grauitas, ſine qua nulla dignitas intelligitur, nulla Maieſtas ſuſpicitur.* His congruentijs, atque neceſſitate ductus Apoſtolus perſuadebat Tito diſcipulo ſuo, vt ſtuderet in omnibus dare alijs bonum exemplum in doctrinæ traditione, in innocentia morum, ſuæque

S.Greg. vbi ſupra.

Carol. Paſchaſius vbi ſupra.

Et infra.

Et infra.

que

Digitized by Google

Ad Titum 2. v.7. que grauitate perſonæ. *In omnibus teipſum præbe exemplum bonorum operum in doctrina, & integritate, in grauitate.*

Vltra hoc incumbit pariter Prælato ſuis ſubditis commendare indeſinenter externam corporis compoſitionem, ſenſuumque extra parentium refrænationem, à qua permultùm dependet, quod ſi non ſegniter Prælatus præſtet, tum non ſolùm occluditur aditus diſtractioni cordis, ſiue euagationi, vel effuſioſioni mentis, quæ cunctorum defectuum, & imperfectionum ſcaturigo eſt, verùm etiam virtus in venerationem, debitique honoris exhibitionem aſſeritur, & ſine verborum fragore, ac fremitu proximis, qui inſtitutum, quod profeſſi ſunt, honore proſequi obligantur, perſuadetur æſtimatio, pronaque voluntas ad honorem exhibendum illis religioſis, qui ſuo ſe inſtituto conformiter gerunt. Ita opinatur Gregorius Magnus, qui in datis ad Iuſtinum Presbyterum litteris, his in eis vſus eſt verbis. *Ipſa namque inceſſus veſtri modeſtia quibuſdam conatibus exigebat, vt diligi, & venerari etiam à nolente debuiſſet.* *S. Greg. to. 4. lib. 1. Regiſtri epiſt. 2.* Veſtra exterior corporis compoſitio, morumque modeſtia cunctis violentiam facere videbatur; quicunque enim ſentiebat ſe quaſi conſtrictum ad deferendum vobis honorem, dignæque venerationis obſequium, tametſi ad id præſtandum voluntatis pondere non propenderet. Eapropter cunctis in Chriſtum vera fide credentibus vult conſultum Apoſtolus, vt ſuam toti mundo in conſpectum darent modeſtiam, & honeſtati congruam corporis actionem. *Modeſtia veſtra nota ſit omnibus hominibus.* *Ad Philip. 4. v. 5.* Licèt autem oporteat dona Dei, ac virtutes in ſecreto cordis abſcondere, & occultare, per modeſtiam tamen, morumque moderationem externam oportet eas in medium ponere, ac in apertum producere, quia ſi intuentibus eas tali manifeſtentur modo, plus ipſis ſuſpectus accreſcet, minorque vanitatis occaſio ijs præbebitur, qui hoc eas modo foris oſtendunt: Si namque ſuos ſolummodo ſenſus coercere laborent, omnique curioſitate Superiores exiſtant, tum Apoſtolo teſte, vitam Ieſu Chriſti ſub aſpectum proximis ponunt, cui per religioſam, & Chriſtianos decentem actionum ſuarum moderationem, & honeſtatem operam nauant. *2. Cor. 4. v. 10* *Semper mortificationem Ieſu Chriſti in corpore noſtro circumferentes, vt & vita Ieſu manifeſtetur in corporibus noſtris.* Quo agendi modo ſine vllius verbi prolatione perſuadent, & prouocant omnes ad imitationem Domini ſui, eiuſque vitæ, & morum ſunt non voce tenus, ſed opere ipſo præco-

præcones. Hoc valido prædicandi modo vſus Sanctus Franciſcus, cùm ſemel in conſpectu frequentis populi magna cum modeſtia, & ſubmiſſa exterioris hominis compoſitione per publicas Plateas incederet, ſuo ſocio dixit; hunc eſſe efficaciſſimum dignè concionandi modum.

§. & Conſilium III.

Agitur de cura, quæ Prælato intendenda eſt in ſuam, & ſubditorum ſuorum animi collectionem, & quantùm ad hoc conducat, vt euitentur non multùm neceſſarij ſumptus, atque impendia.

SI Prælatus ſuum proprium, ac ſubditorum ſuorum promouere ſacrum velit progreſſum, ſingularem intendat curam, vt omnes illi, quoad fieri poteſt, exitus euitentur, quibus excuſatio poteſt obtendi, niſi eos facere magna requirat neceſſitas: In hoc enim conſilio magna pars rei ſuæ priuatæ, ac rationis bene agendi conſiſtit, & vertitur. Experimento enim comperiet, tenere religioſos domi clauſos, ac ſolitarios, idem eſſe, ac brachijs Domini Dei ſuperimponere, quibus portentur, & omni cum ſecuritate ad terminum perfectionis, quo contendunt perducantur. Hoc agendi modo vſus eſt Deus cum filijs Iſrael, dum eos ex ſeruitute Ægyptiaca liberatos induxit ad inhoſpita loca deſerti, quod Moyſes vniuerſo populo ſuo his verbis eſt conteſtatus. *Et in ſolitudine (ipſe vidiſti) portauit te Dominus Deus tuus, vt ſolet homo geſtare paruulum filium ſuum, in omni via, per quam ambulaſtis, donec veniretis ad locum iſtum.* Proprijs oculis vſurpaſtis, qua ratione Dominus Deus veſter ex die, quo vos in deſertum induxit, ſuper ſua brachia vos portarit ad inſtar vnicè amantis Patris, procreatum ex ſe puſionem, in ſinu ſuo portantis, & hoc tam diu continuauit, quoaduſque vos introduxerit in terram à ſe promiſſam. Qua comparatione ſignificatum nobis eſſe voluit Deus, quàm facilè, & proſperè religioſi, qui receſſus ſunt amantes, per viam perfectionis incedant: Deus enim eſt ille, qui ipſos dirigit, atque conducit, quem ſi ſequantur, à laqueis, pedicisſque, qui- *Deut.1.v.31.*

Digitized by Google

bus Dæmon eos capere, & innectere molitur, tuti, & immunes præſtantur,

Hac ratione ductus optimè in hunc modum pronunciauit Caſſiodorus: *Multa turba vitiorum ſine certamine vincitur, quando ſolitudinis gratia ſuffragatur.* Solitudo, & receſſus ſunt protectionis, & gratiæ Dei adeo certi, & ſecuri, vt per ſolum laborem (qui tamen ſolitudinem amantibus labor non eſt) quem tales amatores ad eum cuſtodiendum impendunt, Superiores euadant toto vniuerſorum vitiorum exercitu, & pugna, quam committunt, modico ipſis conſtet labore.

Caſſiod. de anim. c. 18.

Licèt autem quorumcunque ordinum Prælati ſtricta obligatione teneantur euitare ſumptus neutiquam neceſſarios, & hoc non in ædificijs, domeſticaque ſuppellectili tantùm, verùm etiam in ijs rebus, quæ ad Cultum ordinantur Diuinum, ſi tales ſumptus ſint immodici, vel eorum inſtituto incongrui, quamuis, inquam, ab huiuſmodi impenſis abſtinere omnes quorumcunque ordinum Rectores teneantur, præcipuè tamen ad eas euitandas illi obſtringuntur Prælati, qui ſtrictam ſectantur paupertatem, maiorem cellæ receſſum, aſſiduæque orationis exercitium; quia vt Concilium Viennenſe in Gallia à noſtris Statutis citatum inquit. *Deus per illa ſibi non vult ſeruiri, quæ ſeruorum ſuorum ſtatui, & paupertatis conditioni diſſonant.* Non placet Deo ſeruitium per illa ſibi impenſum, quæ ſtatui, & paupertati, quam ſui ſerui ſunt amplexati, non conueniunt, & ratio eſt: quia quò magis quis adnititur in rebus planè non neceſſarijs euitare ſumptus, eò magis ſtabilitur receſſus, & pro orationis continentis exercitio neceſſaria præparatio, ac fuga conuerſationis ſecularium, à quibus facer religioſorum profectus, bona æſtimatio, horumque iuſtorum in perfectione conſeruatio indubiè, & omnino dependet. E contra verò ſi exceſſus committatur in ſumptibus non multùm neceſſarijs, & aliunde larga media non ſuppetant, tum porta diſtractioni recluditur, laxantur habenæ frequenti exitui, ac viſitationibus, vel nulla, vel permodica vrgente neceſſitate factis, vaniſque inutilibus, ac aulicos potiùs decentibus verborum, & ſalutationum officijs non leuiter caſtitati damnoſis, quæ fieri ſolent obtentu boni communis temporalis. Quæ omnia ſi permittantur, tum ſequitur, vt Prælatus in damnum tam ſuum, quàm ſubditorum ſuorum adigatur indulgere, & ſecularibus quod petunt, concedere, tametſi cedat in detrimentum obſeruantiæ,

Concil. Viennenſe.

Digitized by Google

tiæ, legum, ac Sacrarum Ordinis conſuetudinum. Quod Diuus Bernardus luget, ac lamentatur, eorumque, qui talia agunt, miſeram dolet vicem, in hæc verba prorumpens. *Video, & alios, quod non ſine dolore videri debet poſt aggreſſam Chriſti militiam, rurſus ſecularibus implicari negotijs, rurſus cupiditatibus terrenis immergi, cum magna cura erigere muros, & negligere mores ſub prætextu quoque communis vtilitatis, verba vendere diuitibus, & matronis ſalutationes.* Contueor, proh dolor, non paucos (quod ſine magno ſenſu videri nequit) qui militiæ Ieſu Chriſti, quæ eſt religio: adſcripti, denuo ſe immiſcent negotijs ſecularibus, terreniſque mancipantur deſiderijs, boni communis obtentu, curantes magna extrui ædificia, negligentes interim, & parui pendentes bonos mores, & ex virtutibus erigendam religioſæ vitæ fabricam, conuerſantur, & tempus terunt cum viris pecunioſis, & illuſtribus fœminis in vanis, parumque religioſis corporis motuum, ciuiliumque verborum officijs.

S.Bern. ho.4. ſuper miſſus eſt prope fin.

Si tamen Prælati animum attendere velint, tum comperient, ſe toties nimiæ cupiditatis, & temporalis emolumenti ergo præcipuæ ſui officij parti contrauenire, quoties religioſos maiore temporis parte foras vel mittunt, vel ſecum educunt, & hoc in cauſa eſt, quòd, dum ſuis conſuetis, ad quas tenentur, non inſiſtunt functionibus, eorum ſpiritus exareſcat, & orationis exercitium omnino intercidat, & depereat.

Ad huic autem ponendum malo remedium, opus eſt, vt Superiores noſtri ſemper meminerint verborum conſtitutionum noſtrarum, quæ ſunt talia. *Hortamur verò in Domino, & ſæpius in viſceribus Ieſu Chriſti Superiores omnes monemus, ne terrena cæleſtibus, humana diuinis præferentes, ſubditorum ſalutem, ac proinde propriam (cum eorum rationem teneantur reddere) pro vili, ac temporali lucro tot periculis exponant.* Obſecramus in Domino, & in viſceribus Ieſu Chriſti monitos volumus Prælatos, omnes, ne peopter lucra temporalia in diſcrimen adducant tam ſuam propriam, quàm ſubditorum ſuorum ſalutem, Sacrumque animarum profectum, dum præferendo humana diuinis, ipſos grauibus, & aſſiduis exponunt periculis, in quæ per frequentes exitus ſolent incurrere. Nequit profectò hæc materia ſufficienter ponderari, & extendi: non enim dubium eſt, quin omnia damna, mala, & exceſſus, quicunque contra tria vota, & ſpeciatim contra votum caſtitatis, ac paupertatis committuntur, per hanc ſe inſinuent portam. Et quia obtentus exeundi fo-

Conſtit. Congreg. Hiſpan. Carm. Diſc. 1. part. c. 10.

Digitized by Google

di foras ad neceſſaria quærenda ordinatur, & rationi multùm conueniens reputatur, idcircò vix vnum inuenies, qui eum bene examinet, & ſe à nimia cupiditate vinci non permittat; tota fiducia ſua in humanis induſtrijs repoſita. Ipſius veritatis, pluriumque annorum experientiæ magiſterio eruditi didicimus, illos Superiores, qui maiorem habuere rationem vitæ ſepoſitæ, collectionis animi, & receſſus, plus ſemper, quàm opus erat, de neceſſarijs habuiſſe, & ex eo, quod ego per multorum annorum regendi exercitationem colligere potui, pro certo affirmare poſſum Prælatos propter immodicam rerum temporalium curam communiter ſe in diſcrimen conijcere non ſatisfaciendi obligationi, qua erga ſubditos tenentur, quamque eorum officia, & quidem in materia graui inducunt. Veriſſimum namque eſt illud dictum Diui Gregorij, quo aſſerit, illum veri Paſtoris muneri, prout exigit ratio, non ſatisfacere, ac proinde talis miniſtri non mereri nomen, qui pluris facit, & æſtimat bona terrena, quàm animæ ſalutem ouium curæ commiſſarum. Percipite verba tanti Pontificis hac ſuper re ita loquentis. *Dum plus terrenam ſubſtantiam, quàm oues diligunt meritò nomen paſtoris perdunt.*

S. Greg. to. 3. hom. 14. in Euang. ad princip.

§. & Conſilium IV.

Quantum ordinum inſtauratorum interſit virtus ſilentij, & quàm exactè id à Prælato ſit obſeruandum, in rebus maximè, quas clam haberi oportet ratione Gubernij.

Licèt inſtauratio vnius ordinis ex partibus conſtet diuerſis, variarumque virtutum exercitijs, hæ tamen, vt ſuum aſſequi poſſint finem, taliter à virtute ſilentij pendent, vt ſine illa eò pertingere non valeant: quia licèt verum ſit, quod ſubſtantia vnius vineæ non in ſolo conſiſtat labore, quo colitur, ſed in vitibus, & frondibus, ex quibus componitur, hoc tamen non obſtante ita à labore culturæ dependet, vt, ſi is non ſedulò impendatur cum veritate dici poſſit, vineam non ſubſtituram. Pari modo licèt ſubſtantia perfectionis religioſæ in ſolo ſilentio formaliter non conſiſtat, fieri tamen non poteſt,

vt

Digitized by Google

vt illa in ſua integritate conſeruetur, ſi hæc virtus exactè non colatur. Idcircò Iſaias Propheta pronunciando fidem dedit, quòd, quando in hunc mundum eſſet venturus filius Dei ad Sanctimoniam introducendam, ſuique Euangelij perfectionem, tum Sanctum ſilentium eſſet cultus futurus, quo huiuſmodi perfectio foret colendo: & tam diu in ſuo flore eſſet manſura perfectio, quamdiu cultus ſilentij perduraret. *Et erit cultus iuſtitiæ ſilentium, & ſecuritas, vſque in ſempiternum.* *Iſ.32.v.17.*

Hæc eſt cauſa, quod Sanctus Bernardus omnes progreſſus ſui priuati, & inſtituti, in quo viuunt, reformationis amantes adhortetur religioſos ad ſeriò incumbendum huius virtutis cultui, & obſeruantiæ, vt eius interuentu, & opera in animabus ſuis excolant ſanctitatem, atque perfectionem; quia ipſa inſtar benignæ matris lac, & nutrimentum præbet, reliquis virtutibus, eaſque deinde educatas tuetur, adornat, & adeò excolit, vt eas reddat amabiles, & reſpectu cunctorum eas videntium veneratione dignas, ac per hoc quilibet ad eas imitandas inducitur. Doctoris autem Melliflui hortamentum, ac prouocatio, ſimulque tactæ virtutis deſcriptio eſt talis. *Ad hunc ergo iuſtitiæ cultum, ad hanc omnium virtutum matrem, nutricem, cuſtodem, & te, & quicunque tui ſimiles proficere cupiunt in virtutibus, inuito, & prouoco.* *S.Bern.ep.89* Prælatus ergo, qui exoptat ſuam communitatem habere bene reformatam, atque perfectam, ſingularem, & exactam adhibeat curam, vt obſeruetur ſilentium: quia quò magis illud obſeruabitur, eò magis erit conuentus expeditus, & liber à vanitatibus mundi, & veram ſuauiùs redolebit religionem, quia iuxta effatum Iacobi Apoſtoli; *Si quis putat ſe religioſum eſſe non refrænans linguam ſuam, ſed ſeducens cor ſuum, huius vana eſt religio.* *Iacobi 1. v. 26.* Siquis exiſtimet religioſum ſe eſſe ſine fræno linguæ iniecto, is multùm aberrat: quia indubitatum, & compertum eſt, religionem ſine ſilentij obſeruantia ita vanam eſſe, vt nec quidem ſpeciem, aut ſimilitudinem aliquam ſui retineat.

Suadetur ergo Prælato, vt ſit valde tenax ſecreti, ſilentij, & eius, quod facere cogitat, nullam ſuis ſubditis ante tempus det partem. Pro cuius rei fideli obſeruatione ſciendum ipſi eſt, quòd pro bona adminiſtratione duo ſint tempora obſeruanda. Vnum vſui eſt ad conſiderandum, & decernendum id, quod fieri conuenit; alterum ad executionem præcipiendam. Quantum ad primum, oportet rem cum ſolo Deo communicare, & cum aliquo viro multùm prudente, à quo capeſſi poſſit conſilium.

Quan-

D.Bern.de ord. vitæ. Quantum ad ſecundum, neceſſe eſt, vt Prælatus rei, quam fieri cupit, de ſuis ſubditis partem, non tamen eo fine, vt eam examinent, ſed vt ad opus deducant. De primo itaque Siracides; *Homo ſapiens tacebit vſque ad tempus* (intellige executionis) *laſciuus autem, & imprudens non ſeruabunt tempus*. Homo prudens, & ſapiens tacebit, vſque dum tempus appetat tempus, imprudens verò, & præceps loquendi tempus non operientur. Et certè magnus in vno ſuperiore error prudentiæ eſt, mox ore proferre, & id totum, quod facere, & diſponere cogitat auribus, & fidei ſubditorum ſuorum concredere: cùm enim opiniones ſint variæ, atque diuerſæ, quilibet ſentit, & ægrè fert, ſiquis ſuam non ſequatur opinionem. Ex quo conſequitur, Superioris taliter ſe gerentis gubernium non ſecus ſe habere, ac functio illorum, qui munus obeunt luſtricorum parentum, in qua vterque aliquam habet partem. Ita tamen ſe gerere multùm aduerſatur modo gubernandi religionem, qui poſtulat, vt Prælatus diſponat, & præcipiat, ſubditi verò obediant, in regimine verò huic contrario, nec Prælatus, vt debet, præcipit, nec ſubditi, prout oportet, obediunt, cùm tamen perfecta obedientia conſiſtat in ceſſione, & abnegatione iudicij proprij, vt alterius quis ſequatur, ſuumque Superiori ſubmittat iudicium. Et hæc eſt illa obedientia, quam Deus à religioſis (vt Bernardus auctor eſt) exigit, quamque Prælatus in ſuam introducere, & plantare tenetur communitatem, prout ex his Doctoris Melliflui conſtat verbis, *Hoc autem vult Deus, vt homo per hominem doceatur, & minor maiori ſubdatur*. Quantum ab hoc ſecreto ſeruando dependeat, optimè perſpectum habuit Metelius philoſophus, idque nobis indicare voluit, dum dixit, quod ſi induſium, quod geſtabat, ſua ſciret conſilia, id illico exueret, & in ignem proijceret. *Si tunica conſiliorum meorum eſſet conſcia, detractam in ignem mitterem*. Quo dicto inſinuare volebat, quòd ſi vnus tantùm habeat ſecreti notitiam, ſiue Prælatus, ſiue amicus aliquis ſit, tum abſque multis incommodis, & inquietudinibus bonum res habere ſucceſſum, & ad opus deduci non poſſit.

Metelius.

§. &

Digitized by Google

§. & Conſilium V.

Non multùm neceſſariæ cum ſubditis diſceptationes ſunt euitandæ Prælato, & nulla ipſis danda occaſio petendi ab eo, cur hoc, vel illud faciat.

QVoad poterit, vitet Prælatus cum ſubditis ſuis diſputare, præſertim verò in rebus ad ſcientiam archithectonicam, Mathematicam, globorumque cæleſtium peritiam, vel ad alias hoc genus ſcientias ſpectantibus, quæ parum proficiunt, diuerſiſque ſunt implexæ opinamentis: per talis enim conditionis diſſertationes ſubditi his in ſcientijs bene verſati ſe multum ſuis Prælatis exæquant, quæ tamen res multa poſt ſe trahit incommoda. Non ſine ratione ergo interdicit Paulus Apoſtolus ſuo Timotheo tales quæſtiones mouere, & pro ſua interdictione his vtitur verbis. *Stultas autem & ſine diſciplina quæſtiones deuita, quia generant lites.* Diſceptationes diſciplinæ expertes, vult dicere, nihil vtilitatis habentes, quin imò nociuas, & ad bonum exemplum modicè conferentes declines, velim: plerumque enim deſinunt in quærelas, & iurgia, magno cum obſeruantiæ, & venerationis Superioribus debitæ detrimento. Vbi Sanctus aduertit Chryſoſtomus, quòd Apoſtolus Timotheo perſuadere laborarit, ſimiles non vna duntaxat, ſed pluribus vicibus deuitare quæſtiones, nec eam ob rationem, quòd par non eſſet ad eas capiendas, diſſoluendas, & refellendas, ſed ob rationem à nobis iam dictam, & aſſignatam. Ita os aureum ſentire hæc eius indicant aurea verba. *Vides, vt vbique illum à quæſtionibus arceat, non quòd ille idoneus non fuerit eas euertere; alioqui dixiſſet, cura idoneus fieri ad eas euertendas, verùm nouerat eſſe prorſus inutile huiuſmodi ſubire certamina, nullumque finem habitura, niſi rixas.* Solerter itaque cauendum Prælato, ne ſuis occaſionem præbeat ſubditis, diſputationem ſecum ſuper ijs, quæ ad gubernium ſpectant, inſtituendi. Idcircò ſi aliquid extra capitulum, vel refectorium occurrat monendum, & emendationem requirat, breuiter dicat, & ſuccinctè, ne ſi fuſior eſſe vellet, ſubditi mouere quæſtiones, ac reſponſa dare incipiant, debitamque erga ipſum reuerentiam

2. ad Timoth. 2. v. 23.

S. Chryſoſt. to. 4. hom. 6. ad med. in hunc locum.

Digitized by Google

tiam exuere tentent, ac plus inde damni, quàm emolumenti proueniat, Ita Apoſtolus ſuadet Timotheo, dum inquit: 2. ad Timoth. 2. v. 14. *Noli contendere verbis, ad nihil enim vtile eſt, niſi ad ſubuerſionem audientium*. Nolo, cum tuis diſputes ſubditis: te enim auſcultantibus in permodicum cedit exemplum, exiguamque in te arguit reticentiam, atque prudentiam: quia iuxta Salomonis effatum: Prou. 14. v. 23. *Vbi verba ſunt plurima, frequenter egeſtas*. Vbi multiloquentia, ibi plerumque non multa prudentia, ſinceríque animi magna pauperies.

§. & Conſilium VI.

Singularis Prælato intendenda eſt cura commotionem animi moderandi, ita tamen, vt non negligat explere partes, ad quas tenetur ratione guberniј.

SI ſubditi aliquid Prælato, vt Patri confiderint, duas res exactè obſeruare procuret. Prima eſt, vt in re ſibi concredita ſit perquam exactus cuſtos ſecreti, eſto ſit res leuis momenti, niſi iuſta, & ineuitabilis obſtet ratio, quæ ipſum ad contrarium faciendum inducat. Secunda eſt, quòd ſi ſubditus tali in occaſione ſit animi perturbatione commotus, tum Prælatus, ſi idem in ſe ſentiat, ſtudeat infrænare iracundiæ motum, & pro reprehenſione, quam fortaſſe facturus eſt, vtatur ſuauibus, amabilibus, & ad modeſtiam compoſitis verbis, tametſi ſubditus nonnihil audentem ſe monſtret: quia licèt Prælatus tali in occaſione aliquantulum ſuo cedat iuri, nihil tamen derogatur bono communi, quin imò facit lucrum, metitque exinde profectum, talemque per medicinam meliùs, quàm per contrariam plaga indignatione commoti ſubditi ad Prou. 15. v. 1. curationem accedit: quia, vt ſapiens loquitur, *Reſponſio mollis frangit iram*. Reſponſum lene pacat, atque componit iracundiæ motum, idem deinde alio loco talem, quæ magnis ad rem noſtram facit, profert ſententiam. *Patientia lenietur* Prou. 25. v. 15. *Princeps, & lingua mollis confringet duritiam*. Tolerantia mitigabitur Princeps, ſuiſque ſuauibus deinde verbis repugnantem emolliet, & miteſcere faciet. Magis explicatè idem ſeptua-

Septuaginta ibi.

tuaginta dixere his vſi verbis. *In longanimitate proſperitas regibus, lingua autem mollis conterit oſſa.* In cunctatione, & mora Regum proſperitas eſt; lingua enim dulcore vtens frangit oſſa, quod eſt dicere, emollit quantumcunque durum, & obſtinatum animum. Addamus dictis & Auguſtinum in hæc verba loquentem. *Si conuitium, vel minæ, vel etiam perſecutiones eius, quem argueris, lacerauerint animum, ſi adhuc ille per te ſanari poſſe videbitur, nihil reſpondeas, donec ſaneris prior, ne fortè carnalibus motibus tuis ad nocendum conſentias, & exhibeas linguam tuam arma iniquitatis peccato, ad reddendum malum pro malo, aut maledictum pro maledicto. Quidquid enim lacerato animo dixeris, punientis eſt impetus, non charitas corrigentis.* Si correptus ſe contra te vertat, ſi per minas, & contumelias tuum aggrediatur honorem, ſpes tamen ipſum adhuc curandi ſuperſit, non illico reſponde ipſi, ſed præſtolare, donec ad ſe redierit, & tranquillatum ſit mare, ne iracundiæ impetus ob acceptam excitatus iniuriam te pertrahat ad inferendum damnum, conflans ex lingua tua arma peccati ad reddendum malum pro malo, & maledictum pro maledicto: quidquid enim taliter comparatus dixeris, non erit aliud, quàm verba præcipitanter prolata, & excexpers ſi feceris eam, charitatis correptio.

S. Auguſt. in Expoſit. c. 6. ad Galat. columnis 3. ante finem tractatus tom. 4.

Vnum pro fine huius paragraphi adhuc ſupereſt animaduerſione perdignum, & eſt illud, quod, quando Prælatus habet vnum ſubditum ad indignationem ex natura ſua multùm facilem, & procliuem, & in ipſo animaduertit, quòd ſe oſtendat offenſum, tum cautè ipſum deuitet, nec vnquam ſolus cum ſolo agere committat, ne ſubditus talis obſeruantiam exuat erga ipſum, vel ipſi occaſionem præbeat taliter indignandi, vt propter ſcandalum, quod dari poſſet in tali euentu, ſuam imminutum eat exiſtimationem, atque auctoritatem.

Digitized by Google

§. & Conſilium VII.

Vt Prælatus cum fructu gubernet, magna ipſi opus eſt animi ſubmiſſione, quæ vt ipſi ſolidè perſuadeatur, referuntur peculiares vtilitates, quæ gubernio ex hac virtute accreſcunt.

INter vtiliora, quæ vni Prælato dari poſſunt, conſilia, illud eſt vnum, quo ipſi animi modeſtia conſulitur: quia, cùm humanus animus propriæ vilitatis, abiectæque conditionis immemor tam vehementer propendeat ad celſitudinis, & excellentiæ gradum, ſi inſuper huic innatæ propenſioni dignitas, & præfecturæ poteſtas, ac confictæ ſubditorum, quibus gratiam Superiorum aucupari nituntur, laudes accedant, tum homines in officio conſtituti, tantam de ſe habent exiſtimationem, vt credant, ſe ad felicem in negotijs obtinendum ſucceſſum, & ad maiores, quæ in gubernio occurrere ſolent, ſuperandas difficultates, nullius prorſus hominis opera indigere; imò obliuioni tradentes confugium, quo Deum ad ferendam opem implorare deberent, ægrè aliorũ ſectantur opinamentum, tametſi illud propriorum eſſet Superiorum. Habemus huius rei ſatis clarum in Saule Rege exemplum, qui ita malè vſus eſt officij ſui auctoritate, vt, cum paulò ante eſſet optimæ, & modeſtæ naturæ, prout conſtat exinde: quia in principio recuſauit tanti nominis dignitatem, ea poſtmodum in ſe ſuſcepta, omnem ſimplicitatem, animique modeſtiam, quam priùs habuerat, à ſe abiecerit, hominesque, imò Deum ipſum maxima, & imprudentiſſima arrogantia ſit aſpernatus. Non ſubterfugiebat hoc periculum aquilinum Apoſtoli Pauli obtutum, quod, vt euaderet, contrariam inſtitit viam: cum tanta enim in Paſtoris, & Doctoris Gentium munere, cui impoſitus fuerat, ſeruiebat Deo animi moderatione, vt Præſules Eccleſiæ Aſianæ his fidenter allocutus ſit verbis. *Vos ſcitis à prima die, qua ingreſſus ſum in Aſiam, qualiter vobiſcum per omne tempus fuerim, ſeruiens Domino cum omni humilitate.* Calletis bene, me cum omni animi modeſtia inter vos eſſe conuerſatum, quam non in vna ſolummodo re vobis probaui, ſed in quibuſlibet, & ſemper, in corde nimirum, in verbis, in operibus, in conuerſa-

Act. 20. v. 18.

Digitized by Google

uerſatione cum alijs, in victu, & veſtitu, denique, vt verbo dicam, in vniuerſis alijs rebus. Super quem locum ita Chryſoſtomus. *Qua in his, qui præſunt, maximè congruit, eò quod facillimè in arrogantiam tolluntur.* Hanc ſuam animi demiſſionem propoſuit Apoſtolus in exemplum, quæ pro ijs, qui gubernij clauum tenent, omnino neceſſaria eſt, facilè enim de ſe ipſis arrogantiæ, & elationis vitio ſublimiter ſentiunt. Chriſtus Dominus è Cœlo miſſus Magiſter, vt Prælatos hoc liberaret periculo, ſuaſit ipſis, vt inſtar famulorum ſe gerant, tametſi dignitate officij, & conditione perſonæ cæteros antecellant. *Qui maior eſt, erit miniſter veſter.* Concordat cum hoc etiam dictum Spiritus Sancti, qui ore Eccleſiaſtici nobis edicit vt quò maiores in gradu ſumus, eò nos ampliùs in cunctis occaſionibus demittamus. *Quantò magnus es, humilia te in omnibus.* Vbi Doctor Mellifluus cum alijs ex Græco ſic legit. *Tantò verò quiſque debet eſſe humilior, quantò eſt ſublimior.* Modus modeſtiæ animi debet magnitudini, & auctoritati perſonæ; doniſque, quæ à Deo accepit, congruere.

S.Chryſoſt.ſuper hunc locum.

Matth.23.v.11.

Eccli.3.v.20.

S.Bernard.de donis Spiritus Sancti c.2.ad prædictum locum.

Vix datur virtus, quæ ad bonum, & prudens gubernium plus momenti afferat, quàm virtus Chriſtianæ humilitatis. Primum; quia ſapientia, & prudentia, tam multùm Rectoribus neceſſariæ comites incedunt cum ea, ſapiente atteſtante, qui ait: *Vbi eſt humilitas, ibi & ſapientia.* Hoc ipſum confirmatur ex gratiarum actione, quas Redemptor noſter ſuo æterno perſoluit, & ea de cauſa habuit Patri, quod reconditiſſima ſapientiæ arcana animo modeſtis retexerit, clam verò habuerit, & celauerit ſuperbis. *Confiteor tibi Pater, Domine Cœli, & terræ: quia abſcondiſti hæc à ſapientibus, & prudentibus, & reuelaſti ea paruulis.* Adhæc haud inter modica referendum eſt bona, quod Prælatus corde humilis, ſit factus, & comparatus ad capeſſendū conſilium, cuius rei defectu alijs moderandis impoſiti exponuntur periculo perquam multos committendi errores: quia modeſtus animo facilè ſibi perſuadet, ſe imparem eſſe, & ſibi, & alijs regendis, propterea in negotijs aggrediendis, & expediendis non prætermittit in conſilium adhibere illos, qui bene conſulere poſſunt, qua ratione promeretur priuilegij illius fructum, quo perfruuntur parem agendi inſiſtentes viam, quæ eſt ex præſcripto ſapientiæ ſe regere. *Qui agunt omnia ex conſilio, reguntur ſapientia.* Cedit præterea in magnum communitatis bonum, animi modeſtiæ pariter adſcribendum, ſi

Prouerb. 11. v. 2.

Matth.11.v.25.

Prouerb. 13. v. 10.

Digitized by Google

Prælatum habeat, qui ſua nouerit moderare verba, potiſſimùm in correptionibus faciendis, in quibus ipſi abſtinendum à verbis aculeatis, conuitium redolentibus, & vltra modum profuſis.

His autem omnibus moderari eſt pariter ſubmiſſionis animi officium: ipſius enim inductione, & ſuaſu fit, vt quis cum proximo ſe gerat humaniter, & reuerenter, contrarium verò modum vſurpat ſuperbiæ vitium, cuius proprium eſt, indignatione ſe permittere abripi, alioſque verbis contumelioſis inceſſere iuxta oraculum Spiritus Sancti ita loquentis. *Vbi fuerit ſuperbia, ibi erit, & contumelia*. Semper conſociata ſunt hæc vitia, & vbi vnum eſt, ibi adeſt & alterum: quia cùm homo elati animi omnes deſpicatui habeat, idcircò ipſos etiam contemptim tractat, loquendo ipſis verba faſtu, indignatione, ac vilipendio referta, & nonnunquam ſine omni ratione.

Prouerb. 11. v. 2.

Præmiſſis adhuc addere poſſumus, quòd ſubmiſſio animi reddat Prælatos multùm amabiles. Aſſiſtit mihi teſtis Diuus Chryſoſtomus, qui vocat virtutem, cuius laudes, & fructus proſequimur, nutricem, & conſeruatricem amoris. *Nutrix dilectionis humilitas eſt*. Nec mirum, quia hæc virtus eſt valde ſedato, & pacato animo, & ideo perinde, atque pax ipſa amabilis, quod cauſam dedit eidem Chryſoſtomo alio loco dicendi, modeſtum animo bene viſum eſſe, & gratia valere apud omnes, aſſiduaque ſe ſuſtentare, & reficere pace, cuius hac ſuper re iſta ſunt verba. *Humilis eſt gratioſus, & iucundus omnibus, & cum pace perpetua alitur, & belli nullam habet materiam, & occaſionem*. Modò, cùm amor ſubditorum erga ſuos Prælatos, vt experientia conſtat, ſit res permagni momenti, idcircò ſi moderatio animi in Prælato hunc in ſubditis producat amorem, tum extra diſceptationem eſt, ipſum eſſe perneceſſarium pro humano, & in vtilitatem cedente gubernio.

D. Chryſoſt. to. 2. hom. 9. oper. imperf. in Math. ante med.

Idem. tom. 4. hom. 1. in c. 1. 1. ad Cor. ad med.

Pro vltimo etiam non tranſmittendum ſilentio arbitror, humilitatem animi eſſe præclaram præparationem ad gratiam Dei, eiuſque dona, & beneficia tam acquirenda, quàm conſeruanda, ſine quibus omnino integrum non eſt bene regere.

Modò, ſi ex me ſcire velitis, quæ Prælato ineundæ ſint viæ, quibus conſequi poſſit, vt ſibi debitus deferatur honor à ſubditis, tum reſpondeo primò, hunc honorem, & reuerentiam non exigendam eſſe à Prælato titulo iuſtitiæ, niſi in caſibus,

bus, in quibus ita facere æquum expoſcat. Dico Secundò ſingularem ipſi ad hunc finem intendendam eſſe curam nihil committendi, quod cauſa eſſe poſſit, propter quam ſubditi erga ipſum debitum dediſcant obſequium; è contra conſultum ipſi volo, vt omnem nauet operam id faciendi, quo ſubditi moueri poſſint ad venerandum in ipſius perſona Ieſum Chriſtum. Quod vt obtineat, opus eſt, vt nunquam ſuos ſubditos aculeatis verbis laceſſat, vel deridiculo habeat, tametſi quid riſu dignum committant, ac per hoc cauſam ridendi vel iocandi præbeant. Diuus Hieronymus in Epiſtola ad Nepotianum monet Epiſcopos, vt honoratè ſuos tractent Clericos, ſi velint à ſuis Clericis vt Epiſcopi haberi, & honorari. *Epiſcopi*, inquit, *honorent Clericos quaſi Clericos, vt & ipſis à Clericis, quaſi Epiſcopis honor deferatur*. (*S.Hieron. to. 1. Ep. 2. ad Nepot.*) Deinde ad huius rei ſuadelam proximè hæc verba ſubiungit. *Scitum eſt illud oratoris Domitij, cur ego te, inquit, habeam, vt Principem, cùm tu me non habeas, vt Senatorem*. Quæ me ratio vrget, vt ego te æſtimem vt Principem, cùm tu non digneris me æſtimare, vt Senatorem. Etiam Conſilio Apoſtolico, quod vera fundatur in charitate, mutuus inter nos honor ſuadetur hiſce verbis. *Honore inuicem præuenientes*. (*Rom. 12. v. 12.*) Quiſcunque honori ſibi ducat præuenire alterum in debito ipſi exhibendo honore, vt alter vices rependat eiuſmodi exhibitione honoris, quem gradus, & conditio eius expoſtulant.

DISCVR-

Digitized by Google

DISCVRSVS DECIMVS TERTIVS.

Quam multùm Prælati in trium votorum obſeruantia teneantur eſſe eximij, & hac in re ſubditis bonum dare exemplum.

§. & Conſilium I.

De accurata obedientia quam Prælatus Deo, ſuiſque legibus, & in altiore gradu conſtitutis ſuis debet ſuperioribus.

NOrma bene regendi, quæ Prælato præſcribitur, eſt, vt in ſuo ſe gerat officio, non inſtar Domini, & heri dominantis in clero, ſed inſtar ſerui, & adminiſtri Dei. Ea propter taliter ſe gerendi rationem voluit Apoſtolus pro ſigno poſitam, ex quo vnuſquiſque veros Prælatos diſcernere poſſet, ob id dicebat, 1 Cor. 4. v. 1 *Sic nos exiſtimet homo, vt miniſtros Chriſti*. Alij ab hominibus videri, aliumque titulum miniſtrorum Chriſti. Ex hac poſitione conficitur, illum meliorem eſſe Prælatum, qui in omnibus ſuis iuſtis illud tantumodo ſpectat, vt impleatur, quod Deus per ſuas leges, & conſilia à ſubditis faciendum decreuit, atque diſpoſuit, ac per hoc fideliter obeat munus miniſtri Dei, quo pacto tenetur ipſe magis ſubditus eſſe, quàm omnes ipſius ſubditi iunctim, ſi tamen graui obligationi, quæ eius annexa eſt muneri, prout par eſt, ſatisfacere velit. Subditi implent, quod debent, ſi faciant, quod iubentur; Prælatus verò ſuo non ſatisfacit muneri, niſi Deo, legibus, atque conſilijs obſequens ſit tam in ijs, quæ ſubditis præcipit, quàm in ijs, quæ ad ſuam priuatam ſpectant perſonam. Congruit proinde hic optimè Diui Thomæ ſententia in hæc verba prolata. D. Thom. 22. q. 32. a. 7. ad 1 *Sapientium enim, & meliorum eſt principari, & præeſſe*. Adminiſtratio, vel præfectura ſapientibus, & melioribus eſt deman-

danda

danda: ipſi enim (vt vidimus) tam propter ſe, quàm propter alios regendos opus habent maiore, & longiùs proſpiciente notitia, ac ampliore, atque exactiore ſuæ voluntatis cum diuina conſenſione. Ratio, cuius intuitu Deus elegit Abraham Patriarcham in ſacrum omnium ritè credentium Patrem, & inſtructorem eorum, fuit eius magna, & perfecta diuinæ voluntatis cognitio, & ſuæ ad eam exacta, & plena confirmatio, *Benedicentur in ſemine tuo omnes gentes, quare obediſti voci meæ.* Gen.22.v.18 Diuina itaque Maieſtas cenſebat ipſum ex ea ratione aptum pro munere Patris Superioris, & Magiſtri cunctorum fidelium, quia tam bene didicerat modum obediendi Deo, ſuamque cum illius voluntate conformandi in rebus, non minùs modicis, quàm maioris momenti, & maximis.

Tenetur adhæc Prælatus non ſolùm diuinæ, ſed etiam humanæ ſuorum ſuperiorum voluntati, ſe conformare, & imperatis eorum, ſi quando dederint, in omnibus morem gerere, quod vt à ſe obtineat, nunquam ipſi à ſuis, quos ſub ſe habet, ſubditis ſperanda eſt perfecta obedientia, quamdiu ipſe non fuerit accuratus in obediendo ſuis Superioribus. Sicu tenim in noſtris protoparentibus tamdiu pars inferior fuit rationi ſubiecta, quæ ſuper illam ius imperandi habebat, quàm diu ratio fuit ſubiecta Deo, cui ambo tenebantur parere: Deus enim erat vtriuſque verus rector, atque ſuperior. Illico verò ac ceſſauit obedientia rationis ad Deum, etiam ceſſauit obedientia partis inferioris ad rationem. Idem prorſus Prælatis cum ſuis ſubditis contingit, quando ſuis negligunt maioribus obedire ſuperioribus, quod ſolerter aduertit S. Auguſtinus his verbis. *Ille, qui ſibi ſubijci vult, quod eſt inferius, ſe ſubijciat ſuperiori ſuo.* S. Auguſt. in Pſal.143. Vt quis habeat obedientiam ab inferiori, opus eſt, vt ipſe etiam ſuo ſuperiori obediat, & hac ratione, quod ſibi ab alijs vult fieri, obtinebit. Centurio Euangelicus habebat ſub ſe milites, & ſeruos ita ad obediendum promptos, vt mandatorum verbis vix prolatis ipſi illicò exequerentur, quod iubebatur, quod ipſemet his ſuis verbis teſtatur. *Nam & ego homo ſum ſub poteſtate conſtitutus, habens ſub me milites, & dico huic vade, & vadit; & alij veni, & venit, & ſeruo meo fac hoc, & facit.* Luc.7.verſ.8. Si autem quis rationem requirat, quare hic centurio ſub ſuo militantes imperio adeo promptè dicto ſuo audientes habuerit, tum Doctor Mellifluus reſpondet, aliam non fuiſſe, niſi quòd non grauatè ſe ſubiecerit, & promptè paruerit iuſſis ſui ſuperioris.

Digitized by Google

rioris. Hoc, ni fallor, indicare volunt hæc eiuſdem Doctoris verba. *Non erubuit ſuper ſe poteſtatem, & ideo dignus, qui haberet & ſub ſe milites.* Intellige tales, quales deſcripſimus. Iure ergo merebatur, quod eſſet ſuperior, & ſub ſe milites dicto audientes haberet: quia ſuis ſuperioribus expeditè parere non recuſabat. Quando Chriſtus Dominus in dilectionem Petri Apoſtoli eam ob cauſam inquirebat, vt ipſum caput Eccleſiæ ſuæ conſtitueret, vocauit ipſum non Petrum tantummodò, ſed etiam Simonem filium Ioannis, quod eſt dicere obedientem. *Simon Ioannis diligis me plus his?* Quo loquendi modo, vt Diuus Thomas eſt teſtis, indicare volebat, ſuorum imperata ſuperiorum non facientem, aptum non eſſe, vt eo modo, qui Patrem decet, gubernet illos, quos non vtcunque ſubditos, ſed vt filios ſuſcepit regendos: Deus enim iniuſtam ipſius inobedientiæ pœnam non permittet, vt artem, prout par eſt, talibus imperandi calleat, nec vt ſubditi ad debitè parendum propendeant. Pro his, quæ modo dixi, habeo Diuum Thomam in teſtem his verbis loquentem. *Primò ponitur obedientia, cùm dixit, Simon, qui interpretatur obediens: nam qui neſcit ſuperioribus obedire, inferioribus neſcit imperare.*

S. Bernard. epiſt. 42. ad iſtum loc.

Ioan. 21. v. 15

D. Thom. in Ioan.

Ad maiorem confirmationem dictorum fert etiam Nicolaus de Cyra ſuum ſuffragium, qui refert in raptu Eliæ Eliſæum ſpectatorem fuiſſe, & illum curru igneo, equiſque flammantibus in cœli abeuntem ſublimia his verbis proſecutum fuiſſe. *Pater mi, Pater mi, currus Iſraël, & auriga eius.* Superquod factum aduertit hic inſignis Sacræ Scripturæ interpres Eliam Patrem noſtrum ab Eliſæo ſpectante, primò vocatum eſſe currum, deinde aurigam eam ob rationem: quia currus ab alio, auriga verò regitur à ſeipſo, vt ex hac, & quidem tali ordine facta nuncupatione Prælati intelligerent, quòd tam diu ſuos ſubditos, ſuæque curæ commiſſos magna cum facilitate eſſent recturi, quandiù modeſto cum animo, ac prompta obedientia ſe à ſuis Superioribus duci permitterent. Hanc autem eſſe Lyrani mentem ſatis argumento ſunt hæc eius propria verba, quibus ſic loquitur. *Currus, qui ducitur, hic ponitur primò, & auriga, qui ducit, ſecundò, ad oſtendendum, quòd ille bene ducit regendo, qui primò fuit ductilis in obediendo.*

4. Reg. 2.

Lyranus in 4. Reg. 2.

§. &

§. & Conſilium II.

Prælati maiores tenentur Prælatis dignitate inferioribus auxilio eſſe, eorumque honorem, qui ipſis à ſubditis debetur, ſartum, tectumque conſeruare.

QVamuis ſuperiùs, vbi de cura, & fortitudine animi in iuſta, & prudente culparum correptione cuicunque Prælato vſurpandis egimus, etiam paucis, & in tranſcurſu proſecuti ſimus moderationem, atque prudentiam à Prælatis maioribus in reprehenſione defectuum Prælatorum inferiorum obſeruandas, modo tamen iteratò idem argumentum reſumimus, vt doctrina ibi tradita non manca, ſed omni ex parte maneat completa, huic verò, quam hìc tradimus, maius robur, & momentum accreſcat. Ad illius ergo doctrinæ complementum agimus hìc ex compoſito de ratione, & modo, qui cunctis in vniuerſum Prælatis, à maximis vſque ad minimos eſt adhibendus, vt per ipſorum exemplum, doctrinam, & dignam animos tractandi dexteritatem virtus obedientiæ in ſua perfectione conſeruetur. Ad cuius rei perfectionem ante omnia notandum eſt, quòd, licèt non negemus, à Prælatis inferioribus in omnibus obediendum eſſe maioribus, cum hoc tamen ſtet, etiam officium Prælatorum maiorum eſſe, ſingularem abhibere curam inferiorum Prælatorum defendendendi, & tuendi auctoritatem, ac reputationem, vtpote prorſus neceſſariam, ne obedientia, & cultus, ſiue veneratio, quam ſubditi ipſis debent, damnum aliquod ſubeat, vel alitenus minuatur. Conſultum proinde eſt, vt Prælati maiores reminiſcantur, quòd ſicut ipſi ægrè ferrent, & ſentirent, ſi ob defectum debitæ ſubiectionis, & obedientiæ Prælatorum inferiorum nonnihil ſui gubernij auctoritati derogaretur, pari modo Prælati inferiores magnam de ipſis habeant conquerendi rationem, ſi ex defectu prudentis, & debitæ circumſpectionis in correptione defectuum ipſorum meritò adhibendæ ipſi perdant ſuam auctoritatem, & ex conſectario ipſis à ſubditis deferendum honorem, ac debitæ obedientiæ penſum. Vt ergo in negotio nullus committatur error, opus, & conſultum eſt, vt Superiores maiores eius ſe ponant loco, quem corrigunt

Digitized by Google

gunt, ſuoſque in ſemetipſis prudenter conſiderantes defectus Eccleſiaſtici ſequantur conſilium dicentis. *Intellige, quæ ſunt proximi tui ex teipſo*. Quod eſt proximi tui diſce ex temetipſo, hoc eſt dicere, vt capere poſſitis, qualiter vos gerere debeatis cum illis, qui perinde, ac vos ſunt Prælati, attendendum vobis eſt, quid ab alijs fieri cuperetis, quo debita vobis exhiberetur obedientia. Interim vitio dare noló, ſi defectus ſuperiorum inferiorum publici, & nullam excuſationem merentes palam corripiantur, & emendentur, Nec mens mea eſt, quòd ipſis iuſta, & merita pœna non imponatur, ſed hoc tantùm volo, vt hæc omnia, ſi ſine detrimento communitatis fieri poſſit per viam correctionis ſecretè fiant, eoſque, quoad fieri poteſt, excuſare contendant, vt fuſiùs alio iam diximus loco. Momentum, & æſtimatio huius doctrinæ magis lectori probabitur, ſi maturo rationis examini ſubijciatur, quod perfectæ obedientiæ in aliquo inſtituto religioſo conſeruatio in in eò potiſſimùm vertatur, ſi Prælati in loco dent operam, vt eorum ſubditi imperata faciant, & ad opus deducant. Idcircò quando Prælati altiore dignitate fulgentes prudenter, & ex æquo curam intendunt, vt auctoritas, & vigor animi in Prælatis inferioribus conſeruetur, quæ omnino requiruntur ad huius voti obſeruantiam, & impletionem, tum tantò plus conferent, & momenti afferent ad perfectæ obedientiæ cauſam promouendam.

Eccl. 31. v. 18.

Diſcurſus 9. §. 3.

Doctrina Gregorij Magni Pontificis Maximi eſt, quòd Prælati maiores, ſi corripiant Prælatos in minore dignitate conſtitutos, ſubditos ſimul inſtruere debeant, alio modo Prælatorum inferiorum, quàm ſubditorum defectus eſſe reprehendendos, cuius ſuper hac re differentis iſtiuſmodi eſt tenor verborum. *Admonendi ſunt ſubditi, ne cum culpas præpoſitorum conſiderant, contra eos audaciores fiant, ſed ſic, ſi quæ valde ſunt eorum praua, apud ſemetipſos dijudicant, vt tamen diuino timore conſtricti ferre ſub eis iugum reuerentiæ non recuſent*. Commonefaciendi ſunt ſubditi, vt, ſi in ſuis capitibus aliqua reprehenſionem merentia conſpiciant, non ob id audentes, & liberi fiant ad committenda paria, vel maiora, ſed in his euentibus ita ſe gerere debent, vt licèt, quod vident in ipſis ſit admodum malum, per hoc tamen honorem, & reuerentiam, quàm ipſis tanquam Vicarijs, & Locum tenentibus Dei debent, erga eoſdem exuere neutiduam debeant. Volens deindè idem Sacer

D. Greg. tom. 3 part. 3. paſtor. admon 5. poſt med.

Digitized by Google

Doctor robur addere ſuæ doctrinæ ad longum differit ſuper facto Dauidem inter, & Saulem, quorum illum licèt iſte indi- *1.Reg.c.4.*
dignis modis tractaret, licèt illi varias perſecutiones cieret, & irrogaret iniurias, hæc tamen omnia apud mitiſſimum vatem tantùm non valuere, vt propterea in reuerentia, & honore, quem ipſi tanquam Regi, & vncto Dei debebat, deficeret. Poſtmodum relato caſu, qui contigit in ſpelunca, quando Dauid abſcidit oram chlamidis Sauli, concludit, quòd nunquam oporteat actiones ſuperiorum carpere, & vitio dare, tametſi tales ſint, vt iure reprehenſionem promereantur, hoc vetante reuerentia, & honore, qui debetur dignitati eorum. *Facta quippe præpoſitorum oris gladio ferienda non ſunt, etiam cùm rectè reprehendendi iudicantur.* *S.Gregor.vbi ſupra.* Ad hoc præſtandum magno ſubditis incitamento eſſe poteſt, ſi conſiderent, quòd Prælati ſuam operam prò eorum ſeruitio, & profectu potiſſimùm impendant. *Dei enim*, inquit Paulus Apoſtolus, *Miniſter eſt tibi in bonum*, *Rom.13. v.4.* reſque tam ardua ſit partibus præfecturæ, prout decet, ſatisfacere, vt quis arbitrari poſſit, vix ipſoſmet Angelos id poſſe præſtare, ſi animum ad difficultates aduertere velimus, quas proſecuti ſumus in multis noſtrorum conſiliorum. Idcircò, quò obligationes eorum, & pericula, in quibus in bonum ſubditorum ſe exponunt, ſunt maiora, eò magis ſunt digni commiſeratione, minùſque taxandi defectus eorum, præſertim cùm in proparulo ſit, vires humanas quaſi impares eſſe oneri tam magno, & graui ferendo, quod etiam Angelis poſſet eſſe formidini, prout Concilium Tridentinum teſtatur his verbis. *Onus quippe Angelicis humeris formidandum.* *Concil. Trid. Seſſ.6.c.1. de reform.* Ex quibus omnibus ratiocinatione ſuis regulis ritè conſtante concludere poſſumus, Prælatos, vt ſuo muneri exactè ſatisfaciant, ſingulari diuini Numinis auxilio indigere, quod tamen Deus multoties denegat propter ſubditorum demerita, atque noxarum commiſſiones, prout iam crebrò citatus aduertit Diuus Gregorius, ſententioſè in hæc verba locutus. *Pro qualitatibus ſubditorum diſponuntur acta regentium, vt ſæpe pro malo gregis etiam verè boni delinquat vita paſtoris.* *S.Greg.tom.2 lib.75. moſ. c.14.ad med.* Proſpera gubernatio Prælatorum pendet ex bonis meritis ſubditorum, & non raró in pœnam, & vindictam culparum à ſubditis commiſſarum permittit Deus vt etiam laude digno paſtori res non procedant æque in vita propria, ac regimine aliorum. Hoc ita ſe habente ad munus maioris pertinet Prælati ſubditos in ſupra tactis admonere,

 euen-

Digitized by Google

euentibus, vt ſecum reputent, & maturo iudicio expendant, vtrum vel cauſam malè agendi non dederint, vel ad culpas commiſſas cooperati non ſint, de quibus Prælati ipſorum corripiuntur, & pœnæ ſubijciuntur.

§. & Conſilium III.

De magna cautela, atque circumſpicientia, quam Prælatus adhibere tenetur, & dare ſimul operam, vt ſubditi idem faciant circa conuerſationem, & communionem quarumcumq; mulierum.

VNa ex præcipuis vnius Prælati regularis obligationibus, & quæ plus curæ, & vigilantiæ tam pro Prælato, quàm pro ſubditis requirit, eſt perfecta voti caſtimoniæ obſeruatio. In confeſſo enim eſt, quòd pro modo, quo hanc Prælatus amabit, & æſtimabit virtutem, eiuſque ſeruandæ accuratus fuerit cuſtos, eò plus deſiderij, & curæ ſit habiturus, ſuam nauandi ſubditos operam, vt eandem perfectè obſeruent. Hoc enim à natura inditum eſt cunctis virtutibus, id, quod ipſæ de bono habent, etiam alijs, quoad licèt, impertiri. Paulus Apoſtolus ad eos, qui ad perfectum huius virtutis ſtudium à Deo ſunt vocati, verba faciens proponit ſeipſum in exemplum, & in hac ab ipſis expoſtulat imitamen his verbis. *Volo enim omnes*
1. Cor. 7. v. 7. *vos eſſe, ſicut meipſum*. Et hoc eo fine facit, vt inſtituat Prælatos, & animarum magiſtros, qualiter hac in re cum diſcipulis, & ſubditis ſuis ſe gerere teneantur. Faciens deinde eodem loco connubium inter, & cælibatum caſtè viuentem diſtinctionem aſſerit, hunc præ alio in ſtatu vocationis ſuæ eſſe meliorem, & perfectiorem. Dando poſtmodum huius ſui deſiderij rationem, & proſequendo diſcrimen, quod inter matrimonio iunctos, & virginitatem ſeruantes eſt, affirmat, quòd, ſicut coniugati totam quaſi ſuam curam, & operam in eo ponunt, vt ſibi inuicem complaceant, & vnus alteri mutuam ſatisfactionem præſtet, ita perſonæ coniugio ſolutæ, eiuſque onere, & curis expeditæ, totas ſe impendunt, vt Deo in omnibus

Digitized by Google

nibus placeant, & ſanctæ ſint ſpiritu, prout puræ ſunt corpore. *Mulier innupta, & virgo cogitat, quæ Domini ſunt, vt ſit ſancta corpore, & ſpiritu.* Denique huius conſilij in longum ſuaſione producta in hæc verba concludit. *Porrò hæc ad vtilitatem dico, non vt laqueum vobis inijciam, ſed ad id, quod honeſtum eſt, & quod facultatem præbeat ſine impedimento Dominum obſecrandi.* Hoc dicendo bene vobis cupio, & expeditam rationem oſtendo, qua facilè cum Deo conuerſari, mutuòque cum eo tractare, & pro certo habere poteritis, vos, quidquid petieritis, obtenturos: quia virtutis huius proprium eſt, gratos apud Deum oratores creare, & tollere impedimentum efficacis ad eum precationis. Alij horum loco verborum, *Dominum obſecrandi* legerunt, *Dominum honorandi, reuerendi, illique obſeruantiam exhibendi.* Gregorius autem Magnus legit, *Domino obſeruiendi,* quod eſt dicere, *Domino ſeruiendi*, omnes tamen hi lectionis modi in verſione græca contenti denotant attentionem, curam, ſtudium, aſſiduamque vigilantiam, quæ animæ puræ, & virtuti caſtimoniæ deditæ in ſeruitio Dei impendunt, & à Diuo Hieronymo his paucis complexa ſunt verbis. *Quod intentè facit ſeruire Domino abſque vlla diſtractione*, Præcedentia deinde verba, quæ ſunt, *vt ſit ſancta corpore, & ſpiritu*, Oecomenius pertractans ſic inquit. *Corpore ſancta eſt propter caſtitatem, ſpiritu autem ſancta eſt propter familiaritatem cum Deo, & Spiritus Sancti inhabitationem.* Ex his, quæ dicta ſunt, pro concluſione modo inferimus, proprium Prælatorum regularium, præcipuè communitates, in quibus de multa perfectione res agitur, moderantium officium eſſe, ſingularem gerere curam, & experrecto inuigilare animo, pro voto hoc obſeruando, dandoque operam, vt pariter à ſubditis obſeruetur, omnes in hunc finem ineundo vias, & rationes, quæ huc conducere, & vſui eſſe poſſunt. Si laudes, & merita huius virtutis perquam raræ, vnà cum malis, quibus liberat, ac bonis, quæ confert, hic ſtylo proſequi deberemus, tum nimis fusè oporteret excurrere, idcircò vt id carptim, breuiterque perſtringam, quod huius loci eſt, referre placet aliqua, quæ Sancti Patres, Eccleſiæque Doctores hoc ſuper argumento ſcripſere. Inter hos primus occurrit Bethemiticæ ſpecus longus colonus, Hieronymū volo, qui, vt nobis perſpicuum faceret, quantum hæc virtus ſit propria, decens, & bene congruens Euangelicis, & Apoſtolicis viris, cœtibuſque religioſis à Deo in ſuam Eccleſiam intro-

Ibidem v.34.

Et v.35.

S.Hieron.contra Iouinianum de virginitate.

Oecomenius.

Digitized by Google

introductis, his ſuam huius rei perſuaſionem contexuit verbis. *Statim vt filius Dei ingreſſus eſt ſuper terram, nouam ſibi familiam inſtituit, vt, qui ab Angelis adorabatur in cælo, haberet Angelos, & in terris.* Qui enim non nubent, neque nubentur, erunt ſicut Angeli Dei in Cœlo. Et quia Prælati Vicarium tenentes locum Chriſti, ipſum imitari tenentur, ea propter ipſorum muneris eſt, in ſuis conſeruare ſubditis puritatem, cui tantus Dominus in ſua Eccleſia dedit principium. Exinde proſpicitur, quàm magna ſit obligatio Superiorum ſingularem huius virtutis gerendi curam.

S. Hier. to. 1. ep. 22. ad Euſtoch. col. 19.

Tertullianus non ſine cauſa Tullium in ſuo nomine per Aphæreſim gerens: quia ornatè ſemper loquens, his hanc virtutem verbis deſcribit. *Pudicitia flos morum, honor corporum, decor ſexuum, fundamentum Sanctitatis, & inditium omnis bonæ mentis.* Addo, & Diuum Bernardum loco Ciceroniani mellito ſtylo de eadem in hæc verba loquentem. *Quid caſtitate decorius? quæ mundum de immundo conceptum ſemine, de hoſte domeſticum, Angelum denique de homine facit? differunt quidem inter ſe homo pudicus, & Angelus, ſed felicitate non virtute. Sed etſi illis caſtitas felicior, huius tamen fortior eſſe cognoſcitur. Sola eſt caſtitas, quæ in hoc mortalitatis & loco, & tempore ſtatum quendam immortalitatis gloriæ repræſentat.* Quid caſtitate nitidius vbique terrarum inueniri poterit? quæ in ſordibus, & peccato conceptum reddit emaculatum, inimicum vertit in amicum, ex homine efficit Angelum. Licèt autem inter hunc, & illum aliquod intercedat diſcrimen; hoc tamen in felicitate tantùm, non verò in virtute conſiſtit: caſtitas namque Angeli beatitate eſt potior, hominis verò ſolidior, atque robuſtior, quia licèt varijs impetatur inſultibus, ſemper tamen Superior, & victrix è pugna regreditur. Hæc ſola, & vnica eſt, quæ in hoc mortalitatis theatro in ſcenam producit immortalitatis quendam gloriæ ſtatum.

Tertull. lib. pudicitia in ipſo princip.

S. Bern. ep. 42 col. 4.

Ad perfectam autem huius virtutis obſeruantiam promouendam opus eſt, vt Prælatus fugiat omnigenam cum fœminis familiaritatem, ac conſuetudinem, & licentiæ oculorum refrænandæ ſingularem curam adhibeat, ſuoſque ſubditos ad idem faciendum, inducere allaboret, illud Eccleſiaſtici nunquam tradens obliuioni, quo inquit. *Speciem mulieris alienæ multi admirati, reprobi facti ſunt: colloquium enim illius quaſi ignis exardeſcit.* Quàm plurimi in magnas incidere calamitates ob nimis curioſum in fœminarum pulchritudinem oculorum

Eccl. 9. v. 11.

conic-

Digitized by Google

coniectum: illarum enim intuitus, & confabulatio eſt inſtar ignis inardeſcentis. Immodica, quam quis in hac lucta de ſe habet, confidentia fuit cauſa grauium, & nunquam exſpectatorum lapſuum, vti experimento eſt comprobatum, nec poteſt dari magis certa ad lapſum præparatio, neque indubitatius labendi inditium, quàm in hac materia periculis ſe committere. Huius grauitatem periculi luculenter depinxit Cyprianus Martyr his verbis. *Aduerſaria eſt confidentia, quæ periculis vitam ſuam pro certo commendat. Et lubrica ſpes eſt, quæ inter fomenta peccati ſaluari ſe ſperat incerta victoria eſt inter hoſtilia arma pugnare. Et impoſſibilis liberatio eſt, flammis circumdari, & non ardere.* Inimica confidentia eſt, quæ in medio periculorum ſecuritatem promittit. Vana, & fragilis ſpes, qua creditur, quemquam poſſe ſaluum præſtari inter illecebras peccatorum. Dubia, & incerta victoria eſt dimicantis in medio hoſtilis exercitus, vires ſuperat flammis vndique cingi, & non aduri. Sanctus Ephrem planum mundo facturus, quàm periculoſæ ſint res mulier, eiuſque conuerſatio, atque aſpectus, his grauibus eam verbis deſcripſit. *Quid eſt mulier? Naufragium ſuper terram, fons nequitiæ, theſaurus immunditiæ, & malitiæ, mortifera conuerſatio, atque confabulatio, oculorum pernicies, animarum exitium, cordis ſpiculum, iuuenum perditio, ſceptrum inferni, & concupiſcentia præceps.* Quid eſt fœmina? eſt naufragatio ſuper terram, improbitatis cataracta, immunditiarum colluuies, ærarium nequitiarum, contubernium inferens mortem, in oculos tenebrarum offuſio, animarum euerſio, telum cor traijciens, iuuentutis confectio, infernalis Regni Regale inſigne, & in præceps agens cupiditas. Licèt autem caſtitatis decus vniuerſis ſtatum religioſum ingreſſis ſit oppidò neceſſarium, Prælati tamen, qui ſubditis bono exemplo etiam in hac virtute, & vel maximè prælucere tenentur, ad eam potiore titulo obligantur, quia eius opera intactos, & immunes ſe præſtant à malis vitij oppoſiti, quod omnem exiſtimationem, puritatem, & auctoritatem, quibus Prælati tantopere indigent, penitùs extinguit.

S. Cyprian. de ſingularit. Clericorum col. 2.

S. Ephrem to. 1. arg. ad verſus impro. bas mulieres parum ante finem.

§. &

§. & Conſilium IV.

De magna, quæ Prælato intendenda eſt, cura, vt ſi domo exeat, nunquam ſe ſubſtrabat à præſentia ſocij, & ad idem faciendum ſuos ſubditos adhortetur.

VItet Prælatus, quoad fieri poteſt, loqui cum fœminis, ſi tamen neceſſitas exigat cum ipſis loqui, tum quantociùs ſe expedire conetur, & inter loquendum magna vtatur modeſtia, ac grauitate, à cunctis affectatis, & non neceſſariis abſtinendo verbis. Domo verò egreſſus det ſubditis bonum exemplum, ſemper ſocij vtendo præſentia, tum vt ſuæ ſecutitati proſpiciat, tum, vt fœminæ, quacum agit, ſiqua vti vellet, nimiam impediat libertatem. Certò ergo perſuaſum ſibi habeant Prælati, ſe hoc ſuo agendi modo, & alijs paris cautelæ, & circumſpectionis actionibus multùm momenti afferre ad ſubditorum ſuorum profectum, & ad præbendum ijs bonum ſolidæ hac in re virtutis exemplum, ſi enim hac ratione Prælati ſe gerant, tum imprimis maiore cum libertate, & auctoritate poſſunt à ſubditis exigere, vt hac in materia, eodem, quo ipſi, ſe gerant modo, iuxta illud, *vt quemadmodum ego feci, ita & vos faciatis*. Deinde eandem exactionem magis honeſtat bonum Prælatorum, quod dedere, huius rei exemplum. Poſtremò ratione ponderis, & vigoris, quem experientia confert doctrinæ interuentu fructuum, qui proueniunt ex operatione boni, quod exercemus. Hoc eſt communè omnium Sanctorum conſilium, aliquibus in ordinibus inter ſtatuta relatum. Inter Sanctos antiquos, qui hoc ſuper argumento ſcripſere, eſt Clemens Pontifex vnus, qui in vna epiſtolarum ſuarum ſanciuit, vt nullùs Clericus ad fœminam morbo laborantem inuiſendam introeat, niſi duabus, aut tribus aſſociatus perſonis. Sin autem Presbyter fuerit, ſine duobus tamen teſtibus eam non viſitet, nec ſolus cum ſola loquatur, ad euitandos hac cautela omnes otioſos ſermones, ac inutiles, & ad rem non facientes confabulationes. Sanctio huius Sancti Pontificis fuit lata his verbis. *Ad viſitandam mulierem infirmam nullus Clericus*

Ioan. 13.

cus

cus ingrediatur, niſi cum duobus, aut tribus, & ne Presbyter ſolus cum ſola adiungatur, ſed duobus adiunctis teſtibus viſitet infirmam, nec ſolus cum ſola fœmina fabulas miſceat. Addo, & Diuum Hieronymum in eandem rem ita loquentem. *Si propter officium Clericatus, aut vidua viſitatur, aut virgo, nunquam domum ſolus introeas, tales habeto ſocios, quorum contubernio non infameris, & ſolus cum ſola ſecretò, & abſque arbitrio, vel teſte non ſedeas.* Clericus, qui ex ſui officij ratione fœminam aliquam viſitare tenetur, ſiue illa virgo, ſiue vidua ſit, non intret incomitatus, pro generali habens regula, quòd nunquam oporteat eſſe cum fœmina ſine teſte, & inſpectore actionum noſtrarum. Quod hi duo Sancti dicunt de Clericis, id Diuus Auguſtinus ad fideles extendit vniuerſos, & exigit ab eis, vt vnus alterius curam habeat caſtitatis, in quocunque fuerit loco, vbi fœminæ adſunt, etiam non excepta Eccleſia, vt Deus, qui moratur in ipſis, vnum per alterum hac ratione cuſtodiat. Summa dictorum eius hac ſuper re hæc eſt. *Quando ſimul eſtis in Eccleſia, & vbicunque fœminæ ſunt, inuicem veſtram pudicitiam cuſtodite: Deus enim, qui habitat in vobis, etiam iſto modo vos cuſtodiet ex vobis.* Quàm accuratus, & religioſus fuerit hic magnus Doctor huius conſilij ſectator, & executor, teſtis eſt Poſſidius eius vitæ ſcriptor, in qua laudes eius proſequens, ſic inquit, de ipſo. *Si fortè ab aliquibus fœminis, vt videretur, vel ſalutaretur, rogabatur, nunquam ſine Clericis teſtibus ad eas intrabat, nec ſolus cum ſolis vnquam eſt locutus.* Æmulabatur in hoc exemplum Aſſertoris ſui Ieſu Chriſti, qui hac in parte ita admirandus fuit, vt tota ſua vita ſemel tantùm, & quidem per accidens, eiuſque ſolummodo conuertendæ gratia cum vna fœmina ſine arbitris fuerit locutus, quod factum cauſa fuit, vt diſcipulos, qui in Ciuitatem Sichar cibos emptum abiuerant, & redeuntes ipſum ſolum cum ſola loquentem inuenerant, adduxerit in admirationem, prout Ioannes Euangeliſta his refert verbis. *Et continuò venerunt diſcipuli eius, & mirabantur: quia cum muliere loquebatur.* Confeſtim aduenere diſcipuli, & admirati ſunt, cùm Præceptorem, & Magiſtrum ſuum viderent huic fœminæ colloquentem, quacum tamen videbatur ſolus non eſſe, niſi per euidens, & ex caſu fortuito, quia diſcipuli paulò tardiùs rediere. Ad magis aſtruendum magnam huius cautelæ, & circumſpectionis neceſſitatem refert Cantipratenſis, ſe per triginta annos, & ſupra diuerſos Epiſcopatus Vicaria poteſtate adminiſtraſſe, & hac

S. Clem. Pap. epiſt. 2. ad Iacobum.

S. Hieron. to. 1 ep. 2. ad Nepotian. de vita Cleric. col. 4.

S. Aug. to. 2. epiſt. 109. ad med.

Poſſidius in eius vita.

Ioan. 4. v. 27.

Digitized by Google

occaſione compeririſſe, religioſos in lamentabiles caſus, ſcandala, & pericula incidiſſe, ob negligentiam debitæ circumſpectionis, quam in hac re adhibere debuiſſent. Eius narratio ex hiſce contexta eſt verbis. *Quàm vera ſit hæc vox: væ ſoli, ego noui, qui triginta annis, & eò ampliùs vices Epiſcopi in diuerſis Prouincijs, & Diæceſibus habui, qui in hoc articulo, quo Religioſi, vel ſoli vadunt in vijs, vel ſoli manent in Curijs horrenda mala, horrendaque ſcandala, horrenda pericula frequenter audiui, quæ nunquam ſuſtinuiſſent adiuncto ſocio, vel feciſſent.* Experientia didici, quàm verum ſit illud pronunciatum Eccleſiaſtæ, quo ſoli dicit, *Væ*, cùm enim per triginta annos, & aliquot varijs vicario munere præfuiſſem Epiſcopatibus, animaduerti, & præſentiſſima pericula, quibus ſe expoſuere religioſi, & ingentia mala, quæ patrarunt, & ſcandala, quæ dedere, horrenda, eam ob rationem, quòd, vel ſoli iter fecerint, vel alicubi commorati ſint, & præſertim in aulis Principum, in quas tamen calamitates nunquam incidiſſent, ſi nunquam incomitati manſiſſent. Et quia Prælatis curam adhibere incumbit, vt hoc conſilium ſubditi ipſorum ad opus deducant, & obſeruent, idcircò etiam ipſi in eo obſeruando accurati, & exacti eſſe tenentur, ne nimia libertas cuius occaſionem Præfecturæ ſubminiſtrat, ſit cauſa perditionis eorum. Nunquam ergo illis animo excidat illud graue Hieronymi dictum nimiam noſtri confidentiam his verbis diſſuadentis. *Nec in præterita caſtitate confidas. Nec Sanctior Dauide, nec Samſone fortior, nec Salomone potes eſſe ſapientior. Memento ſemper, quòd paradyſi colonum de poſſeſſione ſua mulier eiecerit.* Nolito confidere caſtitati, licèt eam per multos annos intactam, & incorruptam ſeruaueris: non enim continuò excedis Sanctitate Dauidem, nec robore Samſonem, nec ſapientia Salomonem, qui tamen omnes per fœminas corruere. Quilibet ergo oonſulat ſibi, & continenter recolat animo, quòd vna fœmina primùm hominem protelauerit paradyſo, cunctiſque bonis, & proſperitatibus, quibus inibi fruebatur, deſtituerit, ac multifarijs obnoxium fecerit miſerijs, atque calamitatibus. Auſterioris itaque vitæ ratione habenda eſt caro, vt ſpiritui pareat, & impotentes animi motus ſunt in officio continendi: nam teſte Apoſtolo, *Siquis domui ſuæ præeſſe neſcit, quomodo Eccleſiæ Dei diligentiam habebit?* Prælatus, qui propriam neſcit regere domum, hoc eſt, corpus ſuum, quod animæ habitaculum eſt, quomodo moderari poterit ijs, quos Deus ſuæ curæ commiſit?

Cantiprat. lib. 2. c. 51. n. 1.

Hieron. vbi ſupra.

1. Timoth. 3. v. 5.

Digitized by Google

ſit? Vt autem corpus ita regatur, quò animæ famulatum obire valeat, ſuadet Diuus Bernardus, illud quidem auſtero modo habendum, ne obſequium dediſcat, & ratione indultæ licentiæ, victuſque lautitiæ inſolenter ſe gerat: hic tamen rigor ea moderatione eſt vſurpandus, vt, quia corpus nobis à Deo datum eſt ad famulandum ſpiritui, vires eius non ita frangantur, vt impar reddatur ad huiuſmodi famulatum præſtandum, quod tum obtinetur, ſi de ipſius commoditate non ita immodica habeatur cura, quaſi viueretur propter illud, ſed quia non poteſt viui ſine illo. Tota hæc Doctrina fluit ex mellifluo fonte Diui Bernardi Abbatis in hæc verba loquendi. *Duriùs tractandum eſt corpus, ne rebellet, ne inſoleſcat, ſic tamen, vt ſeruire ſufficiat: quia ad ſeruiendum Spiritui datum eſt, nec ſic habendum eſt, tanquam propter illud viuamus, ſed tanquam ſine quo viuere non poſſumus*. Denique pro huius materiæ complemento monitum etiam volo Prælatum, vt, licèt carnem ſuam rationi ſubditam, & bono parentem habeat, non eò opera pœnitentiæ ipſi ſint omittenda, ſed prout vires, & valetudo permittunt, exercenda, & licèt ipſe attenta ſua perſona, horum exercitio non indigeat, tenetur tamen perinde in hac, ac quacunque alia probata actione ſuis ſubditis bonum dare exemplum. Quod perquàm fideliter rariſſimæ humilitatis ſpeculum Sanctus Franciſcus impleuit, Diuo Bonauentura teſte, qui in eius vita recenſet, quòd, quando ipſi obijciebatur, ſe ſuum corpus nimis auſterè tractare, ſemper repoſuerit, ſe ad id faciendum obſtringi, quia perſuaſum ſibi certò habebat, ſe conſtitutum eſſe à Deo ad dandum alijs bonum exemplum. Licèt autem ſibi probè conſtaret, ſuam innoxiam carnem, vtpote ſubiectam ſpiritui ratione leuium, in quas forſitan incidebat, culparum, tanto pœnitentiæ non indigere rigore, ad eam tamen durè habendam ſe obligatum eſſe cenſebat, vt ſuis ſubditis bono præluceret exemplo. Ita ergo Doctor Seraphicus de ſuo Seraphico ſcribit Patre. *Quoties auſteritas nimia reprehendebatur in ipſo reſpondebat, ſe datum alijs in exemplum. Licèt enim innocens eius caro, quæ iam ſe ſponte ſubdebat ſpiritui, nullo egeret flagello, propter offenſas, tamen exempli cauſa renouabat illi pœnas, & onera.*

S. Bern. de vita ſolitaria col. 8.

D. Bonau. to. 7. in legenda S. Franciſci c. 9. ãte med.

§. & Conſilium V.

Oportet, vt Prælatus ſit præditus magna ſpiritus paupertate, ſibique honori ducat, ſi eam accuratè obſeruet tam in expenſis communibus, quàm priuatis faciendis, præſertim verò in rebus ad quotidianum ipſius vſum ſpectantibus, ſiue quid impendendum ſit pro ſua perſona, ſiue pro cellula.

PRo Beatitudinum, & Euangelicæ perfectionis fundamento poſuit Chriſtus Dominus paupertatem ſpiritus, dum ſuum, quem habuit in monte, ſermonem his exorſus eſt verbis. *Beati pauperes ſpiritu*, Prælato ergo munere ſuo ritè fungenti danda eſt opera, vt in intimis animæ ſuæ receſſibus magnum plantet Sanctæ paupertatis amorem, Diuo enim Bonauentura teſte, *Virtutes in animo collocandæ ſunt, non in exterioribus.* Vt ergo virtutes ſolidæ, & firmæ ſint, non in exteriori duntaxat ſunt fundandæ, ſed in penetralibus cordis, & ſi Prælatus hoc faciat, duo exinde conſequetur non exigua bona.

Matth. 5. v. 3.

D. Bonau. cap. 44. Vitæ Chriſti.

Primum eſt: quia hac ratione immigrabit in veri pauperis Euangelici mores, quod fundamentum, & radix eſt euadendi in virum Apoſtolicum, & cunctis virtutibus conſummatum. Alterum eſt, quia hoc ſemel habito, fit idoneus ad dandam doctrinam Spiritui Chriſti conformem, & ſpiritui mundi directè contrariam. In his nemo plus ſcit, quàm qui eſt expeditus in bene agendo, & operando: effectus enim paupertatis, qui ſunt pax, puritas animæ, & ſublimitas contemplationis non per ſcientiam, ſed per experientiam aſſequuntur. Ex quo fit, vt quò maiores paupertatis amor in corde egerit radices, eò ſubtiliùs habens ipſum de exercitio eius philoſophatur, & quod ipſi priùs neceſſarium videbatur, id poſtmodum maturiùs conſideratum ſuperfluitas iudicetur: quia prout Diuus Bonauentura teſtis eſt, *quantò intimiùs paupertatem dilexeris, tantò ſubtiliùs de neceſſitate iudicabis.* Quò maior eſt paupertatis amor interiùs, eò limatius fertur de neceſſitate iudicium.

D. Bonau. vbi ſupra.

Inde

Inde fit, vt doctrina ex tali cognitione procedens ſit magis ſolida, ac valida ad perſuadendum, ac alios conuincendum. Si verò hoc perfectionis fundamentum cordibus ſubditorum bene ſemel inſederit, tum magnus ipſis accedet inde profectus: Etenim pro modo, quo affectum à rebus ſub ſenſum cadentibus abſtraxerint, eò viciniores vnioni boni infiniti, quod Deus eſt, ſe comperient. Quemadmodum autem perfecta paupertas in ſubditis non permittit pro eorum peculiari vſu alicuius rei, niſi omnino neceſſariæ concupiſcentiam, vel admiſſionem, pari modo, vt in vno perfecta ſit Prælato, opus eſt, vt ipſi impendiorum communium certos ſtatuat limites, quibus ſeruatis omnem ſuperfluitatem à ſe proſcribat. Debet proinde paupertas Prælati ita eſſe circumſcripta pro expenſis communibus, ſicuti eſt ſubditi reſtricta pro ſpecialibus: Paupertas ergo, & moderatio inſtar margaritæ, ſeu vnionis in pretio ſunt habenda. Eapropter Magna Mater noſtra Thereſia paupertatis valorem, & vtilitates plenè perſpectas habens dicere ſolebat, ſe plus dolere, quando omnia habebat in copia, quàm ſi alicuius rei defectum, & penuriam patiebatur. Et hoc, arbitratu meo, multa cum ratione: quia affluentia plerumque relaxationem inducit, neceſſitatis verò alicuius tolerantia eſt lapis lydius veræ paupertatis, Diuinæque Prouidentiæ argumentum: Deus enim promiſſione firmauit ſe habiturum curam eorum, qui omnia amore eius reliquiſſent, ſuumque fuiſſent imitati exemplum, cautionem præſtante Petro Apoſtolo in hæc verba. *Quoniam ipſi cura eſt de vobis.* Magna ergo cum ratione, vt Lucas Euangeliſta refert, eſt percontatus noſter Aſſertor ſuos quondam diſcipulos, vtrum aliquid defuerit ipſis, dum eos ſine mantica, ſine nummis, & nudipedes miſit? Eius percontatio his conſiſtebat ex verbis. *Quando miſi vos ſine ſacculo, & pera, & calceamentis, nunquid aliquid defuit vobis?* Et reposuere, quod non. *At illi dixerunt, nihil.* Pauperum enim Euangelicorum prouiſio fundatur in modo viuendi pauperis inſtar, quo ſi ſe geſſerint modo, nunquam permittet Deus, vt taliter rerum temporalium ſubſidio ſint deſtituti, quò minùs vitam traducere non poſſint. Et in hoc ſenſu accipit Seraphicus Doctor Bonauentura illam Dauidis ſententiam, qua dicitur. *Diuites eguerunt, & eſurierunt, inquirentes autem Dominum, non minuentur omni bono.* Diuitijs affluentes famem, & ne-

1. Petri 5. v. 7

Luc. 22. v. 35.

Pſal. 33. v. 11

& neceſſitatem ſunt paſſi, quærentes verò Deum nullius rei habuere penuriam.

S. Bonau. to. 7. opuſc. de perfect. vitæ. c. 3. ad med. Propterea ita ſubiungit idem Seraphicus Doctor. *Si paupertatem, quam profeſſi eſtis, contempſeritis, omnium bonorum tam temporalium, quàm ſpiritualium egentes eritis*. Dum ex inſtituti ratione, & vitæ conditione pauperes more diuitum victitare volunt, tum Deus in pœnam talis modi viuendi priuat eos & corporis, & animæ bonis, quæ eis quà pauperibus ſua munificentia largitus fuerat. Ipſa etiam experientia docet, ſuperfluas, quas Prælati in ſumptuoſis fabricis, & pretioſis Sacriſtiæ ornatibus, alijſque ſimilibus modum excedentibus facturis, & operibus facere ſunt ſoliti, expenſas, plerumque redundare in ſubditorum collectionis, ſilentij, & conuerſationis cum Deo detrimentum, ipſoſque hac ratione omnem Spiritum perdere, quod deinde cauſa eſt, vt ſenſim neceſſarijs destituantur. Magnopere cauendum eſt Prælato, ne præfecturam in ſuum commodum, lautumque viuendi modum conuertat, ſed imitetur in paupertate Chriſtum Ieſum, vt ratione huius imitationis ſuis ſubditis iure dicere poſſit quod Apoſtolus in

1. Cor. 4. v. 16 hæc verba ſuis dixit Corinthijs. *Imitatores mei eſtote, ſicut & ego Chriſti*. Identidem proinde recogitet ſecum, ſe communitatis caput exiſtere, res autem monſtri ſimiles eſſet, ſi caput egeni, & nudi corporis vellet eſſe locuples, omnibuſque ad vitam neceſſarijs ſuperfluè inſtructum. Prima ergo doctrina à Prælato ſubditis danda, eſt paupertatis exemplum, in cunctis monſtrandum rebus ad vſum ſuum ſpectantibus. Hac docendi methodo vſus eſt Redemptor Noſter, cum ijs, qui Scholæ ſuæ accenſeri cupiebant. Cuidam enim illorum (vt Lucas, & Matthæus referunt) pro Diſcipulo, eiuſque ſequace ſe offerenti dixit, ipſi imprimis, & ante omnia conſiderandam, & accurato examine perpendendam eſſe perraram ſuam paupertatem, quæ tanta erat, vt licèt cæteræ animantes haberent latibula, in quæ ſe ad quietem reciperent, aueſque Cœli nidos ad ſuos nutriendos, & educandos pullos, ipſe verò ne vnum quidem terræ palmum in ſua haberet poteſtate, in quo caput ſuum ad quietem componeret. *Accedens vnus Scriba ait*

Matth. 8. v. 19. Luc. 9. v. 54. *illi: Magiſter ſequar te, quocunque ieris, & dicit ei Ieſus. Vulpes foueas habent, & volucres Cœli nidos, filius autem hominis non habet, vbi caput reclinet*. Quo ſapientiſſimo reſponſo voluit prouiden-

Digitized by Google

uidentiſſimus Magiſter inſtruere Prælatos, quòd, niſi in hac virtute benè ſint fundati, ſuis ſubditis, nunquam ſatis perſuadere poſſint prima perfectionis Euangelicæ fundamenta, quæ ſunt ſummiſſio animi, & perfectus rerum omnium temporalium deſpicatus.

Huius rei gratia conſulit Diuus Bonauentura Superioris ritè fungendi officio, vt in vſu rerum neceſſariarum ſit admodum frugi, & moderatus, totumquè, quod aliquam pompam, vel curioſitatem ſapere poteſt, excelſo contemnat animo, ſingularemque intendat curam, vt totum, quod ad ſuum habet vſum, prædicet paupertatem, cuiuſmodi ſunt habitus, cellula, libri, lectulus, aliaque hoc genus. Quod ſi Prælatus fecerit, tum demum habitura eſt doctrina eius efficaciam ad inducendos ſubditos, vt ſint amatores huius pulchræ virtutis, & non ſolùm deuitent omnem hac in materia immoderationem, ac curioſitatem, verùm etiam, vt renuncient perperis huic ſpiritui Apoſtolico aduerſantibus opinamentis. Quæ omnia ſuum robur accipiunt ab his Diui Bonauenturæ verbis. *Sit humilis in vſu rerum temporalium, vt nihil habeat pompoſum, vel diligat, ſed omnia, quæ habere videtur, paupertatem voluntariam demonſtrent, & humilitatem oſtendant, ſcilicet veſtes, libri, cella, lectulus, & huiuſmodi, vt nihil in omnibus appareat, quod notam iactantiæ, vel curioſitatis habeat, nec talia fieri ab alijs patiatur.* *S. Bonauent. de ſex alis Seraphim c. 6. ad medium.*

§. Vltimus.

Conſolentur ſe rectè agentes Prælati, tametſi non aſſequantur, quem vellent, fructum, nec eò deſpondeant animum, ſed maius ſuæ addant robur fiduciæ, freti efficacitate, quam Deus impreſſit Euangelij verbo, eamque ſuis in ſe confidentibus miniſtris, eorumque, quibus vtuntur, agendi modis eſt elargitus.

VBi Prælati bono exemplo, doctrina, oratione, illaque, quam hoc opere proſecuti ſumus, accuratione conati

ſunt

ſunt ſatisfacere cunctis officiorum ſuorum partibus, tum expleti, & contenti eſſe poſſunt: tali enim modo perfecere, quod Deus ab ipſis requirit, ac Diuinæ geſſere morem voluntati, quæ omnis veræ conſolationis, animique expletionis fons, & origo eſt. Nec ipſos moueat, aut ægrè habeat, quod in ſua communitate cernere liceat nonnullos imperfectos, & remiſſo feruore eneruiter viuentes, qui ex regimine ipſorum eum, quem optarent, non hauriunt animæ ſuæ fructum, imò præter hos reperiantur etiam in eadem communitate alij, qui facilè conqueruntur, & ſe nequicquam affligunt.

Hoc etenim, quod attinet, ſciendum ipſis eſt, extra diſceptationem eſſe, quod in Religionibus ſimiles vſuueniant caſus, eſto Prælati tam perfecti, & exacti ſint, ac eſſe poſſint, conſtat ex Cœleſtis noſtri Magiſtri oraculo, quo inquit. *Neceſſe eſt, vt veniant ſcandala*. Si enim inter duodecim, quos eligit ipſe, Apoſtolos, fuit vnus durus, & perfrictæ frontis, cui Diuini oris verba nullam facere potuere dignam impreſſionem, quid mirum, ſi in vna communitate, vbi Prælatus non eſt Chriſtus Ieſus, nec ſubditi tam peculiari prouidentia electi, ſicuti fuere Apoſtoli, dentur aliqui ita vecordes, duri, & peruicaces, vt nulla permoueri poſſint, quantumuis ſana, & efficace doctrina? Tantum tamen abeſt, vt propter hanc cauſam ſit inducendus Prælatus ad abijciendum animum, quin potiùs ex ea eſt animandus ad prudenter, & condignè ſuum proſequendum officium, & ad roborandam de nouo ſuam in Deo animi confiſionem. Licèt enim bonum ſemen nullum videatur feciſſe fructum, & in aliquibas fruſtra fuerit, quaſi ſupra petram, viam communem, aut inter ſpinas eſſet proiectum, hoc tamen non contingit ſemper, dummodo Prælatus non deſpondeat animum, & indefeſſa cura, ac vigilantia in ſuo officio faciendo non ceſſet porrò pergere: tum enim Deus in perſeuerantiæ ipſius prœmium ea ratione diſponet, vt tandem ſit obtenturus, quem ſpectabat, fructum, & ad optatos exitus ſua conſilia perducturus.

Matth. 18. v. 7.

Hæc firma animi in Deo confiſio pro vigilantium Prælatorum ſolamine admodum neceſſaria naſcitur ex viua, & feruida fide, quæ magnam de vi, & efficacia, quam Deus ſuo indidit verbo, producit in anima æſtimationem, & ſi firmam in eo collocemus fiduciam, neque illud adulteremus, retorquendo ipſum ad rationis humanæ morem, noſtrumque tenuem.

Digitized by Google

nuem, & imperfectum intelligendi modum, tum certi eſſe poſſumus, quòd iuxta promiſſum Dei mirabiles ſit productu-rum effectus. Quia ſi ſemen eſt Diuinum, ſi in oratione probè intellectum, & ore Dei prolatum, ſi deinde eius nomine, & fidenter proferatur, prout per Prophetam Ezechielem Deus per hæc verba Conſulit proferendum: *Audiens ex ore meo Sermonem annunciabis eis ex me.* Si inquam, verbum Dei hæc habeat, tum certus, & Diuinus ex eo percipitnr fructus, quemadmodum ſemen, quod ipſum producit, Diuinum eſt. Ipſemet Seneca hoc intellexiſſe videtur, prout ex his eius verbis colligere licet. *Ad ſemen nata reſpondent.* Quo pariter ſpectant illa verba Apoſtoli, quibus ſic inquit. *Per Euangelium ego vos genui.* Quod perinde eſt, ac ſi diceret, cùm non prædicauerim me ipſum, ſed Ieſum Chriſtum in Crucem actum, eiuſdemque Sancti Euangelij verbum, bene intellectum, bene expenſum, perque fidem, & poſitam in eo fiduciam ratum habitum; idcircò effectus eius fuere auctori principali conformes, cùm tamen ego aliud non eſſem, quàm merum inſtrumentum, ſeu organum Spiritus Sancti.

Ezech. 33. v. 7.

Seneca Epiſt. 3.

1. Cor. 4. v. 15

Quod verò hac in re præcipuè mihi admirationem mouet, eſt, quod Chriſtus Dominus, etiamſi ſua humanitas eſſet adeò Sancta, & doctrina eius tam perfecta, de ſe tamen dicat, quòd ex ſe ipſo nihil loqueretur, ſed illud tantùm, quod accipiebat à ſuo Patre Æterno. *Mea doctrina non eſt mea, ſed eius, qui miſit me, Patris.* In quorum expoſitione verborum docet Angelicus Doctor, quòd Sanctiſſima Seruatoris Noſtri Ieſu Chriſti humanitas, dum verba pronunciabat Diuina, eſſet inſtar Organi Diuinitatis, hocque modo verba ab ea prolata eſſent Chriſti Domini, quà Deus, propriè tamen non eſſent ipſius, niſi tanquam inſtrumenti ſolummodo, in quantum homo, vt nobis hoc ſuo loquendi modo inſinuaret, veram, quæ à nobis danda eſt, doctrinam, non eſſe dandam, quaſi noſtram, ſed tanquam à primà veritate, quæ Deus eſt, emanatam, & acceptam. His maius robur additur per illud, quod Chriſtus Dominus eodem capite fatur, & eſt.

Io. 7. v. 16.

Siquis voluerit voluntatem eius facere, cognoſcet de doctrinà, vtrum ex Deo ſit an ego à me ipſo loquar, qui à ſemetipſo loquitur, gloriam propriam quærit. Poteſtne fieri, vt ego à meipſo loquar, cùm indubitatum ſit, eum, qui ſua ſolummodo ductus ratione, &

Io. 7. v. 17.

Digitized by Google

Spiritu loquitur, Deum non quærere, nec gloriam eius, ſed
Jo.12.v.49. ſeipſum. Alio verò loco ita effert. *Quia ex meipſo non ſum locutus, ſed, qui miſit me, Pater, ipſe mihi mandatum dedit, quid dicam, & quid loquar?* Ego ex meipſo non loquor (quà homo intellige) ſed Pater meus, cuius legatione fungor, mihi commiſit, & præſcripſit, quid, & qualiter efficere, ac docere debeam. Hæc doctrina non parum confert ad perſuadendum id, quod ſupra tractauimus, ſcilicet, integrum non eſſe, vt quis vtilem, & fructuoſam det doctrinam, hominesque formet ex virtutum præſcripto vitam agentes, eoſque dexteritate regendi, ad perfectionem promoueat, niſi ſtrenuè ſe impendat orationis exercitio, & magna cum ſubiectione ad Deum, vitam ducat, qua ſe aptum reddat, vt doceri mereatur ab ipſo: hoc enim ſi facere negligamus, non ſolùm perſeuerantia nos deficiet, verùm etiam proprietas verborum, moduſque proferendi ea. Quod in cauſa eſt, vt Sanctus Apoſtolus Paulus dicat, rationem, propter quam ab auditoribus non intelligimur, & id, quod dicimus, ac mandamus, nullam operationem, & impreſſionem faciat, eſſe, quod intra nos ipſos illud non bene priùs expenderimus, captuque aſſecuti ſimus, prout facere oportebat, & eapropter non calleamus inſtructionem noſtram accommodare, & adaptare Diſcipulis, quandoque nimis multùm, quandoque nimis parum loquendo. Et licèt verba, quæ proferimus, ſint in ſubſtantia verba Euangelii, doctrina tamen, quæ videtur bona exteriùs, redditur inualida, atque infructuoſa, vel quia eius verba non fuerunt priùs bene digeſta, vel quia in eorum declaratione volumus oſtentare ſubtilitates, quo fit, vt puritas & ſinceritas eorum adulteretur, vel propter alios ſimiles defectus ex inopia luminis Diuini in nobis deficientis prouenientes.

Vates Iſaias vices Dei loquentis agens optimè declarat, magnam; quæ eſt inter opera Dei, & noſtra differentiam, ſimulque oſtendit, quantum verba Dei, ſi cum feruore ſpiritus, & emphaſi, quam requirunt, à nobis proferantur, poſſint, ac valeant. Verba Vatis in perſona Dei loquentis ſunt talia.
Iſaiæ 55.v.9. *Sicut exaltantur Cœli à terra, ſic exaltatæ ſunt viæ meæ à vijs veſtris, & cogitationes meæ à cogitationibus veſtris, & quomodo deſcendit imber, & nix de Cœlo, & illuc vltra non reuertitur, ſed inebriat terram, & infundit eam, & germinare eam facit, & dat ſemen ſerenti, & pa-*

Digitized by Google

& panem comedenti, ſic erit verbum meum, quod egredietur de ore meo, non reuertetur ad me vacuum; ſed faciet, quæcunque volui, & proſperabitur in his, ad quæ miſi illud.

De verbo, & doctrina Dei, eiuſque efficacia, atque virtute, qua pollet, ſi profectum à Deo, in oratione menti inijciatur, nec vlla ratione adulteretur, plures non parco calamo Sacri Scripſere Doctores. Vnus inter illos eſt, Doctor Eccleſiæ Dei maximus, Hieronymus Sanctus, qui illa Prouerbiorum verba: *Omnis ſermo Dei ignitus, clypeus eſt ſperantibus in ſe.* Commentans ſic inquit. *Omnis ſermo Diuinæ auctoritatis corda electorum & igne charitatis accendit, & ſcientia veritatis illuſtrat, & vitiorum ſordes, ſiquas in eis inuenerit, conſumit, & ab hoſtium inſidijs ſperantes in ſe, cunctiſque defendit aduerſis.* Omne verbum auctoritate, & virtute præditum Diuina corda electorum, & igne charitatis inflammat, & ſcientia veritatis illuminat, vitiorumque immundities, ſiquas inuenerit, abſtergit, illoſque, qui in eo confidunt, ſpemque reponunt, tutos præſtat, ab inimicorum aſſultibus, & à cunctis alijs tuetur, protegitque aduerſis. Adhæc Doctor Mellifluus de præcipuis differens operationibus, & effectis, quæ verba Euangelica in anima producunt, ſic inquit. *Primùm ſonans in auribus animæ vox Diuina conturbat, terret, dijudicatque, ſed continuò, ſi bene aduerteris, viuificat, liquefacit, calefacit, illuminat, mundat. Denique & cibus noſter eſt, & gladius, & medicina, & confirmatio, & requies, reſurrectio quoque, & conſummatio noſtra. Nec mireris, quòd Verbum Dei iam nunc inueniatur omnia in omnibus eſſe, quantum ſpectat ad iuſtificationem, ſiquidem & futurum eſt omnia in omnibus ad glorificationem.* Magnum hæc dicendi præbuere Sacris Doctoribus fundamentum varia ſacræ Scripturæ loca, ſpecialiter verò ille Pauli, quo inquit. *Viuus eſt ſermo Dei, & efficax, & penetrabilior omni gladio ancipiti, & pertingens vſque ad diuiſionem animæ, ac Spiritus, compagumque, ac medullarum, & diſcretor cogitationis, & intentionum cordis.* Non mirum: vitam enim in ſe continet ſupernaturalem, eamque ſenſum eius percipienti impertit, eoque ſeruat illum à morte, prout Diuus Bernardus loco ſupra citato per hæc verba nobis teſtis aſſiſtit. *Vnde licèt mortuus in peccato, ſi audieris vocem Filij Dei, viues: ſermo enim, quem loquitur ſpiritus, & vita eſt.* Si bene capias verbum Dei, viues, tametſi mortuus iaceas in peccato, & cauſa per eundem in prompto eſt: quia verba Dei, ſi debitis proferantur adiunctis,

S. Hieron. to. 8. lib. 3. in ca. 30. Prou. ad iſta verba ſermo Dei, &c.

S. Bernar. in ſermon. de diuerſis ſermone de multiplici vtilitate verbi Dei ante med.

Ad Hebr. 4. v. 12.

S. Bernard. vbi ſupra.

ſunt verba Spiritus, & vitæ, virtutemque, efficacitatem habentia ad omnifarias ſuperandas difficultates, nullusque dari gladius poteſt, perinde acutus, & ad diſſecandum factus, qualiter Verba Dei apta ſunt ad reſecandum omne malum, faciendamque inter partem hominis Superiorem, & inferiorem diuiſionem, nec vſpiam interior reperiri motus valet, deſignatio mentis, ſit demum tam minuta, ac ſubtilis, quàm eſſe poſſit, in qua verbum Dei diſtinctionem non faciat, lumenque ad cognoſcendum non præferat, quid bonum inter, malumque interſit, & qualiter huiuſmodi deſtinatio animi dirigenda, ac in ſublime quaſi pyramidaliter ſit attollenda, eodem mellifluo Doctore teſte. Denique Paulus Apoſtolus de verbi Diuini vi ſeparante, & penetrante Romanis ſcribens ſic inquit. *Fides ex auditu, auditus autem per verbum Chriſti*. Fides bonorum omnium animas exornantium fons,& origo per auditum ingreditur, aures verò verbum Dei penetrale aperit, & per eas ad eos vſque peruadit.

Rom. 10. v. 17.

Ex huius notitià, & æſtimatione veritatis, quæ Prælatis, Sacriſque inſtructoribus de efficacia, & virtute à Deo verbo ſuo collata habenda eſt, naſcitur perſeuerantiæ virtus, qua non deſiſtunt ſuo ſatisfacere muneri, nec vllo deſpondent animum modo, quamuis non ita ſtatim, & clarè in ſubditis fructum conſpiciant, confidentes interim firmiter in Deo, quòd eos ipſe ſit mutaturus, & ad perfectionem meliùs, quàm ipſimet optare poſſent, perducturus, ſint demum corda eorum tam malè comparata, ac eſſe poſſint. Ad Deum itaque in oratione ab ipſis tendendæ ſunt ſupplices palmæ, vt magis, ac magis ſemper aptitudinem auditorum, præcipuè magis difficilium meliorando, eorum conſeruare, & augere dignetur fiduciam. Hac ratione ſe gerebant Apoſtoli, prout Lucas in actis refert his verbis. *Et nunc Domine reſpice minas eorum, & de ſeruis tuis cum omni fiducia loqui verbum Dei*. Qui etiam exauditi ſunt pro reuerentia ſua, proximè enim ſubiungitur. *Et cùm oraſſent, motus eſt locus, in quo erant congregati, & repleti ſunt omnes Spiritu Sancto*. Ex quo fiebat, vt omnia, quæ proferebant, verba eſſent Diuinum quid habentia, magnaque cum fidentia, & imperterrito animo prolata valerent ad malè comparatorum, & quidem illorum ipſorum, qui ipſis interminabantur, & publicè contradicebant, corda mouenda, & expugnanda. In hac ergo fiducia perſiſtebat multitudo credentium ita vnita, & in

Act. 4. v. 29.

Ibidem. v. 31.

con-

Digitized by Google

concuſſa, vt inter ipſos non eſſet, niſi cor vnum, & anima vna, vnus intelligendi, volendi, & operandi modus, iuxta illud: *Multitudinis autem credentium erat cor vnum, & anima vna.* *Ibidem.* Paulus Apoſtolus vera Prælatorum munus ſuum ritè obeuntium forma, perquam accuratus erat in hac ſeruanda agendi ratione, prout ipſemet fatetur in hæc verba ſcribens Corinthijs. *Habentes igitur talem ſpem, multa fiducia vtimur.* Quaſi *2.Cor.3.v.12* dicere vellet, ratio, propter quam ita fidenter loquimur, eſt: quia Deus ex ſingulari fauore ſuo nobis contulit inconcuſſam, & firmam ſpem. Alio verò eiuſdem Epiſtolæ docet loco, perſeuerantem, quæ de profectu habetur animarum, curam creſcere, vel decreſcere pro modo, quo eiuſmodi ſpes, atque fiducia creſcit, vel decreſcit. Cùm autem iſthæc inſtitutio admodum, neceſſaria, magnique momenti exiſtat, idcircò eam ſæpiùs in varijs Epiſtolarum ſuarum locis, ſuis tradit, & inculcat Diſcipulis, qualis ille eſt ad Hebræos, vbi ſic inquit. *Cupimus autem vnumquemque veſtrum eandem oſtentare ſollicitudinem ad expletionem ſpei vſque in finem, vt non ſegnes efficiamini, verùm imitatores eorum, qui fide, & patientia hæreditabunt promiſſiones.* *Hebr.6.v.11.* Optamus, & volumus, vt quilibet veſtrum ſibi gloriæ ducat, ſi indeſinenter, ſollicitè, & accuratè ſpei ſuæ perficiendæ incumbentem ſe monſtret, ne ſocordiæ, & negligentiæ reos vos faciatis, ſed illorum potiùs imitatores eſtote, qui fide, & tolerantia promiſſionum Dei hæredes & fuerunt, & erunt. Non eſt, quod animum magis frangat, & eneruet, quàm ſpem id obtinendi abijcere, quod quis conſequi allaborat. E contra verò nihil etiam eſt, quod animum magis erigat, & heroicum reddat, quàm firma ſpes id conſequendi, propter quod conſequendum labor impenditur. Quia cultores agrorum, & flagellatores grani ſpe lucri percipiendi ad laborem incitari ſolent. Idcircò Paulus Apoſtolus volens ex Hebræorum corde hanc eliminare ſocordiam, ibique viuam, & certam implendarum Dei promiſſionum plantare ſpem, duo ab ipſis requirit. Primum eſt, quòd gloriæ ſibi vertant, ſi ſolliciti ſint in eo, quod ſemel cœpere, perficiendo, more illorum, qui ſperant complendum, quod ſpes ipſis promittit, & opera ſpei id conſequi poſſe confidunt. Fundo dicta in expoſitione Diui Thomæ Aquinatis, qui verba Pauli Apoſtoli paulò ſupra ex Epiſtola ad Hebræos allegata, tali modo exponit: *Eandem oſtentare ſollicitudinem ad expletionem ſpei, ſcilicet,*

vt

D. Thomas ſup. c. 6. Epiſt. ad Hebr. lect. 3.

vt adimplendo, quod cæpiſtis, conſequamini, quod ſperatis. Alterum, quod ab ipſis requirit, eſt, vt fidem, tolerantiam, ſpem, & perſeuerantiam habeant, Sanctorumque Patriarcharum in his virtutibus imitatores exiſtant, qui fide, & patientia per modum hæreditatis meruere conſequi, quod Deus promiſerat ipſis, vſus eſt autem Apoſtolus verbo: *hæreditabunt*, quo certitudinem indicaret, qua (eſto poſt plures primùm annos) legitimorum hæredum inſtar obtinuere promiſſa Dei. Hæc ergo ſunt, quæ requiſiuit Apoſtolus ab Hebræis, & eadem requirit etiam à Prælatis, vt verbum Dei in cordibus ſubditorum ſuorum ſeminare pergant, licèt in eis pro tunc illam animi habitudinem non cernant, quam vellent, & optarent, nec vllo ipſis modo cadendum eſt animo, tametſi aduertant, hoc ſemen non ita ſubitò facere fructum, ſed firma ipſis eſt habenda fides, & ſpes, Dominum Deum effecturum, vt ſemel tempus appetat, quo fructum ſuum producat. Nec vnquam etiam perſuaſum ſibi habere velint Prælati, deperditum eſſe nobile tempus, quod ſeminando impendunt, aut ſemen, quod iaciunt in eiuſmodi terras, eſſe infructuoſum, quia licèt hoc inſipientiæ vertetur in ſeminatore profano, nulla tamen ratione in ſacro.

S. Chryſ. citat. à D. Thom. in cat. aurea ſup. Matth. c. 13. propè princip.

Huius verò differentiæ rationem aſſignat Ioannes Chryſoſtomus in hæc ferè ratiocinans verba: ad ea enim Gallicæ tranſlationis auctor nonnulla ex ſuis, fideliter tamen ſeruato ſenſu adiunxit, qui talis eſt. *Res materiales taliter mutari non poſſunt, vt ſit in poteſtate petræ fieri terram, neque viæ tritæ, quà talis, duritiem exuere, neque ſpinarum, vt tales eſſe deſiſtant. In rebus autem ſpiritualibus, animabus, & doctrinis tantum abeſt, vt ſit res vituperatione digna bonum iacere ſemen ſuper duritiem petræ, in medio viæ Regiæ interque cardulos, & ſpinas, quin potiùs ita facere magnam mereтur laudem.* Rationem deinde reddit, & ita proſequitur. *Quia contingere poteſt, vt petræ duræ, viæ regiæ, & tranſitus ſe conerſuri ſint in optimam terram, ſpinæ verò, & cardui mutandi in melius, meliores reddituri ſint fructus, quàm terræ aliæ, quæ ſemper fuere bonæ.* Licèt autem hoc non accidat ſubitò, parùm tamen refert, dummodo Prælatus ſuo ſatisfaciat muneri, eiuſque expleat partes. Si enim hoc faciat, & ſubditus interea pereat, ipſi ad minùs imputari non poteſt. Denique ſuum vſque ad finem producendo ſermonem, ita per hæc grauia verba concludit. *Tametſi certò ſciam, quòd doceam ſine fructu, non tamen propterea inter-*

Digitized by Google

termittam hoc facere; quia hoc modo coram Deo excuſatus ero, quantumcunque nemo me audiat. Singulariter verò aduertendum hoc loco eſt, quòd ex ſtatim dictis rectè inferre non liceat, talem iacturam ab aliquo ſentiendam non eſſe: integrum enim haud eſt, vt tanti res momenti cor vnius rectè agentis Prælati quadantenus non vellicet, & mentem eius aliqua triſtitiæ nebula non obumbret, prout in paribus caſibus Sancto accidit Paulo Apoſtolo, quod cauſæ erat, vt non dedignaretur rogare Corinthios, ne ſibi talis afflictionis aliquam ſubminiſtrarent materiam, prout hæc eius verba in teſtem produco. *Et hoc ipſum ſcripſi vobis, vt non, cùm venero, triſtitiam ſuper triſtitiam habeam, de quibus oportuerat me gaudere.* Idcircò in hunc ad vos modum perſcripſi, vt cùm vos viſum perrexero, loco gaudij, animique expletionis, meus incrementum non ſumat mæror, atque triſtitia. Modo ergo quemdamodum Sanctus Apoſtolus non concidit animo, ſed quod ex ſui officij ratione ſemel bene incepit facere, proſequebatur, ita ad exemplum ipſius Prælatis eſt faciendum, & licèt per eiuſmodi occaſiones iuſtam habeant ſe contriſtandi, ſentiendique materiam, animum tamen deſpondere nunquam oportet, ſed inconcuſsè perſeuerare in ſuo dignè obeundo officio. Hoc proinde eſt, quod ſeruator noſter (Teſte Ioanne Chryſoſtomo) ſub parabola *Satoris* docere nos voluit, vt attento eo, quod ipſe diuinus Sator fecit, & etiamnum quotidie facit, ad idem præſtandum nobis animum adderet, prout inclaret ex his oris aurei verbis. *Per hanc parabolam Diſcipulos erudit, etſi plures audientium eos fuerint, qui pereunt, vt non propter hoc deſides ſint: quia nec propter hoc Dominus, qui omnia prauidit, deſtitit à ſeminando.* Prælati ergo, qui in magnis, quæ ſe ſe offerunt difficultatibus, ſeriò, perſeueranter, & imperterrito animo, eaque demum ratione de ſacro ſubditorum ſuorum agunt profectu, & iure cum Deo per vatem Iſaiam loquente dicere poſſint. *Quid eſt, quod debui vltra facere vineæ meæ, & non feci?* Tales, inquam, Prælati ſcire debent, quòd impenſo non fruſtrentur labore, tametſi quandoque ipſis pareat, ſe ex oratione, cui iugiter inſiſtunt, perquam modico ex parte ſubditorum reuerti cum fructu. Imò è contra ſi in his cum moderatione debita indefeſſi ſint occupationibus, tum Deus facit ipſis fauores ſpeciales, & non abſimiles illis, quales in rubo ſpectabilem ſe præbens, & alloquio dignans eo tempore fecit Moyſi, cum populum per abſtruſa

Idem Chryſ. hom.19.in Ioan.prop. finem.

2.Cor.2.v.3.

S.Io.Chryſ. ſuper Matth. 13. citatus à D.Thom. in cat.aur.vbi ſupra.

Iſ.5.v.4.

Digitized by Google

ſtruſa deſerti ducens, anguſtijs premeretur, & ſollicitus eſſet, qua ratione inueniret, quod ipſis daret ad manducandum. Parem, inquam, faciet Deus Prælatis gratiam in prœmium laborum ab ipſis impenſorum, ſi ſubditorum ſuorum profectum cordi habentes, eos ad meliora transferre ſtuduerint, ipſiſque incitamento fuerint ad proſperè per huius vitæ deſertum in exercitijs perfectionis pergendum, donec pertingant ad montem Dei Horeb æternæ felicitatis. Nihil eſt, quod graue, & Diuo Bernardo teſte, non ſolùm Gigantæis, ſed etiam Angelicis humeris formidabile regiminis onus portandum animos bonorum ſuperiorum magis accendere poſſit, & debeat, quàm magnæ conſideratio gloriæ Dei, quæ eidem exinde accreſcit, ſi ſacrarum perſonarum rector priùs ipſe vir eximiæ pietatis, & virtutis eſſe ſtudeat, deinde etiam ſibi ſubiectos tales efficere contendat, perfectoque, & aſſiduo ſui prudentis zeli, ſanæque doctrinæ vſu, & impendio viam ipſis, vt miniſter fidelis, & inſtrumentum Domini pandat, operamque conſociet, vt inſtituti ſui partibus, prout oportet, ſatisfaciant, Hanc Dei gloriam potiſſimùm oportet eſſe incitamentum, quo inducendi ſunt Prælati, vt munus ſuum dignè obeant. Hoc inſuper diuinæ gloriæ promouendæ illicium debet ipſis in medio laborum grandium conſtitutis conſolationem parere, animumque augere pro certo credentibus, ſe duplex conſecuturos prœmium à Deo bene regentibus promiſſum, de quo Paulus Apoſtolus ſecurum iubet eſſe Timotheum, his ad eum ſcribens verbis. *Qui bene præſunt Presbyteri duplici honore digni habeantur*. Iure merito ergo id præſtolari poſſunt. Si enim Deus eſt munificus ad prœmio donandum quodlibet miſericordiæ corporalis opus, ſit demum tam exiguum, ac eſſe poſſit, tametſi vni ſolumodo ex minimis fratribus ſuis foret impenſum, illudque acceptat, ac reputat vt beneficium in ſe collatum, dum inquit. *Amen amen dico vobis, quamdiu feciſtis vni ex his fratribus meis minimis, mihi feciſtis*. Si præterea liberalitas eius eò vſque ſe extendat, vt pro calice aquæ porrecto frigidæ, nihil propemodum conſtante remunerationem promittat æternam, quis dubitare, aut inficias ire poterit; quin perfecta, ac corporalibus (vt pote animabus impenſa) excellentiora miſericordiæ opera, quæ boni Prælati in ſuis clauſtris pro vtilitate, & perfectione non qualiumcunque, ſed magis electarum, Deoque chararum perſonarum non ſine

1. ad Timoth c. 5. 17.

Matth. 25. v. 40.

ma-

magno labore in dies quaſi ſingulos exercent,non ſint bene acceptanda, & cumulatiſſimè remuneranda à Deo? Ah Patres mei, ſi hoc fideliter, & non ſegniter faceremus, quàm magnum eiuſmodi operum cumulum, & theſaurum congregare poſſemus! opera enim iſta ſunt inſtar auri obrizi, quod vocant ad viginti quatuor gradus expurgatum, & ſummè æſtimatum. In cœlo proinde pro meliore agnoſcitur, & cariùs ſoluitur, dando pro eo honores, & præmia non ſolùm duplicia, ſed etiam ſæpiùs multiplicata. Ita Theophilactus, & Theodorethus hæc Apoſtoli *duplici honore*, expoſuere verba, inſiſtentes ſequentibus, quæ idem Apoſtolus adiunxit, verbis, quibus ſic inquit. *Non enim iniuſtus Deus, vt obliuiſcatur operis veſtri, & dilectionis, quam oſtendiſtis in nomine ipſius, qui miniſtraſtis ſanctis, & miniſtratis* Quæ ſunt verba in recenti ſemper habenda memoria, ad non diſponendum animum, ſed ad eum inuictum conſeruandum in magnarum medio difficultatum, quæ munus gubernij, & præfecturam communiter comitari ſolent. *Ad Heb.6. v. 10.*

Vt autem Prælati difficultates eiuſmodi faciliùs, & vtiliùs exantlare, & ad diuinæ ſapientiæ motionem, & inſtinctum ſequendum ritè ſe comparare; ac id, quod eidem ſapientiæ conformius eſt, ex ſuperiore lumine, nulloque ad regulas, conſilia rationis propriumque iudicium habito reſpectu, maximè in occaſionibus, quas humana prudentia prænoſcere non poteſt, expeditè decernere, & ſtatuere valeant, opus habent donis Sancti Spiritus, cuius eſt, tam nobiles effectus, quos ſtatim diximus, in anima, & per animam operari. Qua propter, vt huic finem imponamus diſcurſui, operæ pretium me facere arbitror, ſi dicam, quid ex parte noſtra hac in re & facere poſſimus, & teneamur, ac quàm enixè Prælatis horum adeptio donorum à Deo ſit flagitanda, qualiſque præparatio ad ea acquirenda ſit præmittenda. Diuus itaque Thomas horum perſequens argumentum donorum affirmat, & à Deo nobis conferri interuentu virtutum,quà naturæ viribus comparatarum, quà infuſarum, nec non tam propriarum quàm alienarum procurato ab iis, quos hæc cura complectitur, remedio noxarum. Hinc fit, vt regere alios donum gubernij non inaniter nuncupetur: quia, vt in cunctis actionibus noſtris, tum propriam, tum alienam vtilitatem ſpectantibus res nobis ex ſententia fluant, oportet ſequi inſpirationem diuinarum *D.Thom.1.2 q.68.art.2.*

ductum, hunc verò in nobis producere effectum, præſertim in caſibus inopinatis, eſt munus proprium Donorum Dei. Quo fit, vt Prælatis, qui vicarium Dei tenent locum, ſuoſque ſubditos conformiter ad Spiritum Diuinum gubernare tenentur, ſi hoc, vt par eſt, facere velint, opus ſit vniuerſas animæ vires, ac virtutes habere motioni, & influxui diuino ſubiectas, hanc autem ſubmiſſionem tribuunt animæ dona Dei.

Qua propter bene notare oportet, quòd licèt dandum ſit, neminem ad bene ſe regendum eſſe ſufficientem, & aptum, interim tamen non parua ſit differentia inter regere ſe ipſum in ordine ad animæ ſuæ profectum, & regere alios eodem ſpectato fine. Ratio autem, in qua hæc differentia ſe fundat, eſt, quia de proprijs diſponendis, de ſuis commodis promouendis, de animæ ſuæ profectu, cunctiſque cæteris rebus, quæ interiùs, exteriùſque, in aperto, & ſecreto, in modico, magno, & maximo in homine contingunt, indicat ipſemet homo, vt teſtis ocularis, propriaque experientia informatus, & tanquam ille, quem hæc omnia proximè attingunt, & reſpiciunt, idcircò, non impromptum eſt ipſi inuicem conferre præſentia, præterita, & futura, quæ tamen omnia illum plerumque deficiunt, qui alijs gubernandis eſt impoſitus. Conſectariè adhoc affirmat Doctor Angelicus, quemlibet in gratia conſtitutum ſufficientem habere ſapientiam ad regendum ſcipſum, non item ad moderandos alios: adhoc enim requiritur ſapientia non qualiſcunque, ſed ſapientia in gradu ſublimi, & eminente: quia, cùm radices, è quibus oritur bonum ſui ipſius, & aliorum gubernium, ita ſint coniunctæ, vt eadem facultas eſſe videantur, & ſint, idcircò quantumcunque differentibus moueantur, & ducantur reſpectibus, eundem tamen finem, qui eſt bonum commune, maiorque gloria, & honor Dei, reſpiciunt. Ex quo fit, vt ille, qui in gubernatione ſuiipſius mouetur, & ducitur, per dona Spiritus Sancti, & lenitatem, atque facilitatem, quas hæc dona conferunt, poſſidet, eas etiam illis, quos regit, impertiri, & communes facere teneatur.

Qua de cauſa licèt in rigore loquendo nemo perfectus eſſe teneatur, id tamen, vt ſint, Epiſcopis, aliiſque Prælatis peculiari quadam ratione incumbit. Cauſa verò huius aſſerti eſt, quam Diuus Thomas ex Sancto Dionyſio, & reliquis Doctoribus aſſignat: poſito enim, quòd aliquis munus Præfecturæ in ſe

Digitized by Google

in ſe ſuſcipiat, tum hoc ipſo ſuos ſubditos, purgare, illuminare, ac perficere tenetur, & cùm nemo poſſit dare, quod non habet, idcircò Prælato ex muneris ratione incumbit, vt priùs ſit purgatus, illuminatus, & perfectus, quàm hæc erga alios præſtet. Hæc verò perfectio abſque ſubſidio donorum Spiritus Sancti, de quibus agimus, fieri planè non poteſt. Incumbit proinde pariter Prælato, omnem, quoad fieri poteſt, operam, ac diligentiam ponere, vt ea ſibi à Deo impetret, & acquirat. Huius ratione obligationis fatebatur Apoſtolus ſe ſapientibus, & inſipientibus debitorem. Huc ſimiliter ſpectat, quod alibi habet, dum inquit, quòd quando paruulos cibis eorum paruitati commenſis, quod eſt alimentum lactis, ſpaſcebat, de ſapientia diuina, quæ eſt magis latè patens, & omnibus communis, egerit, cùm verò loqueretur de doctrina iam perfectis tradenda, tum attigerit doni ſapientiæ apicem, & excelſitatem, qua ipſe per Dei gratiam vti contendebat. Ad promerenda autem hæc dona Dei,& ad ea à liberali eius obtinenda manu aptior, & efficacior ratio iniri non poteſt, quàm feruentis, & viuæ fidei exercitium. Teſte enim Diuo Thoma de viſione beatifica loquente, omne, quod eleuatur ad aliquid naturam ſuam excedens, præparandum eſt priùs adhoc per aliquid ſupernaturale, vt inter recipiens, & formam in eo recipiendam debita intercedat proportio. Accedit inſuper Sancti Dionyſij auctoritas aſſerentis, quod viua fides intellectum non ſolùm adaptet ad illuſtrationem diuinam recipiendam, verùm etiam, eundem, tanquam lumen Dei, diuinum quaſi reddat, Deique imaginem ipſi imprimat non ſecundùm naturalem tantùm, quàm anima cum Deo habet, ſimilitudinem: hæc enim eſt communis bonis, & malis, verùm etiam ſecundùm ſimilitudinem, quæ vnum alteri facit conforme, & talis virtutis eſt, vt eleuet animam ad habendam cum Deo ſpecialem communionem, ac ſupernaturalem diuinarum perfectionum participatum. Denique ſicut homo per cognitionem rationis facit, quod è re propria eſt, ita per cognitionem viuæ fidei abdicat,propria,& viuum ſe membrum Dei conſtituit,diuinæque conſortem naturæ, talique ratione anima perfectiſſimè præparatur ad diuinorum receptionem donorum. Idcircò Prælato, qui cupit, vt Dominus Deus ea ſibi impertiat, nauanda eſt opera, vt priùs ſibi comparato, de quibus egimus, virtutum inſtructu, in fide tanquam vltima, & proxima ad in-

deptionem, & augmentum horum diuinorum Spiritus Sancti donorum præparatione ſe ſtrenuè exerceat; quandoquidem hæc dona Prælatis, præſertim regularibus tantopere neceſſaria ſunt ad ſubditos ſuos meliùs, & cautiùs gubernandos, eoſque ſtimulandos, & excitandos ad finem, ad quem his donis etiam ipſimet excitantur Prælati.

FINIS.

IN-

Digitized by Google

INDEX

Diſcurſuum, Paragraphorum, & Conſiliorum huius libri.

DISCVRSVS PRIMVS. Hoc in diſcurſu, qui ſuum à fine Sacræ Præfecturæ, eiuſdemque aditione ſumit initium, tria expediuntur. Primo loco eſt obligatio, ratione cuius Prælatis, vtì communitatum ſuarum Capitibus, & myſticis facibus incumbit, vniuerſis earum membris impertiendi ſpiritum vitæ, & veritatis. Deinde condocetur, quæ ipſis ineunda ſit ratio, & adhibendi modi, vt hunc conſequantur effectum. Poſtremò inſinuatur, quid ipſis facto opus ſit ad dignè explendum munus in ſe ſuſceptum. 1.

§. & Conſ. I. *De ordine Hierarchico, qui reperitur in Sacris cœtibus, myſticiſque Religionum corporibus, ac de eorum, qui in ijs loco capitum ſunt, onere, & obligatione* pag. 1.

§. & Conſ. II. *De Gubernio, eius fine, & difficultatibus, quæ in regendo occurrunt.* 9.

§. & Conſ. III. *Prælatorum partes, & obligationes ſuo ordine collocantur.* 11.

§. & Conſ. IV. *Renunciatum in Prælatum noſſe oportet, vtrum ſibi conducat acceptare Sacræ Præfecturæ officium.* 13.

§. & Conſ. V. *Qua ratione collata in aliquem dignitas ſit admittenda, inhabilitate eius non ſatis clarè, & euidenter conſtante.* 17.

DISCVRSVS SECVNDVS. De quibuſdam adminiculis generalibus, quæ ritè adhibita vſui ſunt, ad partes Præfecturæ annexas gnauiter obeundas.

§. & Conſ. I. *Omnino opus eſt Prælatis Sacra Scripturarum, Sanctorumque Patrum lectione. Eorum verò potiſſimè, qui calamo ſuo proſecuti ſunt argumentum, artem regendi concernens.* 20.

§. & Conſ. II. *Non eſt infra dignitatem Prælati, quin imò ipſius muneris eſt, quandoque cum ſubditis paulò familiariùs agere, & conuerſari, vt hac ratione, vel arte introſpectis, & penetratis eorum animi ſenſis, faciliore negotio, maioreque cum fructu eos regere valeat.* 26.

§. & Conſ. III. *Conuerſationem, quam antegreſſo paragrapho conſului-*

Digitized by Google

luimus, vt inter Superiores, & ſubditos nonnunquam intercedat, hoc paragrapho volumus eſſe frequentem. 29.

§. & Conſ. IV. *Prælatus, qui officio ſuo ritè, & perfectè fungi deſiderat, vel rariſſimè, vel nunquam à ſua communitate abſiſtat.* 31.

DISCVRSVS TERTIVS.

Quantę Prælatis vtilitatis ſit oratio, quàmque magnus exinde exiſtat fructus, ſi ſuos ſubditos ſæpe exhortentur ad incumbendum huic tam Sancto exercitio.

§. & Conſ. I. *Permagni refert non infrequens Rectorum oratio, ad mirificos tam in ſe, quàm in ſuis ſubditis faciendos profectus.* 33.

§. & Conſ. II. *Quàm inſtanter à Superioribus ſint fundendæ preces pro ſubditis, & neceſſitates eorum etiam atque etiam Domino commendandæ.* 35.

§. & Conſ. III. *Agitur de Patrocinio Cælitum, & imploratione eorum.* 37.

§. & Conſ. IV. *Superſedendum eſt Prælato cura regiminis ſtatis orationis horis.* 42.

§. & Conſ. V. *Moderantem perſonis vitæ contemplatiuæ ſtudentibus, & addictis oportet in contemplatione eſſe bene verſatum.* 45.

§. & Conſ. VI. *Eligat ſibi Prælatus ſtatum, & præfinitum tempus, quo de rebus ad regimen attinentibus diſponere poſſit, præſertim ſi reprehenſio alicuius momenti facienda occurrat.* 47.

§. & Conſ. VII. *Præter cætera, duo habet munera, ſeu partes officium Prælati, Capitis, & Patris, quibus vt accuratè ſatisfaciat, haud parum conferre poteſt, ſi ſua bona opera pro ſubditis in oratione offerat Deo.* 49.

DISCVRSVS QVARTVS.

De viua, & firma fide, qua Prælatus polleat, neceſſe eſt, vt ſuorum corda ſubditorum ad res diuinas erigere, & ſuſtollere valeat, annexa pariter ratione, quæ ipſi ineunda eſt ad conſequendum talem effectum.

§. & Conſ. I. *De modo, quo à Prælato iuuandi ſunt ſubditi, vt in ipſis viua, & per charitatem operans fides conſeruetur.* 50.

§. & Conſ. II. *De Prælati interna fidei exercitio, cuius feruor exteriùs in doctrina eius reſplendeat, oportet.* 56.

§. & Conſ. III. *Quid conferre poſſit ad perficiendam, & validam reddendam fidem Prælati, qua potis effectus magna patrare opera in ſubditis poſſit.* 59.

DISCVRSVS QVINTVS.

Magna à Prælato ſpes in Deo eſt reponenda, vt ſibi apud eum concilict gratiam, vt iuuari ab eo mereatur ad omnes ſuperandas, & exantlandas difficultates, quæ

Digitized by Google

quæ in regimine ſolent occurrere.

§. & Conſ. I. *Condecens eſt, Prælatos anchora ſpei ſolidè eſſe fundatos.* 63.
§. & Conſ. II. *Vt ſpes Prælati ſit fructuoſa, & vtilis, eam non theoricam ſolùm, ſed practicam eſſe oportet.* 67.
§. & Conſ. III. *De moderatione, quæ Prælato ſua magna ſuffulto ſpe tenenda eſt circa temporalium curam.* 71.
§. & Conſ. IV. *Non deſpondeat Prælatus animum de progreſſu ſubditorum ſuorum, tametſi non ſe prodant illa inditia, bonique effectus, quos in ipſis ſpectare optaret.* 73.
§. & Conſ. V. *Non plus æquo Prælatus ſe cruciet, nec eius animum frangat, ſi videat, ſe poſt factas debitas diligentias ſuis remedium ſubditis dignum afferre non poſſe.* 76.
§. & Conſ. VI. *Sit fixum, ratumque Prælato, tantò plures ſe ſubiturum difficultates, atque moleſtias, quantò plus curæ impenderit in ſacrum ſubditorum ſuorum progreſſum.* 77.

DISCVRSVS SEXTVS. Hoc in diſcurſu fit ſermo de tribus. Primùm de amore Dei, & proximi, quo Prælatum, Sacrumque animarum Præfectum alijs præcellere par eſt. Deinde de magna æſtimatione, quæ ad exemplum Chriſti vtriſque de hac virtute habenda eſt. Poſtremò de vera pietate, & miſericordia, quibus cunctis alijs anteſtare, ſuaſque commoditates alienis poſt habere tenentur, vt indigentium neceſſitati conſulant, atque proſpiciant.

§. & Conſ. I. *De pretioſo theſauro, quem Deus Prælatis concredidit, dum curam animarum ſubditorum ſuorum ipſis demandauit.* 79.
§. & Conſ. II. *De amore à Prælato erga Deum, & proximum habendo.* 81.
§. & Conſ. III. *Amorem, quo à Superiore diligendi ſunt ſubditi, oportet eſſe paternum.* 85.
§. & Conſ. IV. *Immigret Prælatus in Ieſu Chriſti viſcera amoris pleniſſima, illaque quaſi ſuperinduat ſibi, vt exinde ſubditos ſuos fructuosè norit diligere.* 86.
§. & Conſ. V. *Oportet Prælatum ob munus Patris, quod gerit, virtute miſericordiæ perquàm eſſe conſpicuum.* 90.
§. & Conſ. VI. *In quo enucleatiùs diſcutitur, quod antecedente conſilio breuiore de miſericordia calamo attigimus.* 92.
§. & Conſ. VII. *Qua partitionis ratione externæ amoris teſtificationes à Prælato ſubditis ſint exhibendæ, vt rectus, quem charitas exigit, prudenter ordo ſeruetur.* 97.
§. & Conſ. VIII. *De modo, quo Prælatus tenetur ſe ſingulis priuatim, & cunctis vniuerſim accommodare, vt omnes lucrifaciat.* 100.
§. & Conſ. IX. *Duo, quibus vertitur,*

Digitized by Google

tur, ſunt regiminis cardines, amor, & timor, Prælato autem amore potiùs, quàm timore regendum eſt, quoad fieri poteſt. 102.

§. & Conſ. X. In quo doctrina antegreſſi Conſilij exactiore trutina ponderatur. 104.

§. & Conſ. XI. Moderandus, & corrigendus eſt à Prælato affectus, quo à ſubditis cupit amari, ſi talis amor niſi ad propriam ſatisfactionem dirigitur. 106.

§. & Conſ. XII. Dedecet Prælatum onerare ſubditos, vt ſe deoneret, vel excuſet, hoc quippe ſi fieret eſſet contrauenire legibus charitatis. 109.

DISCVRSVS SEPTIMVS. In hoc, & iis, qui poſt ſequuntur, diſcurſibus, agitur de virtutibus cardinalibus, & condocetur, qualiter earum opera in ratione regendi ſit vtendum. Sumitur proinde principium à virtute iuſtitiæ, qua de dum quæſtio mouetur, quidnam illud propriè ſit, ratione cuius Superiores erga ſuos ſubditos potiſſimùm, & ſpecialiſſimè obſtringuntur, aliud non eſſe demum, concluditur, niſi ipſis notificare, & exponere leges, earumque obligationes peculiares, taliqne eos doctrina paſcere, quæ ipſis vſui eſſe poſſit, ad eas, prout par eſt, obſeruandas, & implendas.

§. & Conſ. I. Quàm multùm neceſſariæ ſint Prælatis virtutes Cardinales. 112.

§. & Conſilium II. Vnicè, & ex animo amanda eſt Prælato iuſtitia, potiſſimùm legalis. 114.

§. & Conſ. III. In eam curam non ſegniter incumbat Prælatus, & in modo regendi, ita ſe gerat, vt ſubditi animaduertere valeant, ab ipſo multùm amari, & magno in pretio veritatem haberi, per quam omnes iuſtitiæ partes ſibi mutuò operam præſtant. 116.

§. & Conſ. IV. De perfecto modo, quo obſeruandæ ſunt leges, & iuſta earum admittenda interpretatione, vel epicheia. 119.

§. & Conſ. V. Prælato ex muneris ratione incumbit, ſuos ea docere ſubditos, quæ vi ſui ſtatus ſcire tenentur. 121.

§. & Conſ. VI. Fit ſermo de verbis, quibus Apoſtolus diſcutit ſacri partes Magiſterij. 126.

§. & Conſ. VII. Quidnam à Prælato regulari præcipuè ſit docendum, vt muneri, cuius præcedente paragrapho facta eſt mentio, faciat ſatis. 130.

§, & Conſ. VIII. In quo doctrina antegreſſi paragraphi fuſiùs pertractatur, & roboratur. 134.

§. & Conſ. IX. Agitur de indefeſſo ſtudio Superioribus impendendo, vt ſubditos ſuos indeſinenter edoceant viam Crucis, & abnegationis ſui ipſius, vbi etiam, quid propriè ſit vniuſcuiuſque Crux, enucleatur. 141.

§. &

§. & Conſ. X. *De efficacitate, & fructibus, qui ex doctrina, quæ de Cruce, & abnegatione ſui traditur, percipiuntur.* 149.

§. & Conſ. XI. *Agitur de modo, quo à Prælatis inter bona, & mala ſubditorum opera diſtinctio facienda eſt, vt norint bonos iuſto afficere præmio, malos verò condigna pœna.* 159.

§. & Conſ. XII. *Pars muneris Prælati eſt, ſuis ſubditis ſiue bene, ſiue malè habentibus temporalia prouidere.* 169.

DISCVRSVS OCTAVVS.

Eſt de præcipua iuſtitiæ parte, quam dialecto ſcholaſtico diſtributiuam vocant, cuius ratione competit Prælatis officiorum, & prœmiorum collatio, ac quarumcunque rerum diſtributio, quibus ipſi vt capita membris ſuæ communitatis ſuccurrere tenentur, prout bono communi, vel priuato expedit, euitato omni partium ſtudio, & quacunque ad hunc, vel illum peculiari propenſione, vitioſaque affectione.

§. & Conſ. I. *De poteſtate, quam Deus nonnullis ſuper alios conceſſit hominibus ad illos pro modo meriti, vel iuſta pœna, vel condigno afficiendos præmio, quod ſi fiat, tum mundus debito modo adminiſtratur.* 174.

§. & Conſ. II. *Quòd Deus dignetur vti opera aliquorum hominum ad alios gubernandos, in ipſo liberalitati, ex parte verò hominum neceſſitati eſt adſcribendum, & par regendi ratio fuiſſet etiam in ſtatu innocentiæ introductæ in morem.* 176.

§. & Conſ. III. *De magna habilitate, qua præſtent, neceſſe eſt, aliorum Rectores, vt muneris ſui partibus exactè ſatisfacere poſſint, præſertim ſi ipſorum regimen annexam habeat curam animas gubernandi.* 179.

§. & Conſ. IV. *Fit mentio de præclaris naturæ, & gratiæ dotibus, ſingularique ſuper cæteros prærogatiua, quæ in ijs requiruntur Rectoribus, qui Sacrarum perſonarum, & vitæ contemplatiuæ operam dantium regimini ſunt admoti.* 184.

§. & Conſ. V. *Quàm pauci numero ſint, qui ijs polleant naturæ, & gratiæ dotibus, quæ ad bene regendum deſiderantur.* 186.

§. & Conſ. VI. *De ſingulari Dei auxilio ſummè neceſſario adfaciendam bonam eorum electionem, qui apti ſint pro gubernio, quod ſtylo proſequimur.* 189.

§. & Conſ. VII. *De magnis naturæ, & gratiæ donis, ac meritis, quibus præcellant, neceſſe eſt, qui ad Sacras præfecturas ſunt aſſumendi.* 192.

§. & Conſ. VIII. *In quo agitur de primis in antecedente paragrapho relatis verbis, quæ ſunt de facienda electione ex omni plebe.* 196.

§. & Conſ. IX. *Opera eſt, vt Prælatus ſit magni talenti vir, & non ſolùm ingenio, ſed etiam bona voluntate inſignis.* 199.

§. & Conſ. X. *Non tantùm bonum, ſed comparatè loquendo ad alios, etiam meliorem oportet eſſe Prælatum, vt communi animarum bono ſit ritè proſpectum.* 204.

§. & Conſ. XI. *Non ſemper qui ſanctior, aptior eſt ad regendum.* 208.

§. & Conſ. XII. *Quantùm emolumenti in communitates redundet, ſi Rectores earum ſint amatores veritatis, atque iuſtitiæ, & amore proſequentes bonos.* 212.

DISCVRSVS NONVS.

Diſſeritur de iuſtitia vindice, quæ commutatiuæ (vt vocant) eſt pars, ratione cuius incumbit ad clauum ſedentibus, & regimini admotis vnumquemque afficere vel pœna, vel prœmio, prout opera cuiuſque, & legum ſanctiones requirunt.

§. & Conſ. I. *De munere, & vtilitate iuſtitiæ vindicis.* 216.

§. & Conſ. II. *Exacta trutina ponderanda ſunt à Prælato damna, quæ communitatibus inferuntur, ex omnimoda intermiſſione, vel nimis indulgenter, & frequenter facta pœnæ remiſſione.* 222.

§. & Conſ. III. *Secretò delinquentes, ſecretò ſunt admonendi, publicè peccantes publicè.* 224.

§. & Conſ. IV. *In recenti ſemper memoria eſt habenda Prælato differentia, atque diſcretio, quam purpuratus Doctor Bonauentura inſtauratas inter, & relaxas facit Religiones, vt noſſit vnicuique, quod debetur, tribuere.* 228.

§. Conſ. V. *In eam curam præcipuo ſtudio incumbat Prælatus, vt quæcunque malè fundata opinamenta, ac perniciofas ſentiendi formulas vel corrigat, vel extirpet.* 229.

§. & Conſ. VI. *Perquàm ſtudiosè à Prælato cauendum eſt, ne vnquam carpat intentionem agentis, niſi certò certiùs ſibi conſtet, eam à parte rei eſſe malam: hoc enim indicium Deus ſibi ſoli reſeruat.* 230.

§. & Conſ. VII. *De modo, quo vnicuique id à Prælato amanter dici oportet, quod facit pro ſalute animæ eius.* 231.

§. & Conſ. VIII. *Priuſquam Prælatus quemquam corripiat, iuſta lance apud ſe expendat, & percurioſè diuentilet finem, quo mouetur ad faciendam correptionem, vel pœnam alicui irrogandam.* 233.

§. & Conſ. IX. *Poſtquam Prælatus factum, quod correptionem meretur, bene diſcuſſit, plenamque eius informationem eſt nactus, tum priùs tranquillet cor ſuum, antequam ad reprehenſionem faciendam accedat.* 234.

§. & Conſ. X. *Non actutum, ac aliquis defectus commiſſus eſt, à Prælato eſt correptio facienda.* 235.

§. & Conſ. XI. *Si Prælatus commotum ſe ſentiat animo, tum prætermittat pro tunc delinquentis correptionem, eamque faciat debitis circumſtantiis obſeruatis, vbi fluctus turbati animi reſedere, ſi in votis habeat,*

Digitized by Google

beat, vt correptio bonum ſortiatur effectum. 237.

§. & Conſ. XII. *Qua ratione à Prælato ſint corripiendi, & corrigendi illi defectus, qui contra rationis præſcriptum, & iuſtitiam ſubditis intuitu ipſius committuntur.* 239.

§. & Conſ. XIII. *Leniores defectus à Prælato non pro nihilo ſunt habendi, ſed multa ſuper ipſos cura eſt adhibenda, ne cum tempore tranſeant in maiores, id verò, quod maioris perfectionis eſt, longè exactiùs eſt curandum.* 240.

§. & Conſ. XIV. *Pro diuerſitate culparum eſt Prælato vtendum diuerſis correptionum modis, pœnarumque irrogationibus.* 242.

§. & Conſ. XV. *Qua ratione omni derogetur iuſtitiæ, dum parùm æſtimatur, quod eorum eleuetur, vel omnino intercidat auctoritas, quorum intereſt, eam maximè tueri, & conſeruare.* 244.

§. & Conſ. XVI. *Prælati munus eſt, innocentes defendere, illoſque compeſcere, qui infeſtantur ipſos iniurijs!* 247.

DISCVRSVS DECIMVS.

Prælatis perquam maximè eſt neceſſaria praxis veræ prudentiæ, cuius opera ita ſe gerat, vt nec declinet ad dexteram, nec ad ſiniſtram.

§. & Conſ. I. *Maximopere Prælatis opus eſt ſcientia, & ſapientia Sanctorum, in quibus vera prudentia conſiſtit.* 250.

§. & Conſ. II. *Vbi inter varias prudentiæ ſpecies facta diſtinctione oſtenditur, illam eſſe veram, quam hic ſtylo proſequimur.* 252.

§. & Conſ. III. *Cauſa redditur, quare paſſim omnes multam animi expletionem capiamus ex noſtra prudentia.* 260.

§. & Conſ. IV. *Quantùm conferat ſponte ſuſcepta Corporis afflictatio ad veram prudentiam ſpiritus acquirendam.* 261.

§. & Conſ. V. *Multùm momenti affert ad bonum prudentiæ vſum Conſilium virorum expertorum, rerumque ſuarum minimè ſtudioſorum, proprijſque commodis intactorum.* 262.

§. & Conſ. VI. *Vt res difficiles, & non exiguæ perfectionis ex ſententia ſuccedant, nihil eſt tutius, quàm illorum ſequi Conſilium, qui, quod conſulunt, faciunt.* 264.

§. & Conſ. VII. *Longè abſit à Prælato facilitas credendi omne, quod dicitur, hoc ſi faciat, multa, quæ non conueniunt, euitabit.* 267.

§. & Conſ. VIII. *Quamplurimùm boni regiminis intereſt, Prælatum eſſe retinentem ſecreti.* 268.

§. & Conſ. IX. *Fit perſpicuum, quàm ſit res vtilis, & ſecura petere Conſilium, & inter mille vix vnum reperiri, qui agere poſſit dignum conſiliarium.* 270.

§. & Conſ. X. *Cum ijs, qui ſunt ſincerioris mentis, & probioris vitæ oportet Prælatum frequentiore conſuetudine, & commercio vti.* 271.

Digitized by Google

§. & Conſ. XI. *Vitanda eſt Prælato prudentia, quæ in ſpeciem talis, & vulgaris duntaxat eſt, ipſique danda opera, vt in omni actione ſua firmioribus, & magis tutis nitatur fundamentis.* 241.

§. & Conſ. XII. *Propter conqueſtiones, & murmura ſubditorum non facilè mutet Prælatus modum regendi, ex bono ſemel inceptum conſilio.* 275.

§. & Conſ. XIII. *De accurata circumſpectione, quæ in omnibus actionibus ſuis, & dandis iuſtis eſt vſurpanda Prælato.* 276.

§. & Conſilium XIV. *Percautè abſtinendum eſt Prælato ab omni doctrina, quæ ſubditis occaſionem dare poſſit in aliquod incidendi extremum, virtuti, aut veritati contrarium.* 278.

§. & Conſilium XV. *Quàm intenta cura, & diligentia Prælatis ſit neceſſaria.* 281.

DISCVRSVS VNDECIMVS. De magna animi fortitudine, qua opus habent Prælati ad introducendum, integrumq; præſtandum, quod in vna communitate ad maiorem facit perfectionem.

§. & Conſilium I. *Variæ ex ſcriptura adducuntur in ſenſu metaphorico ſumptæ nomenclaturæ, quibus Spiritus Sanctus planam facit animi fortitudinem, quam Prælati, & ſacri animarum inſtructores habere tenentur.* 285.

§. & Conſilium II. *In quo enucleatiùs expendimus, quantâ fortitudine animi Prælatum dotatum eſſe oporteat, ad ardua aggredienda, & quæ multò labore conſtantia in regimine occurrunt, heroico animo exantlanda.* 287.

§. & Conſilium III. *Quantùm refeſrat, & proſit, vt omnes norint, & compertam habeant prudentia moderatam in Prælato animi magnitudinem.* 290.

§. Conſilium IV. *In quo agitur de binis extremis in quæ Prælatus poteſt incurrere tam concedendo, quàm negando ea, quæ ſubditis arrident, & & in animi expletionem cedunt.* 291.

§. & Conſilium V. *Agitur de alio extremo, quod eſt, nulli petenti ad votum eſſe, nec ſubditis etiam id, quod ex ratione eſt, concedere.* 296.

§. & Conſilium VI. *In quo nonnullæ traduntur regulæ præſcribentes modum, quo tenendum eſt medium, vt in danda religioſis ſatisfactione, & conſolatione tam parcitas, quàm ſuperfluitas euitetur.* 300.

§. & Conſilium VII. *Quàm multùm magnanimitatis, & tolerantiæ virtutes Prælato ſint neceſſariæ, & quantum ambæ conferant ad acquirendam veram prudentiam, & inconcuſſam in bono permanſionem.* 309.

§. & Conſilium VIII. *Qualiter à Prælatis ſint exercendæ magnanimitatis, & tolerantiæ virtutes, dum longa operiuntur mora, vt videant, qualem habitura ſint effectum ſacra pharmaca à ſe adhibita, quantorumque*

Digitized by Google

que ſit cauſa malorum intolerantiæ vitium. 315.

§. & Conſilium IX. *Caueat Prælatus nec in more habeat ſuarum iuſſionum dandi ſubditis rationem.* 319.

DISCVRSVS DVODECIMVS.

In quo agitur de virtute temperantiæ, quæ non pauca alia in ſe complectitur religioſa exercitia, quorum opera incumbit Prælatis ſuorum promouere ſubditorũ profectum, iiſq; verbo, & exemplo opem ferre, vt & ipſi ſibi hanc virtutem faciliùs comparare valeant.

§. & Conſilium I. *Plurimùm commendatur Prælato virtutum temperantiæ, & abſtinentiæ exercitium, ipſique ſuadetur, vt ſæpius exhortetur ſuos ſubditos ad frugaliter, ſobriéque viuendum.* 322.

§. & Conſilium II. *Modeſta grauitas eſt Prælato ſeruanda, & ab ipſo ſubditis multùm eſt commendanda Religioſa corporis compoſitio, & ſenſuum exercitio externorum.* 325.

§. & Conſilium III. *Agitur de cura, quæ Prælato intendenda eſt in ſuam, & ſubditorum ſuorum animi collectionem, & quantum adhoc conducat, vt euietntur non multùm neceſſarij ſumptus, atque impendia.* 329.

§. & Conſilium IV. *Quantum ordinum inſtauratorum interſit virtus ſilentij, & quàm exactè id à Prælato ſit obſeruandum in rebus maximè, quas clam haberi oportet, ratione gubernij.* 332.

§. & Conſilium V. *Non multùm neceſſariæ cum ſubditis diſceptationes ſunt euitandæ Prælato, ac nulla ipſis danda occaſio petendi ab eo, cur hoc vel illud faciat.* 335.

§. & Conſilium VI. *Singularis Prælato intendenda eſt cura, commotiotionem animi moderandi, ita tamen, vt non negligat explere partes, ad quas tenetur ratione gubernij.* 336.

§. & Conſilium VII. *Vt Prælatus cum fructu gubernet, magna ipſi opus eſt animi ſubmiſſione, quæ vt ipſi ſolidè perſuadeatur, referuntur peculiares vtilitates, quæ gubernio ex hac virtute accreſcunt.* 338.

DISCVRSVS DECIMVS TERT.

Quàm multùm Prælati in trium votorum obſeruantia teneantur eſſe obſequij, & in hac re ſubditis bonum dare exemplum.

§. & Conſilium I. *De accurata obedientia, quam Prælatus Deo, ſuiſque legibus, & in altiore gradu conſtitutis ſuis debet ſuperioribus.* 342.

§. & Conſilium II. *Prelati maiores tenentur Prælatis dignitate inferioribus auxilio eſſe, eorumque honorem, qui ipſis à ſubditis habendus eſt, ſartum, tectumque conſeruare.* 345.

§. & Conſilium III. *De magna cautela, ac circumſpicientia, quam adhibere tenetur Prælatus, & dare ſimul operam, vt ſubditi idem fa-*

faciant circa conuerſationem, & quarumcunque mulierum communionem. 348.

§. & Conſilium IV. *De magna, quæ Prælato intendenda eſt, cura, vt ſi domo exeat, nunquam ſe ſubſtrahat à præſentia ſocij, & ad idem faciendum ſuos ſubditos adhortetur.* 352.

§. & Conſilium V. *Oportet, vt Prælatus ſit præditus magna ſpiritus paupertate, ſibique honori ducat, ſi eam accuratè obſeruet, tam in expenſis communibus, quàm priuatis faciendis, præſertim verò in rebus ad quotidianum ſuum vſum ſpectantibus, ſiue ſint impendendæ pro ſua perſona, ſiue pro cellula.* 356.

§. Vltimus. *Conſolentur ſe rectè agentes Prælati, tametſi non aſſequantur, quem expetunt, fructum, nec eò deſpondeant animum, ſed maius ſuæ addant robur fiduciæ, freti efficacitate, quam Deus impreſſit Euangelij verbo, eamque ſuis in ſe confidentibus miniſtris, eorumque, quibus vtuntur, agendi modis, eſt elargitus.* 359.

Digitized by Google